LIBER SECRETORVM FIDELIVM CRVCIS

Super

TERRÆ SANCTÆ

RECVPERATIONE ET CONSERVATIONE.

quo

Et TERRÆ SANCTÆ Hiſtoria ab Origine,

&

Eiuſdem vicinarumque Prouinciarum Geographica deſcriptio continetur.

Cuius Auctor

MARINVS SANVTVS dictus TORSELLVS
Patricius Venetus.

Nunc primùm, cum libello eiuſdem argumenti, ſine auctoris nomine,
Ex MSS. veteribus editus.

Orientalis Hiſtoriæ

Tomus ſecundus.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud heredes Ioannis Aubrii.
MDCXI.
Cum Priuilegiis S. Cæſ. Romanorum Maieſtatis, & Regiæ Francorum.

SERENISSIMO

PRINCIPI

&

EXCELLENTISSIMO

SENATVI

REIPVBLICÆ VENETIARVM

S.

ET hunc, & hoc argumento ſcriptorem, iure meritóque inſcribo vobis, Sereniſſime PRINCEPS, Excellentiſſimi PATRES. Auctorem, ciuem veſtrum, familiâ, litteris atque armis illuſtri; quem & Ciuitati, ſimul & luci reſtituo: Argumentum, cuius pars magna fuiſtis. Poſtquam enim, DEO benefauente, ſimul & Regnum Francorum, nempe REGNVM REGNORVM; & libertatis illud aſylum, Reſpublica veſtra, cœpere; coniunctis animis, armisque Maiores noſtri, maximas res fortiter aggreſſi, feliciter confecerunt. Teſtis vindicata de Turcorum & Sarracenorum impotenti poteſtate SYRIA; captæ

Matth. Paris, an. 1216.

in ea, & ad eam Vrbes, vt opulentissmæ; ita præsidiis omnibus munitissimæ: Regnúmque inde formatum atque firmatum HIEROSOLIMORVM: inque eius partem, qui partem laborum ceperat, recepti Virtutis meritorúmque ergò VENETI. Testis sedes illa Imperii CONSTANTINOPOLIS, sociis eorundem armis, erepta faucibus impii tyranni; diuisúmque inter ipsos Francos Venetósque Imperium. Neque commemorare hîc lubet, quoties consilio manúque magnanimos Heroas, rebus difficillimis, adiuuit; dubiis & nutantibus, sustinuit, velut è machina, Veneta Virtus: ne quid de ipsa decerpam Historia, cuius hîc argumenti varii verum probúmque auctorem damus. Satis ad id quod agimus: quæsitum Francis atque constitutum, consilio auxilióque vestro, Hierosolimitanum illud Regnum, & hoc olim Constantinopolitanum Imperium. Nam, quæ ipsi vidimus, pleniore posteritas ore prædicabit: Incertis Regni rebus, vos amicos certos: petito immani vndique coniuratione HENRICO Magno, vos studiis fautores, opibus adiutores: laborante atque labante re Christianâ, vos auxilia, vos columina. Verè itaque PRÆDICABILES VENETIÆ; verè ἀμίνετοι VENETI: iam supra mille & ducentos annos Libertatis auctores prudentissimi, vindices fortissimi. Sed

Cassiodor. l. 1. Variar. Iordanid. Getic. cap. 29.

mi. Sed nec pelagus hoc laudum vestrarum immensum, leui lembunculo tutum ingredi: & vnum modò volo: Hunc Serenitati tuæ, PRINCEPS; Excellitati vestræ, PATRES, scriptorem, ciuem vestrum; hoc Virtutum vestrarum nobilissimum argumentum, inscribere: méque vnà, cultorem Vobis transcribere. Ita vestram DEVS Rei Christianæ Rempublicam, liberam, florentémque; vos Reipublicæ vestræ, atque Regno incolumes, seruet diutissimè: vt cum quo ortum adoleuit, & in hanc ætatem, nullo exemplo, floruit, cum eo vestrum perduret Imperium.

HISTORIARVM STVDIOSO LECTORI S.

VOLVMEN hoc, Lector, solidum debemus PAVLO PETAVIO: cui & maiora debebit Historia. Accepimus ab eo exemplaria Sanuti duo: quorum vnum, ab ipso auctore, profectum putamus, donatum alicui Principum: est enim exscriptum eleganter, insignibus auro picturis exornatum; descriptionibus, quas Mappas vocant, Orbis, Terræ Sanctæ, Ægypti, ciuitatum Hierusalem & Ptolomaidis, & figurâ, quâ synchronismi Principum annotantur, illustratum; rubro, vt loquimur, serico (illi examitum & samitum dicebant) olim opertum: Alterum, & recentius, & sine mappis atque ornatu. Tertium dono accepimus ab IOSEPHO SCALIGERO, cuius, vt humanitas, & candor, & iacens hodie probitas, ita

——vno se pectore cuncta verustas
Condiderat.——

Hoc, historica tantùm, id est librum tertium operis continet: &, epistolâ ad Ioannem PP. quæ operi præponitur, litteris aliquot erasis, pro Marini Sanuti, substitutum habet nomen fratris Paulini, Ordinis Minorum: manu, vt videtur, eadem: hoc modo: Sanctissimo Patri ac Domino I. sacrosanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, frater Paulinus de Venetiis Ordinis Minorum. τὸ de Venetiis, est à prima scriptura. Est autem frater hic Paulinus Venetus, Papæ Pœnitentiarius: cui cum aliis eiusdem & Prædicatorum Ordinis, hoc à Pontifice examinandum opus commissum fuit: vt docet ipse Sanutus, primâ præfatione: Postea, Episcopus Puteolanus, & Siciliæ Regis consiliarius, idem auctor, epist. XVIII. & XX. de quo in Indice nos fortasse plura. Sed frustra est ille, qui hac fraude inducere Paulinum in huius operis possessionem voluit. Est enim sine dubio, Marini Sanuti, vel Sanudo.

Fuit is Marci filius ipse præfatione vltimâ. Meminit Gulielmi Sanudo, tamquam viri opibus florentis: lib. I. part. IV. cap. VII. margine.

margine. *Nicolaum Sanutum commemorat, Guillelmi F. Marci N.* epist. III. & V. & VIII. *Ducem Nicxiæ & Andrę dominatorem, & aliarum insularum: qui contra Imperatorem Constantinopolitanum insurrexerit: quod facinus in eius iuuentutem reiicit. Hæc de suis ipse.* Blondus *autem, & ex eo* Sabellicus, *patricium Venetum*, Marcum Sanutum, *legatum referunt missum ad Bonifacium Montferratensem Marchionem, de dominio Cretę Venetis cedendo: eundémque, cùm prudenti & salutari consilio, Veneti* suis concessissent quæ quisque ab hoste infesta occupasset, *Naxum, quæ est supradicta* Nicsia, *Parum, Melam, & Herineam, siue Herinam, siue vt alii, Æginam, Ægei maris, aut Archipelagi insulas, quorundam ciuium confœderatorum auxilio, sibi subiecisse: quod circa annum* DOMINI, *MCCVII. videtur accidisse. Gesta inde à Marco Sanuto explicant iidem, Blondus breuiario rerum Venet. & dec. 2. lib. 6. Sabellicus dec. 1. lib. 8. fine, & princ. lib. 9. & in iis,* Stephanum *Sanutum, Marci necessariũ, commemorant. Tenuerunt autem Insularum siue ducatum siue imperium, Sanuti, annos supra Centum & viginti. Epistola enim Marini octaua, in quâ Nicolai Sanuti adolescentiæ errorem excusat, data est anno MCCCXXIV. Et* Paulus Rhamnusius *de bello Constantinopolitano lib. 6. scribit* Florentiam Sanutam *Marci filiam, illius Marci senioris ex neptem, Ægai maris in Naxo insulâ principatum, ad Franciscum Crespum maritum detulisse. Idem meminit* Mariæ *Sanutæ*, Nicolai, *cognomento* Spezzabandæ, *F. à quâ Paros, Antiparos, Andrúsque insularum dominatus, ad Summaripam familiam deuenisset. Hic Nicolaus, robusto cognomine, fortasse is ipse sit de quo noster, epistolis. Floruerunt longo post tempore* Franciscus *Marini, &* Marcus *Francisci F. Sanuti, senatores grauissimi: circa annum, nisi fallor, MCCCCLXXXVI. laudati Callimacho Experienti, narratione de iis quæ à Venetis tentata sunt Persis ac Tartaris contra Turcos mouendis: qui illorum & prudentiam & animi magnitudinem, senatorias virtutes, prædicat. De Sanutorum familia, hæc raptim collecta, commentationi nostræ inserenda iudicaui: nam de Liuio, & alio Marino, Sanutis, mox dicemus.*

Noster autem, natus in cõfinio siue parœchia S. Seueri, ciuitate Riuoalti, Venetiis. ipse ad Innocentium PP. & præfatione vltima, *quæ est* pag. 21. & ep. 1. & III. *Torselli, non natiuum, sed inditum nomen, docet* Sansouinus, *lib. 6. descriptionis Venetiarum. In ade S. Raphaelis Venetiis, ait instrumenti Musici cuiusdam formam exstare: ei nomen* Rigabello: *cuius in Ecclesiis vsus fuerit ante Organa illa pneumatica, quæ hodie vsurpantur. Rigabello succesisse*

aliud, quod Torſello *dictum ſit, cuius Venetias vſum induxiſſet homo Germanus: hunc, cùm fauore Marini noſtri ſuſtentaretur, cauſam cognomini dediſſe, vt* Torſellus *inde diceretur. Inſtrumenta qualia illa fuerint, nec nos ſcimus. Noſter verò,* & Torſellus *dictus eſt,* & Torxellus & Torſelli. *Familiarem & domicellum dicit ſe fuiſſe* Ricardi, *S. Euſtachii diaconi Cardinalis: qui eſt M. Ricardus Petronus Senenſis I.V.D. Vicecancellarius,* & *poſtea Cardinalis, de quo ſub Bonifacio PP. VIII. Onufrius* & *Ciaconius. Ab infantia negotio Terræ Sanctæ animum intendit:* ep. XIV. & *abſque vxore fuit longo tempore, propter iſta vltramarina negotia perficienda:* epiſt. VIII. *Quinquies ad hoc opus vltra mare, transfretauit, in Cyprum, Armeniam, Alexandriam, Rhodum.* præfat. II. pag. 3. *quomodo Salluſtium aiunt, vt Iugurthinum bellũ certius deſcriberet, in ipſam Numidiam penetraſſe. Alexandriæ* & *Ptolomaidæ fuit ſæpius;* paſſim. *Nauigauit* & *Venetiis Brugas:* præfat. prædicta. *Erant autem tum Brugæ, quo loco poſtea fuit Antuerpia. Fuit* & *in Holſatia* & *Sclauia.* lib. II. part. IV. cap. XVIII. *Itaque verè* Marinus, *maris peritus, ad hæc ſcribenda aggreſſus eſt, quæ abſque rerum maritimarum cognitione ſingulari perficere non potuiſſet. Sed* & *hoc opere abſoluto, in Alemania fuit:* epiſt. XVI. *Papam, Regem Franciæ, Comitem Hanoniæ, coràm; alios frequentibus litteris viſitauit, negotio vltramarino promouendo:* epiſt. VI. *Paratus ad Regem Siciliæ proficiſci, familiam de nouo induit:* epiſt. XVIII. fine. *Filium habuit: inde cœlebs diu vixit, vt ſolutus* & *liber vacaret vltramarinis negotiis: atq; ideo putat maiorem ſibi ab Imp. Conſtantinopolitano fidem adhibendam:* epiſt. VIII.

Hoc autem opus, incœpit anno MCCCVI. notat ipſe præfat. vlt. *Clemente PP. V. Obtulit Pontifici, an. MCCCXXI. Fuit is* Ioannes, *Platina, XXIII. alias, XXI. dictus XXII. notus etiam ſcriptis ſummi viri Franciſci Petrarchæ. Ad eundẽ ſcripſit Marinus epiſtolam, inter eas quas damus, primam. Obtulit* & *Regi Franciæ opus ſuum:* & *Regi Angliæ,* & *Regi Siciliæ,* & *Cardinalibus, ac etiam Prælatis,* & *Principibus,* & *Baronibus:* epiſt. II. IV. XVII. *Addidit, illuſtrandæ rei, Mappas Mundi, vt vocant: quarum meminit* primâ præfatione, & epiſt. I. & II. &c. *ſed primâ præfatione, quatuor Mappas ſe præſentaſſe ait: quarum nobis, prima deeſt, de Mari mediterraneo. Addidit* & *figuras genealogicam Noe.* lib. III. part. I. cap. VI. & *ſucceſſionis ludæorum, Regumque populi DEI.* lib. cod. cap. V. VI. VII. & X. *quæ, vti haud ſatis emẽdatas, exhibuimus:* & *facilis erit ex ipſo Diuino exẽplari correctio. Libri Gallici, qui inter prolegomena legitur, pag. 5.*

mentio

meminit epist. II. & IV. *Venetorum & Alemannorum & Gallorum amicitiam prædicat*, lib. II. part. IV. cap. XVIII. *Venetorum instituta commendat in re Nauali, & moribus, non semel*: lib. III. part. XV. cap. XXII. & XXIII. *Recordatur suo tempore turrim in Accon ædificatam ab Imp. Palæologo*: epist. VIII. *Tertium librum operis, qui est historicus, composuit ex opere quod quidam, inquit, vir probissimus, aliique quamplures compilarunt, super historiis Orientalibus*: prologo libri tertii. *Vitriacum sæpe ita sequitur, vt à verbis non abeat. Quæ de Tartaris*, libri eiusdem part. XIII. *ea ipsi cum Vincentio Beluacensi, magnam partem communia sunt: sed Vincentius, ætate maior est. Vltimam partem ex Vegetio & Frontino congessit: ex quibus corrupta, nomina maximè propria, corrigere erit haud difficile: quæ nos, vt in MSS. leguntur, dedimus.*

Dedit operi titulum, SECRETA FIDELIVM CRVCIS: ita ipse, epist. I. & II. & XV. alibi. *Misit ad nos excerptum de* Libro principali bellorum DOMINI, pro tempore nouæ Legis, *P. Petauius, quod ita habet, secundæ partis articulo XCVI.* Nonagesimus sextus articulus, est de totali amissione Terræ Sanctæ, præter Tholomaidam, quæ proprium sicasima (*f. syntagma*) requirit, habet tres conclusiones. Prima, continet insultus varios Soldani, dicti Bendogdar in Christianos, & Antiochenæ ciuitatis amissionem. Secunda, cõtinet amissionem castri Licié, & Tripolis. Tertia, cõtinet amissionem reliquarum partium Terræ Sanctæ. Quantum igitur ad primam conclusionem, sic dicit *Marinus Torselli Venetus*, in libro suo quem intitulauit *SECRETA FIDELIVM CRVCIS*: lib. III. part. XII. Capitulum nonum, continet insultus varios Bendogdar in Christianos, & Antiochenæ ciuitatis amissionem. Sequentianno Bendogdar, VII. die Martii cepit Iopham (*ita ille*) proditiosè. *&c. quæ in nostro leguntur loco citato.*

Liuius Sanutus, *cùm lib. 2. Geographiæ, laudasset tanquam ipsius Geographiæ matrem, historiam peregrinationum, eius auctores Venetos commendat, Marcum Polum, Scipionem Querinum, Ambrosium Contarenum, Ludouicum Cadamostum, &* Marinum Sanutum, *cognominatum* Torsellum: *alios. Hic autem Liuius, à patre Francisco, Milite & Senatore amplissimo, studiis bonarum litterarum admotus, in scholis Germaniæ Mathematicas disciplinas doctus, Africam descripsit, libris XII. insigni operâ: cùm antea Globum terrestrem composuisset, qui extat ipsius fratris Iulii manu in æs incisus. Marinum Torselli (vitiosè editum* Corselli) *citat frater* Stephanus Lusignanus *Cyprius (de quo supra diximus) libro de Iure in regnum Ierusalem, cap. 20. ex Chronico Petri de Palude, Patriarchæ Hierosolimitani, Ordinis fra-*

rum prædicatorum, qui Marinus scripserit librum de statu Terræ Sanctæ, compositum sub Clemente PP. V. anno MCCCV. Locus Torselli quem indicat, est lib. III. part. V. cap. XI. & XII. *Quod autem ex eo infert, probasset aptius & certius ex Tyrio: vt non fuisse familiarem ei lectionem Tyrii appareat. Eundem nostrum,* Sansouinus *collocat sub principatu* Ioannis Soranzi, *Ducis: anno MCCCXII. & librum scripsisse ait* Secretorum fidelium Crucis, *atque* Epistolas *complures Latinas, ad Reges, Pontifices, Cardinales, de rebus Terræ Sanctæ.*

Alium ab hoc Marinum Sanutum, *inter scriptores Venetos reperio apud Sansouinum, & Iacobum Albericum: qui scripserit, de Magistratibus Venetis: de Vitis Principum Venetorum & de bello Gallico: eíq; annus adscribitur, MDI. Laudatus hic Publio Francisco Modesto Ariminensi, princ. lib. 10. Venetiados: quem locum notauit idem toties nobis dictus P. Petauius.*

Curâ autem studiis si quem flagrantior vrat,
Vt nihil in dubia patiatur Vrbe relinqui,
Sanuti ille adeat vigilis monumenta *Marini*:
Vnde omnem historiam per singula doctus habebit.
Namque noua & vetera Imperii latè acta reponit.
Nomina nos tantùm, & vix rerum stringimus vmbras.

Ei Aldus Manutius *opera Politiani dicata donat, & Leonardi filium dicit; eiusque ingenium & doctrinam, & inter publica negotia scribendi studium commendat, & ab eo conscriptos supra notatos libros, sibi in refertissima ipsius bonis auctoribus bibliotheca visos, commemorat.* Pag. 1.

Eiusdem TORSELLI EPISTOLAS, *ex eodem* P. PETAVII *optimo Codice, placuit maiori operi adiungere, quia & ad rem faciunt pleraque, & omnino historica sunt, & poterant perire, neglecta. Ex earum decima septima* (fine) *constat alia ab eo scripta, editáque esse. Sed Epistolæ istæ sunt:*

I. Ad Ioannem PP.
II. Ad Cardinales.
III. Ad Ingramum Archiepiscopum Capuanum, Regis Siciliæ Cancellarium.
IV. Ad Guillelmum episcopum Mematensem, Comitem Gabalitanum.
V. Ad diuersos, eodem exemplo.
VI. Ad Leonem Regem Armeniæ.
VII. Ad Andronicum Palæologum, Imperatorem Constantinopolitanum.

VIII. Ad

VIII. Ad Hieronymum, episcopum Caphensem.
IX. Ad Andronicum Palæologum, Imp. Constantinop.
X. Ad Stephanum Sirupulum, Imperatoris Græciæ Turchimannum.
XI. Ad Ingramum Capuanum Archiepiscopum, &c.
XII. Ad Andronicum Palæologum, Imp. Constantinop.
XIII. Ad St. Sirupulum, Turchimannum.
XIV. Ad Iohannem, ducem Lotharingiæ & Limburgiæ.
XV. Ad Almericum, Archiepiscopum Rauennatem, Comitem Romandiolæ.
XVI. Ad diuersos eodem exemplo.
XVII. Ad B. Cardinalem S. Marcelli, Legatum: est Bertrandus de Porto: de quo Ioannes Villanus lib. 9. cap. 108.
XVIII. Ingramum Capuanum, &c. & fratrem Paulinum ordinis Minorum, episcopum Puteolanum.
XIX. Ad B. Cardinalem, Legatum, episcopum Ostiensem & Velletrensem: est idem qui supra Bertrandus.
XX. Ad Ingramum, & Paulinum : vt suprà.
XXI. Ad Petrum de la Via, militem, nepotem domini Papæ: & ad Iacobum, Cardinalem S. Georgii ad Velum aureum.
XXII. Ad Anonymum. *Pag. 289.*

Marino Sanuto Torsello comitem addimus, non alienum, imò argumento & sententiâ, atque etiam ætate affinem; de RECVPERATIONE TERRAE SANCTAE *Libelli auctorem, siue Cõsilium dicas: multis locis deprauatum. Vnicum enim exemplum habuimus, ex eiusdem P.* PETAVII *thesauro: neque coniecturis vllis aut emandationibus, quamuis certis, locum dedimus.* *Pag. 316.*

Auctor, fuit Aquitanus. cap. LIX. *patronus causarum Ecclesiasticarum Regum Franciæ & Angliæ, in Aquitaniæ Ducatu.* cap. I. LIX. & LXXXII. *Fatetur inde se plurima salaria retulisse de bonis Ecclesiasticis, & quæstum magnum fecisse:* cap. XXXIII. & LIX. *Audiuit fratrem* Thomam de Aquino, *quem citat ipse;* cap. XL. & XLVI. *& magistrum* Segerum de Brabantiâ: cap. eod. XLVI. & LXXX. *Libellum hunc Eduardo inscribit, Regi Angliæ, & Scotiæ, domino Hiberniæ, & duci Aquitaniæ: summo Pontifice Clemente V.* cap. I. & XXXVII. *Fuit hic lectus Pontifex, anno MCCCV. Eduardus autem Rex obiit MCCCVII.*

Citat à se scriptum librum super Abbreuiatione guerrarum & litium, missum Tholosam, & traditum magistro Ioanni de Forestis amico, cùm ibi esset Rex, & Karolus cap. LXXII. & LXXV.

Karolum, intelligit Valesium, nisi fallor, Regis fratrem; Regem, Philippum Pulchrum: qui ab vxore & Regnum Nauarræ habebat, de quo hic cap. XXXII. *Tholosæ autẽ fuit, anno MCCCIII. vti notat vetus MS. Chronicon, quo in historia conficienda vsus est Paulus Æmilius. Scripsit & Parisius,* Rationes inconuincibiles: *pro Rege, vt apparet, contra Pontificem: & tradidit amico suo, qui postea factus est Episcopus Biterensis: an Bituriensis?* cap. LXX.

Commemorat in hoc libello bella ciuilia Alemannorum, & Hispanorum, quibus impediti, non potuerint subuenire Terræ Sanctæ: cap. III. *Meminit Ferrandi de Hispania:* cap. LXX. *& iniusti detentoris Regni Castellæ:* cap. LXXI. *& Friderici de Arragonia:* cap LXII. *de quibus, & aliis huius scripti, & totius historiæ, videbimus in Indicibus, quos Tomo tertio adiungere constituimus: in eum reseruamus* HAITHONVM *Armenum,* MARCVM POLVM *Venetũ,* IOANNEM *de* MANDEVILLA, *Anglum; & eiusdem argumenti alios, nec editos, aut editis certè meliores:* DEVS *adsit modò: & pacem, publicè; nobis, otium; tibi,* Lector, *quæ optas, communi bono, concedat.*

LIBER

LIBER SECRETORVM FIDELIVM CRVCIS.

QVI EST TAM PRO CONSERVATIONE FIDELIVM, QVAM PRO CONVERSIONE ET CONSVMPTIONE INFIDELIVM: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam TERRAM SANCTAM, & alias multas terras in bono statu pacifico & quieto.

Auctor

MARINVS SANVTO, dictus TORSELLVS, de ciuitate RIVOALTI, de confinio S. Seueri confessoris, de VENETIIS.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
FILII DEI VIVI, AMEN.

ANno Domini milleſimo trecenteſimo vice- A.Dni. 1321.
ſimo primo, *die* XXIV. *menſis Septembris, ego* Marinus Sanuto *dictus* Torxellus *de Venetiis, gratiâ DEI præuiâ, introitum habui ad ſanctiſſimum patrem noſtrum dominum Papam, cuius ſanctitati duos libros ſuper Terræ Sanctæ recuperatione, & conſeruatione fidelium præſentaui: quorum vnus coopertus erat de rubeo, alter verò de croceo. Eidem etiam præſentaui quatuor mappas mundi: vnam, de mari Mediterraneo; Secundam, de mari & de terra; Tertiam, de terra ſancta; Quartam verò, de terra Ægypti: & quod ſibi decreueram oretenus dicere, in ſcriptis tradidi totum ſibi, prout inferiùs continetur. Prædicta autem omnia, Sanctus Pater benè & gratanter recepit; ac Scripturam illam, magnamque partem prologi, & partem Rubricarum, in mea præſentia fecit legi; nec non & interrogando, me de pluribus requiſiuit: & ego ad interrogata reſpondi. Finaliter ita dixit*: Volo, *inquit*, vt examen recipiant iſti libri: *cui cùm reuerenter reſponderem, quod mihi multùm placebat, ſic tamen quod examinatores eſſent fideles: Ipſe dixit*, de hoc nullatenus dubites: *Addiditque*, ad quieſcendum eas, quouſq; te duxerimus requirendum. *Inde ergò receſſi: & ecce eodem die ſollicitè ipſe miſit pro fratribus infraſcriptis: ſcilicet*, Boentio de Aſt, *ordinis Prædicatorum, Vicario in Prouincia Armeniæ*; Iacobo de Cammerino *ordinis Minorum, qui portat barbam, qui ad Curiam*

venerat pro fratribus de Perſide; Matthæo de Cypro, *&* Paulino Veneto *eius pœnitentiario, vtroque ſimiliter Minorum ordinis: deditque eis librum croceo coopertum, imponens eis quod ipſum diligenter examinarent, & ſibi examinationem referrent. Prædicti fratres ſimul in domo præfati fratris Paulini, antedictum librum diligenter & fideliter examinarunt; & de pari concordia, fecerunt relationem conſcribi. Triceſimâ verò die ab examinatione ſuſcepta; quadam die Sabbathi, in veſperis, priùs fratres prædictos, poſtea me affabiliter accerſiuit, pluriesque inquit fratribus*, Eſtis ne omnes concordes in facto: *& illi cum omni reuerentia reſponderunt*, Sancte pater, ſuper facto? de pari concordia ſcripſimus quod ſentimus. *Multa alia fuerunt verba Sancto Patre quærente, & reſpondentibus fratribus ſæpedictis, & meipſo. Vltimò dominus Papa dixit*, horâ tarda eſt; vos dimittetis hîc relationem in ſcriptis; videbimusque eam, & poſtea mittemus pro vobis: *& per hunc modum remanſerunt liber & relatio penes eum.*

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

SVPPLICO ſanctitati veſtræ humiliter & deuotè, ego *Marinus Sanuto*, dictus *Torxellus*, de Venetiis, quod cauſa mei aduentus ad veſtræ ſanctitatis pedes, principaliter pro communi bono vniuerſæ Chriſtianitatis extitit, & exiſtit. Non enim à Rege ſeu Principe, vel communitate, ſeu alia quauis ſpeciali perſona ſum directus; ſed ſolâ liberâ voluntate. Nam conſiderando per longi temporis ſpatium, immenſum bonum & commodum, quod cum paucis, imò fortè nullis ſumptibus & expenſis veſtra ſanctitas poteſt aſſequi, in ſuppeditando videlicet & annichilando inimicos fidei Catholicæ capitales, maximè Soldanum Babyloniæ, Imperatoremque Tartarorum, qui degunt in partibus Aquilonis, *Husbecho* nomine vocitatum, qui valdè potens in multitudine gentium reputatur: Turchos etiam, qui Inſulas de Romania, ad Principatum *Amoreæ* quas Latini obtinent, pertinentes, ſine intermiſſione ſubuertunt. In exaltando inſuper Tartarum Imperatorem, qui in *Toriſio* & Perſia dominatur, quique prædictorum Soldani & Imperatoris Aquilonis inimicus capitalis exiſtit; & qui regnum Armeniæ, à Saracenis perfidis quandoque ſuis viribus defenſauit: conſiderando etiam, quod prædicta veſtra ſanctitas, in euellendo & diſſipando ſectam illam peſſimam, quam Mahumet nequiſſimus propagauit, exequi poterit ſecundùm quod per libros huiuſmodi vobis poterit apparere: & quòd Terram Sanctam promiſſionis cum aliis circumſtantibus poteritis, DEO agente, liberè & pacificè poſſidere: Græcorum quoque & aliorum Schiſmaticorum etiam obedientiam & reditum ad gremium piæ matris. Verè dicere poſſum, *ſitiuit anima mea præſentem*

ſentem diem, in qua totales libros, iuxta votum, valerem prædictæ ſanctitatis veſtræ pedibus præſentare: cùm vt eoſdem exequtioni mandarem quinquies transfretauerim vltra mare, quandoque in *Cyprum*, quandoque in *Armeniam*, quandoque in *Alexandriam*, quandoque verò in *Rodum*. Nihilominus, priusquàm ſuper dicta cauſa ſcribere ſum aggreſſus, vicibus multis extiteram in *Alexandria*, & *Acon*: non tamen contra inhibitionem Eccleſiaſticæ Sanctionis: in *Romania* verò maiorem partem temporis meæ vitæ peregi: Quare conditionem & ſtatum eius, maximè Principatus Amoreæ, me opinor benè noſſe. Nunc autem, vt dictos libros tutè ad culmen veſtræ Sanctitatis defertem, de *Venetiis*, per mare nauigans vſque *Brugis*; proinde per terram peragrans ad veſtram Curiam applicaui. Ideoque veſtra Sanctitas eos videbit vel videri faciet, vt libebit. Et ſpero in Altiſſimo Creatore, per famoſam ſcientiam & bonitatem veſtræ Sanctitatis vndique diuulgatam, quod ea agetis quæ erunt bona & vtilia huius rei. Pater Sanctiſſime, oraui & oro omnium conditorem, vt diu dignetur Sanctitatem veſtram ſeruare in Eccleſia ſua Sancta præſtetq; vobis gratiam exequendi ea quæ ſint eius laus, & gloria, & augmentum fidei Chriſtianæ. Ego enim ſemper veſtris præceptis obſequi ſum paratus, vt tenetur fidelis quilibet Chriſtianus.

DE PRIMO LIBRO OPERIS TERRÆ SANCTÆ.

PATER Sancte: inſpecto opere diligenter, nobis videtur quod ex continentia primi libri fiat congrua diſpoſitio ad Paſſagium: Et quod Soldani attenuantur redditus & debilitantur vires atq; potentia: Et quod ſpecies & neceſſaria, quæ habemus de terris Soldano ſubiectis, aliundè habere poſſumus. Et hoc videtur nobis per ea quæ facta ſunt antiquitus, & hodie ſimiliter agantur. Portantur enim de Taurifio & Baldach *per mare Maius, & per terram vſque in Armeniam minorem, ſolum remanet dubium de* Caſſia fiſtula *quam neſcimus alibi naſci, quàm in Aegypto. Ad hæc autem exequenda tria oſtendit fore neceſſaria. Primum eſt, quod inhibitiones Eccleſiæ fiant magis ſolito fortiores: quæ graues multùm videntur, ſed vtiles. Vbi autem dicit, part. 4. cap. 2. quod* transgreſſores ſicut hæretici, perſecutionem ſuſtineant. *e. cap. 7. quod* receptatores & fautores eorum *pœnã ſubſtineant, ſicut fautores hæreticorum: ad complementum negotij oporteret dare contra tales, inquiſitores & pœnam inflingentes. Item vbi dicit ibidem cap. 5.* nulli emant ſub pœnis prædictis mercimonia quæ præſumere poſſint, vel ſcirent veniſſe de partibus Soldano ſubiectis. *Nobis videtur ſubmouendum, quod hoc multorum conſcientiam ſæpè læderet & affligeret, maximè poſt factũ. Item in breui compendio dicit, quod* quilibet Rector vel dominus, aut commune terræ, ſub pœna maioris excommunicationis teneatur perſequi violatores Eccleſiaſtici ſtatuti. *Videtur nobis ſubmouendum eſſe* Commune, *quia vix vnquam communitas tota peccat, nec conſueuit excommunicari communitas. Item ibidem dicitur, quod* omnes ſcientes, ſub pœna excommunicationis, huiuſmodi violatores accuſare teneantur. *Hoc videtur nobis nimis durum, cùm nullius ſtatus vel conditionis perſona excipiatur. Secundum eſt quod* decem galeæ pro cuſtodia maris ponantur, *ſeptimo capit. eiuſdem quartæ partis: & poſteà deſcendit* ad ſeptem, *quæ tantum octo menſibus mare cuſtodiant. Nobis videtur quòd decem benè ſint neceſſariæ, & benè poſſunt ſufficere; ſed oportet quod toto tempore anni mare cuſto-*

diant, quia hodie nauigatur per mare in hyeme magis solito. Tertium est, quod ordinetur vnus Capitaneus, homo iustus & prudens & magni valoris. *Nobis videtur quod illi Capitaneo propter multa perplexa, quæ totâ die emergunt, dentur nobiles Consiliarij, homines boni & experti in negotiis maris, & consuetudinibus mercatorum, de quorum consilio in omnibus procedat. Alias si Capitaneus ex superbia vel auaritia, vel alia iniusta causa, honestos & bonos mercatores grauaret indebitè, totum negotium faciliter posset perire: & de hac materia tangitur in primo cap. libri secundi. Sufficere autem videtur, quòd quælibet galea haberet vnum Supracomitum notabilem virum.*

DE SECVNDO LIBRO.

De secundo libro, nobis videtur quod summa & conclusio primæ partis sit, quod Capitaneus secundi exercitus, *scilicet XV. millium hominum, & trecentorum equitum, ædificet in maritima Ægypti pro recipiendo passagio generali. De hoc dicimus quod ripariam illam non vidimus; bene tamen audiuimus eam esse talis conditionis, sicut in libro describitur. Et tunc placet nobis tota pars prima: salvo quod vbi tertio capitulo dicitur, quòd* Crux prædicetur secundo vel tertio anno: *nobis videtur dicendū, quod statim, factâ debitâ præparatione. Summa autem & conclusio secundæ partis est: quod* non per terram aut aliam aliquam viam ducendus est exercitus Domini, *sed* directè ad dictam maritimam Ægypti. *Hic ad ea quæ ibi dicuntur videtur nobis addendum; quòd* Sanctus Rex LVDOVICVS; *qui in primo sub passagio transiuit per Cyprum; in secundo, iam expertus quid expediebat, directè voluit ire in Aegyptum: quod autem in via declinauit in* Tunitium, *vbi & transiuit de terra ad cælum, causa fuit quia illi impediuerant primo deportationem victualium. Item dominus* Odoardus, *qui fuit Rex Angliæ, postquam experientiam habuit de locis & negotiis vltramarinis, legitur sic deliberasse: quia cogitabat primo inuadere Aegyptum; Secundo Terram Sanctam recuperare; Tertio Constantinopolitanum acquirere imperium & coronam. Summa & conclusio tertiæ partis est: quod* ibi Christiani bellatores locati & firmati, tutè consistere poterunt. *Hoc nobis verum videtur, præsuppositis quæ superius dicta sunt, maximè de maritima Aegypti. Pars quarta, continet de modis & instrumentis bellandi, & certis nauigiis, circa quæ profitemur ignorantiam; nec apti sumus ad iudicandum de illis: nobis tamen videntur bene & ordinatè dicta.*

DE LIBRO TERTIO.

Liber tertius historicus est, & præterita recitat ad cautelam futurorum. Et in penultima parte traduntur dispositiones regnorum Syriæ, & Aegypti, & maximè Terræ Sanctæ. Et in vltima ponuntur multæ exemplares ostensiones circa exercitus & cautelas bellorum: & in fine subditur regula Regum Ierusalem. Illa magis docent conseruare terram quàm acquirere, & prolixa sunt multum, ideo non examinauimus seriatim omnia. Videtur autem nobis aptè & laudabiliter procedere.

IN NO-

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
FILII DEI VIVI, AMEN.

RAMENBRANZE à la Royale Maieſté faite humblement & deuotement par *Marin Sanud*, dict *Torxel*, de Veniſe, lequel vous preſenta les liures & les mappemondes, pour conquerre & tenir la terre Saincte, & les terres circoſtans à icelle. Et dict que ce ſeroit plus legere choſe à voſtre haulte Maieſté d'auoir la Seigneurie du monde, & gagner Paradis, que ne fu à Alexandre, qui fu Sire du monde: en ſuiuant l'ordonnance & la maniere que cy apres s'enſuit.

Primò, Que voſtre haulte Seigneurie encommence la beſongne du voyage d'outre mer, en la maniere qu'il eſt ordonné; ou en la maniere qu'il plaira à voſtre haulte Seigneurie: & ſi ce ne ſe peult faire à preſent en tant grand quãtité de gens, qu'elle ſe face à tout le moings, de dix galées bien armées à C C L. hommes pour chaſcune galée, pour garder la mer; & trois cents hommes à cheual, & mille de pied de bonne gent, pour garder la terre *d'Armenie*. Car trop ſeroit grand dommage & grande honte à toute Chreſtienté, ſi celle terre ſe perdoit.

Secundò, Que vous procurez par deuers noſtre Saint Pere le Pape, qu'il enuoye ſes meſſages auecques les voſtres par toute Chreſtienté, que ſi comme la terre Saincte, doibt eſtre de feaux Chreſtiẽs, que chaſcun en ſoit requis: Et ſelon ce que chaſcun y mettra, il aura ſa part de la terre: Et que tout l'auoir, qui en ſera cuilly, ſoit mis en lieu ſeur & ſauf; & qu'il ne ſe puiſſe deſpendre qu'au Sainct voyage.

Tertiò, Qu'il plaiſe à voſtre haulte Seigneurie d'auoir amitié & compagnie auecques le Duc & commun de Veniſe.

Quartò, Que vous mettez pour vous Capitaine de l'oſt, qui qu'il vous ſemblera qui bon ſoit, & qu'il ſuiue l'ordonnance des liures que ie baillay à voſtre haulte Seigneurie.

Et ſi voſtre haulte Seigneurie faict ceſte choſe. Ie ne doubte pas, auec l'ayde de Dieu, que le Roy *Robert*, le Roy *Frederic* de Secille, & l'Empereur de Conſtantinoble, ſeront obeiſſants à vous en toutes choſes, qui ſeront raiſonnables. Et par ceſte voye pourrez vous conqueſter la Terre Saincte, & les autres terres circoſtans à icelle; & le remenant du monde ne ſe pourra defendre contre voſtre haulte Seigneurie: ſelon ce que vous pourrez veoir, par les liures & mappemondes deſſus dictes.

Au premier article reſpond ledit *Marin Sanut*: que ſi aucuns diſoient que l'armement fuſt trop petit, dict qu'auec l'aide de Dieu, ſeroit aſſez ſuffiſans pour ceſte achaiſon. Car il trouueront de là en *Cypre*, en *Rodes*, & és autres Iſles de Romanie, bien iuſques à dix galies bien armées, qui ſe mettront tous tens en la compagnie des vo-

ſtres. Et encores plus, les Iſles deſſus dictes pourront bien ayder d'autres dix galies, pour vng brief temps. Et encores ſe trueuent moult de fois delà la mer grand quantité de galies de marchands, dont l'on ſe pourroit aucunes fois bien ayder des autres dix : & ſpeciaument qui ordonneroit bien les marchands : ſi qu'auec l'aide de Dieu, la mer ſeroit bien gardée. Les Iſles de *Cypre* & de *Rodes* pourront bien aider *Armenie* continuellement de C C C L. hommes à cheual: & moult d'autres Chreſtiens qui orront ceſte choſe leur feront ſecours & ayde. Pour laquelle choſe, raiſonnablement la terre d'Armenie, de Cypre & de Rodes, & des autres Iſles de la mer ſeront defendues & gardées: & le pouuoir des entrées du Soudan affoiblira moult, dont il aura moult grand dommage. Et tous le peuple des *Francs Chreſtiens*, qui ſont deſeſperez de ce que aucune choſe ne ſe faict, ſe conforteront moult, & donneront plus largement du leur pour ſecourir & ayder la Terre Saincte. Et ſe aucune choſe ne ſe fait aſſez briement, li pueples des Chreſtiens ſera deſeſperé, & toute la Chreſtienté ſera en grand peril. Et ſpeciaument la Chreſtienté de delà, ſi voſtre haulte Seigneurie & beningnité n'y met briement remede & aide.

IN NO-

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

PRO COMMVNI BONO CHRISTIANITATIS TRIA sunt valdè necessaria, & ad præsens.

PRIMO, *quod assequretur prouincia Armeniæ.* SECVNDO, *quod fiant processus interra & inquisitores similiter vtriq; solum, hinc in posterum duraturi.* TERTIO, *quod armentur galeæ pro maris custodia facienda: Et in istis eo ordine procedatur, prout in libri serie continetur:*

QVOD si quis exigeret, *Quanta gens armigera securam redderet prouinciam Armeniæ:* Respondeo reuerenter, ego *Marinus Sanutus*, dictus *Torxellus*, de Venetiis: quòd cum trecentis equitibus milleq; peditibus, ac decem galeis benè munitis, per Romaniam stipendiatis Ecclesiam, muniretur. Et non solùm ea, sed etiam regnum *Cypri* & Insulæ *Romaniæ.* Nam adhibitâ mari custodiâ de galeis prædictis, & aliis quæ in aliis partibus haberentur, regnum Cypri de ducentis equitibus, dictæ Armeniæ posset continuũ destinare succursum. *Hospitale* tum propter diminutionem custodiæ Rodi Insulæ, tum de redditibus quos in Cypro & Armenia percipit posset largè dicto regno Armeniæ de CL. armatis equitibus subuenire. Aliiq; Catholici plurimi illuc, audito Ecclesiæ subsidio, properabunt. Et ipsi Armeni iuxta vires eorum tam de tributo quod subtraheretur Soldano, quàm de propriis facultatibus, tenere gentem armigeram conarentur: essetq; spes forsitan & non fallax, in fauore & auxilio Tartarorum, qui Persiæ & Caldeæ dominantur, licet pro maiori parte de Saracenica secta pestifera sint effecti: tamen credendum eos magis proprium quàm alienum commodum secuturos. Pro quibus omnibus exequẽdis CL. milia florenorum expenderet Ecclesia annuatim: & plusquam de vno milione florenorũ damnificaret in anno Soldanum: exceptis incommodis cæteris, quæ ipse & gens sibi subiecta tollerarent, ipsâ Ecclesiâ inquisitorum processus cum prædictis duntaxat nihilominus exequente.

Item si peteretur, *Quare Soldanus Babyloniæ toties percurrit prouinciam Armeniæ,* cùm sibi ab Armenis tributum impositũ persoluatur; ipsiusq; tributi maiores sunt reditus dicto Soldano & subditis quàm essent totius regni, respectu habito oneris quod incumberet expensarum. Respondeo, propter tria. Primum est, vt auferendo magnum cursum mercationum de Armenia in terram propriam ipsum trahat. Secundum est, quia inter *Turchiam*, quæ *Asia minor* vocatur, & terram subiectam Soldano, est media Armenia, quâ adeptâ Soldani potentiæ & Turchorum aliorumq; Saracenorum, qui sunt circa partes illas, inuicem munirentur: tuncque crederẽt posse resistere Tartaris, qui dominantur Persiæ & Caldeæ: propter quam vnionem complẽdam sæpissimè Saraceni plurimi sunt perempti, & nonnulli Tartari & Armeni. Tertium verò est, vt in vltramarinis partibus penitus Christianorum potentia annulletur: cui nisi, vt præmittitur, obuietur, dicta Armenia diu nequibit sub Christianorum dominio perdurare. Et non modò ipsa, sed Cypri regnum, & Rodus, magno subiacent periculo cum residuo Romaniæ. Et si, quod absit, dicti Soldanus & Turchi, vt prædicitur, iungerentur, haberet tunc auxilium Tartarorum, qui præsunt *Gazariæ* & aliis partibus Aquilonis, vt præsens eorum perhibet vnitas voluntatis: & verendum ne ad vlteriora postmodum se diffundant. Ideoq; vestra sancta prouidentia hiis apponet remedium, vt libebit.

HIC TITVLVS DIRIGITVR SOLDANO BABYLONIÆ A SVIS SVBDITIS.

SERENISSIMO, potentissimo & excellentissimo Domino Soldano *Naset*, Domino mundi, iusto Iudici, & forti apertori negotiorum occultorum, Domino Saracenorum, & Mulsimanorum, diligenti iustitiam mundi, Iudici obliquum recipientium ab improbis, & hereditatori regnorum, Soldano Araborum, Azimorum & Turcorum, apertori prouinciarum, expulsori exercituum Tartarorum, præsenti Alexandro, domino bonorum, Regi duorum marium, honorem exhibenti honoratis & benignis, despoto Regum & Soldanorum, Belphet, Mahumet filio Soldanorum, publicè Regi Mazut, ensi Regis Chalaon.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI FILII DEI VIVI, AMEN.

INCIPIVNT SECRETA TAM PRO CONSERVATIONE FIDELIVM, quàm propter conuersionem seu consumptionem Infidelium: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam, & alias multas terras. DEO dante, in bono statu pacifico & quieto.

SANCTISSIMO PATRI ET DOMINO, DOMINO I. SACROSANCTÆ ROMANÆ ET VNIVERSALIS ECCLESIÆ SVMMO PONTIFICI, Marinus Sanudo, *dictus* Torxellus, *de ciuitate* Riuoalti, *de cõsinio Sancti Seueri de Venetiis, cum reuerentia humili, pedum oscula beatorum. Ad Omnipotentis DEI & Domini nostri IESV CHRISTI honorem & gloriam, exaltationem quoq; fidei ipsius, & nominis Christiani, opus arduum laborum & vigiliarum assumpsi pro recuperatione ac retentione solito firmiori* Sanctæ Terræ *Promissionis, in qua humani generis creatio atq; redemptio facta leguntur, meritorum quoq; discussio fieri in posterum expectatur. In* Ebron *enim formatus est primus pater orbis terrarum* Adam. *In* Ierusalem *pro redimendo seruo, crucifixus est DOMINVS; pro peccatore, innocens; pro limo, DEVS. Illuc propè,* Ioele *teste, congregabit Dominus omnes gentes, & adducet eas in vallem* Iosaphat, *& disceptabit cum eis. Ad amorem proindè, conquisitionem, & visitationem electæ & Sanctæ Terræ illius, cor cuiusq; fidelis moueat, amor patris, & patriæ; beneficium, & reuerentia Maiestatis Diuinæ; timor ac tremor iudicij, & discussionis extremæ. Attrahit certè amor originalis principij: ideò natus Agnus, continuò matrem petit & vbera: & ad mare vnde exierunt flumina, continuè reuertuntur: quin potius* magnes *attrahit ferrum, quia nobiliori modo in magnete virtus sui principii poliarticireperitur. Igitur fidelis maximè insurdâ aure percipiat quod Iacob dicitur Gen. xxxi.* Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationẽ tuam. *Reddit illuc generatio praua atq; peruersa generatio, quæ non direxit cor suum, nec creditus est cum DEO spiritus eius; & quasi aspis surdescit vsq; nunc*

Zoel. 3, 12.

generatio

neratio Christiana. Moueat quoq; meritò gratitudinis beneficium & reuerentia Redemptoris: qui dum ibi Crucem, quasi nauem, ascendit, redemptis suo sanguine transfretandi ac crucem sumendi necessitatem ostendit, propterea dicebat. (Luc. 14.) Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Ideoq; pulchrè in figura, ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius, (Matth. 8.) Sic enim ascendit Iesus nauiculam, sequenti capitulo; & venit in ciuitatem suam; ad quam transire non possumus sine cruce naue. Impellat deniq; terror ac tremor stricti examinis; vbi Iudex iratus, cui nuda sunt omnia & aperta, etiam Ierusalem (Soph. 1.) scrutabitur in lucernis. Quid tutum putas erit in Babylone, quando in Ierusalem, ne lateat, macula perquiritur in lucerna? Ad vallem Iosaphat citabit vox Archangelica, dicens, Surgite mortui, venite ad iudicium. Properemus illuc transire, aut corpore proprio, aut subuentionis beneficio: quia melius est præuenire, quàm præueniri: portionem terræ illius procuremus habere, aut belli aut emptionis iure, vt in die iudicij inueniamur ibi non hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum & Domestici DEI. Qui enim, (Zachar. 15.) non ascenderunt de familiis terræ ad Ierusalem, vt adorent Regem dominum exercituum, non erit super eos imber: *supple*, benedictionis diuinæ. Horum igitur tam iustâ consideratione permotus, opus præsens Sanctæ Terræ promissionis formare curaui; libris ac partibus capitulisque aptè distinguere; & sacratissimæ Apostolicæ sedis culmini præsentare: vt defectus, si qui apparuerint, corrigat, & vtilia promoueat ad DEI honorem & Ecclesiæ suæ Sanctæ. Partitur autem totale opus ad honorem Sanctæ Trinitatis, in tres libros: Nam sicut infirmanti corpori summa cum diligentia tria impartiri curamus: Primò, Syrupum ad præuiam dispositionem, quia actus actiuorum non sunt nisi in patiente dispositio: Secundò, congruam medicinam, quæ morbum expellat & sanitatem inducat: Tertiò, ad conseruandam sanitatem debitum vitæ regimen, quo nociua, etiam quantumcumq; delectabilia, cauemus; salubria verò, etiam amara, amplectimur. Sic conformiter continet liber primus dispositionem, quasi Syrupum, ad liberandam, & vt ita dicam, sanandam Terram Sanctam promissionis, quæ diu quasi paralitica & infirma, sub dominio iacuit perfidæ nationis. Secundus autem liber, sanitatem & perfectam liberationem inducit. Tertius verò perfectè conseruare docet, ne infidelium dominio subiiciatur de cætero. Libri autem diuiduntur in Partes quasdam generales, vt eorum sententia possit breuiter & summariè comprehendi: Partes verò in Capitula partiuntur, vt de singulis distinctè & clarè pateat quod tractatur. Sic in singularibus ex vniuersalibus prouenire oportet: primo Physicorum. Rubricæ verò prædictorum librorum, partium, ac capitulorum hoc modo sequuntur.

Sophon. 1.

INCIPIT LIBER PRIMVS OPERIS TERRÆ SANCTÆ, CONTINENS DISPOSITIONEM AC PRÆparationem ad Terram Sanctam recuperandam: habens partes quinque.

PARS PRIMA, continet modum debilitandi Soldani potentiam, ostendendo quomodo fideles Christiani possunt habere mercimonia eis necessaria, absq; eo quod ad terras Soldano subiectas habeatur accessus: declarando ingētia grauamina & damna quæ infideles Soldano subiecti sustinerent, si per nostrum mare non transfretaretur ad eos: habens capitula sex.

Capitulum primum continet causas vtilitatum obuenientium Soldano, & populo eius occasione mercationum de India, nomina quoque portuum vnde transferuntur; ac modum quo subtrahi possunt à districtu Soldani.

II. Continet quomodo ea quæ nascentur sub dominio Soldani, nobis necessaria, de terris Christianorum haberi possunt.

III. Continet de dactylis, cassia fistula, lino, & laboreriis impediendis: ne de Aegypto per nostrum mare portentur, in quibus Soldanus & gens sibi subiecta multam consequuntur vtilitatem.

IV. Continet damnum quod consequitur Soldano & genti sibi subiectæ, si aurum argentum, ferrum, & cætera metalla, & quædam similia non portentur eisdem.

V. Continet dispēdium ac damnum quod Saraceni consequentur, si de terris Christianorum victualia, & alia multa non portarentur ad eos.

VI. Continet, cum aliquali descriptione terræ Aegypti, damnum immensum, quod cōsequentur Aegyptij, si lignamina, & cætera pro nauigijs necessaria non deferantur ad eos.

SECVNDA PARS, continet certam experiētiam quomodo iam debilitata est aliqua pars Soldano subiecta: habens capitula duo.

I. Continet quomodo dominium Soldani vltra desertum versus Armeniam, *& in contratis Syriæ est diminutum in diuitijs.*

II. Continet quomodo in prædictis terris dominium Soldani diminutum est, quantum ad habitatores, & maximè in viris bellatoribus.

TERTIA PARS cōtinet quædam necessaria valdè Saracenis, quæ ab aliis oportet eos acquirere: habens capitula duo.

I. Continet causam prohibitionis ne lignamina, & cætera ad nauigium pertinentia, Saracenis terræ Aegypti portari debeant.

II. Continet quomodo Saraceni terræ Aegypti, pro defensione districtus sui, procurant sibi portari de alienis partibus pueros & puellas.

QVARTA PARS, continet quomodo necesse est nouum modum prohibitionis inueniri magis soliro exquisitum; nec non galeas aliquas præparari, tam pro conseruatione vltramarinorum Fidelium, quàm Saracenorum dispendio: ostendendo etiam qualiter potest distringi quod per mare Mediterraneum, ad partes Soldano subiectas minimè transfretetur: habens capitula VII.

I. Continet causam quare sine distinctione omnis mercatio, & omnis accessus ad Saracenos Soldano subiectos, prohiberi debeat.

II. Continet causam quare oportet statuere quod vbiq;, non solum in mari, sed etiam in terra, à cunctis fidelibus persecutionem sustineant transgressores mandati Ecclesiæ in hac parte.

III. Continet necessitatem remouendi cursum mercium, quæ de terris Soldano subiectis portari consueuerunt à tota Africa, & de tota Hispania, vbi habitant Agareni.

IV. Continet causam quare eadem prohibitio debeat fieri versus partem Borealem à fluminе Saleph *vsq; in* Aniam.

V. Continet causam prohibitionis, cur nullus fidelis emere debeat de mercimoniis, portatis per quoscumque, de districtu Soldani.

VI. Continet pœnam Dominis siue Rectoribus terrarum vel communitatibus inferendam, qui aliquos, cōtra prædicta facientes, in suis portubus aut terris receperint.

VII. De maris custodia, & primo apparatu, vel exercitu Christiano; de modo quoq; armandi ac summa expensarum.

QVIN-

QVINTA PARS continet rationabilia motiua, cur Ecclesia in prædictis sollicita esse debet: habens capitula tria.

I. Continet allectiuum ad prosequendum prædicta, ratione negotij inchoati.

II. Continet implorationem piam auxilij pro vltramarinis Fidelibus, terrisq; eorum ac regnis.

III. Continet prædictorum Epilogum, & totius huius primi libri conclusionem.

INCIPIT LIBER SECVNDVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS VIAS ET MODOS QVIBVS Aptè & expeditè Terra Sancta recuperetur: habens partes quatuor.

PARS PRIMA, continet formam & ordinem secundi exercitus Christiani: habens capitula quatuor.

I. Continet quomodo vnus præfici debeat Capitaneus, & quales conditiones habere debeat; quot etiam in societate sua habere oportet, & vbi debeat applicare.

II. Continet quæ natio maritima vlterior sit ad huiusmodi expedienda negotia.

III. Continet præparationem nauigij, & aliorum necessariorum pro sequenti vniuersali Passagio, præparationem quoq; victualium: & de Tartarorum amicitia procuranda.

IV. De summa expensarum in tenendo exercitum prædictum, XV. milia peditum, & CCC. equitum & rationabili profectu eorum.

SECVNDA PARS, continet tam reprobationem itinerum quæ videntur aliquibus per stolum Ecclesiæ faciendam; quam rationem ostensiuam, quod iter maritimum de Ægypto sit potius eligendum: habens capitula decem.

I. Continet quod stolus Ecclesiæ per terram nullatenus est ducendus.

II. Aduersum quorundam consilium dicentium quod stolus præfatus descendere debeat super terram Armeniæ, vel Syriæ, siue Ierosolymæ Terræ Sanctæ.

III. Continet improbationem dicentium in Cyprum dictum Passagium descensurum.

IV. De fortilitio, & cæteris pertinētibus ad prædictum; ac de sanctissimo Domino, qui cum suis fratribus cōtinuè meditatur qualiter suorum subditorum & fidelium valeat exercitum congregare, vt dictum possit fortilitium adipisci; ac de eo quod actum fuit tempore retroacto pro dicto fortilitio conquirendo; ac de illo quod pro eodem de cætero videbitur faciendum.

V. De arbore & aliis pertinētibus ad eandem; ac de fontibus irrigantibus antedictam, & de fructibus nascentibus sub prædicta; & de illis, qui vadunt accepturi dictos fructus; nec non de sanctissimis dominis, qui eam noluerunt & nolunt radicitus extirpare; & de eo quod hucusq; est actum, & quod fuerit in posterum faciendum.

VI. De declaratione fortilitij antedicti, & de iis quæ pertinent ad prædictum.

VII. De declaratione arboris, & quæ pertinent ad eandem.

VIII. Continet exemplarem ostensionem quod in Aegypto primò bellandum est contra Saracenos, pro recuperatione Terræ Sanctæ, per ea quæ gesta sunt inter Venetos *& dominum* Patriarcham Aquilegiensem *pro facto* Istriæ.

IX. Continet huius propositi euidentem demonstrationem, per ea quæ gesta sunt in Aegypto, tempore Sancti Lodouici Regis *Fraciæ, & duorum Regum Ierusalem.*

X. De euentibus, qui mandando executioni quod superius est narratum, rationabiliter emergere debent, cum auxilio Iesu Christi.

TERTIA PARS, cōtinet securi status ædificantium in maritima Ægypti, & aptitudinis ad bellandum contra Saracenos exemplarem demonstrationem: habens capitula quatuor.

I. Continet quam securi poterunt Christiani consistere in fortilitiis Aegyptiæ maritimæ: exemplo maritimæ Venetorum, quæ sub tempestuosis procellis Gallorum, Afrorum, Cyprorum, Attilæ, & Longobardorum, & aliorum illæsa permansit.

II. Continet quàm aptè Christiani in maritima prædicta Aegypti à vicinis Saracenis poterunt se tueri, exemplo Venetæ nationis.

III. Continet qualiter Crucesignati Aegyptios lædere poterūt, & exemplo eorum quæ Veneti gesserunt in ciuitatibus, & locis super stagna & flumina constitutis.

IV. Continet cōueniētem satisfactionem ad quædam dubia quæ mouentur.

QVARTA PARS, cõtinet ſtylum, modum & ordinem ac probabilia argumenta ſuper bellicoſis euentibus & aliis cõtingentibus quibuscumq; ad dictum Terræ Sanctæ negotium feliciter exequendum; & quod *Agareni & Schiſmatici* contra Eccleſiæ potentiam, terram rationabiliter defendere non valebunt: habens capitula XXIX.

Cap. I. De quibuſdam argumentis quæ obiiciuntur contra potentiam exercitus Chriſtiani, ne poſsit ad finem gratuitum peruenire; & de ſolutionibus eorumdem.

II. In quo inſeruntur certa aliqua argumenta ſuper eo quod Soldanus ex poſſe ſuo poſſet in Nili flumine operari; & de ſolutionibus etiam prædictorum.

III. De quibuſdam exemplis Cyri Regis Perſarum; & de certis documentis pro exercitu Chriſtianorum.

IV. De quadam quæſtione, quæ ponitur, vtrum Saraceni propter multitudinem nauigiorum, quam habent in flumine Nili poſſent Chriſticolarum exercitui obuiare; & de ſolutione ipſius.

V. De prouiſione, tutela & proficuo nauigij exercitus Chriſtiani.

VI. In quo continetur cuiuſmodi formæ fore debent nauigia, quæ ad tranſgrediendum mare vtilia poſſint eſſe, vt Aegyptiæ terræ negotium laudabiliter terminetur.

VII. De nauibus quæ aptæ ſunt ad conducendum victualia, & alia exercitui oportuna, tam per mare quàm per flumina; ac de forma modoq; nauigiorum aquæ dulcis, quæ ſunt vtiliora ad perficiendum negotium antedictum.

VIII. De diuerſis armorum generibus, quibus tam ad ſui defenſionẽ, quàm ad hoſtiũ offenſionem, Chriſticolarum exercitus indigebit.

IX. Qualiter gens præfati exercitus à Capitaneo debeat ordinari; & qualiter victus diſtribuendus prædictis, bono modo & recto ordine impendatur.

X. De quantitate victus & modo quem tenent Veneti diſtribuendo victualia ſuarum ſtipendiariis galearum; & de numero gentis, temporibus, ponderibus & menſuris, & de eo quod rationabiliter valere poſſunt.

XI. De numero nauigiorum maris, eorumdemq; forma, quibus in principio indigebit exercitus Chriſtianus, ad terram in Aegyptiaca maritima capiendam; & quomodo per Capitaneum debeant ordinari.

XII. De tempore, ordine & induſtria incidendi lignamina ad nauigia facienda, & ad conſeruandum prædicta vt fiant velociora, & maximè ad rẽmos nauigium communitum.

XIII. De aliis nauigiis, quibus prædictus exercitus indigebit, ad ferendum victualia & alia opportuna pro Cruce ſignatis venturis; & de locis & eorum nominibus; & de numero & ordine qualiter victualia prælibata, de locis præfatis extrahi poterunt & haberi: rationabiliter etiam oſtendendo quòd nauigium iſtud, vt proprium ſit Eccleſiæ Sanctæ DEI, nec oportunum nec vtile comprobatur.

XIV. In quo oſtenditur qualiter ad Aegypti maritimam transfretando, ipſius claritas, & aeris bonitas cognoſcuntur; & qualiter bonitas ipſius aeris comprobatur, ex auellanis exemplum verificum aſſumendo; & de aquarum eiuſdem etiam bonitate.

XV. eſt, cuiuſmodi conditionis debeant fore gentes ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtipendium admittendæ, cauſa iſtius negotij finiendi.

XVI. De modo & manerie renouandi gentes exercitus antedicti: & de ægrotantium habitaculo in prædicto, & prouiſione eiuſdem; ac etiam de mulieribus quæ matrimonialiter viris extiterint copulatæ ac earum viduitate, eorumdemq; heredibus; nec non de prouiſione cæteris facienda.

XVII. De locis & partibus vnde haberi poterunt boni nautæ, pro nauigiis aquæ dulcis, & aquæ ſalitæ etiam gubernandis.

XVIII. De nautis habitantibus in extremitatibus Alamaniæ, *qui boni & vtiles rationabiliter eſſe debent ad conſulendum & præſtandum ſuffragium ad prædicta.*

XIX. De Crucis prædicatione; & de variis generibus hominum armatorum quibus exercitus indiget ſupradictus, ad dictam terram Aegyptiam conquirendam.

XX. De numero hominum quo eget vnaquæq; galea, vt ipſa congruè muniatur, ac eiuſdem officiis, miniſteriis, tempore, ſtipendio; & de ſumptu victus, ac ſtipendio CCC. equitum.

XXI. De quibuſdam declarationibus & commemorationibus, ac ſuper dicta armata ordinibus & caſtelis.

XXII. De induſtria faciendi arma, & potiſsimè de conſtruendis machinis & baliſtis, quæ à longè machinent & baliſtent; ac de perficiendo totum, quod ſpectare dignoſcitur ad prædicta.

XXIII. In quo continetur qualiter ſtipendiarij Sanctæ matris Eccleſiæ, poſtquam terram in Aegypti maritima ceperint, antequam ad dictum locum perueniant homines

Cruce-

Cruce signati, poterunt cum eorum galeis & lignis schismaticos & infideles affligere, ac ipsis inferre damna quamplurima & tacturas.

XXIV. De quibusdam præuisionibus, ordinibus & cautelis, quæ sunt ad naualem exercitum opportunæ.

XXV. Continet descriptionem Riperiæ maritimæ Soldano subiectæ, & propriorũ nominum de maritima terrarum & portuum ac Insularum siccarum & milium, quanto differunt vna ab alia; & similiter partium terrarum Regis Tunisii, *quæ quidem ad prædictã riperiam confinia participant.*

XXVI. Contratæ maritimæ, cui Rex Armeniæ dominatur à confinibus subiectis Soldano; ac etiam partibus Turchiæ à latere Septentrionis.

XXVII. De Cruce signatis à Sancta Romana Ecclesia stipendiatis, cum ad Christicolarum exercitum applicauerint de Aegypto, quod Nili flumini debeant rationabiliter dominari: in quo etiam ostenditur qualiter Raxeti *Insulam poterunt occupare; & de numero prædictorum, ac quanto poterunt deconstare: ostendendo præterea quod infideles rationabiliter Christi fideles terram Aegypti relinquere compellentur.*

XXVIII. In quo quædam petitiones & argumenta contra Christicolarum potentiam opponũtur: videlicet, quod terra Aegyptia subiugata, quomodo terram Ierosolymæ atq; Syriæ aduersus Soldani potentiam & Tartarorum: ac etiam infidelium cæterorum, Christiani sibi poterunt vsurpare: & de ipsorum solutione facta propter adiacentias Ierosolymæ atq; Syriæ antedictæ; nec non & de Tartarorum amicitia procuranda.

XXIX. De quodam memoriali pertinẽte dominis, qui super factis armorum bellicis intẽdant sagaciter, & perspicaciter meditentur.

INCIPIT LIBER TERTIVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS INFALLIBILEM ET VERAM DOctrinam conseruandi ac tenẽdi & possidendi Sanctam Terram Promissionis, contra insultus infidelium quorumcunq; postquam de manibus Saracenorum fuerit conquisita: habens partes xv.

PARS PRIMA continet quàm variis nationibus subiecta fuerit Terra Promissionis: habens cap. XIV.

I. Continet causas cur Terra Promissionis exposita sit omni nationi; & quare tam frequenter aut afflicti aut de terra eiecti sunt habitatores ipsius.

II. Continet quomodo filij Cham *terram promissionis primo incoluerunt, & cur inde expulsi sunt.*

III. Continet quomodo populus Israel, *qui de Sem per Abraham descendit, Terram Promissionis incoluit, expulsis inde aut in seruitutem redactis filiis Cham.*

IV. Continet qualiter dicti filij Sem *sub* XIV. *Iudicibus se habuerunt.*

V. Continet quomodo prædictus populus cepit habere Reges; & quomodo regnum illud diuisum est in duo, scilicet, Iuda & decem Triduum; *ac finem secundi regni.*

VI. Continet processum & terminum regni Iuda, siue Ierusalem.

VII. Continet mortem Ieremiæ, & Ezechielis; *& captionem reliquarum partiũ Iudæ in Aegypto; & qualiter* Cyrus *obtinuit Babylonem.*

VIII. Captiuitatis relaxationem ac reditum sub Iesu *magno sacerdote, inchoatã quoque Templi reædificationem.*

IX. Continet gesta Iudith, Esdræ, Nehemiæ & Esther, *sub sacerdote Ioachim Elia, sub & Iuda.*

X. Continet inuidiam in Iohannem *Sacerdotem, & successorem* Iadum; *mortemq; Alexandri, tempore* Oniæ; & Ptolomæi *persecutionem in Iudæos: translationem quoq; Diuinæ legis per* LXX. *interpretes, tempore* Eleazari *Sacerdotis.*

XI. Continet Iudæorum diuisionem sub Onia, *contra se bellantibus Syria & Aegypto, ac persecutionem Regum Syriæ,* Seleuchi, & Antiochi *in Iudæos; ac depositionem & mortem alterius* Oniæ; *mira quoq;* Machabeorum *gesta.*

XII. Continet qualiter in Terra Promissionis iterum Reges regnare cœperunt.

XIII. Continet crudelis persecutionis Iudæorum scelus in Christum, & Apostolos.

XIV. Cõtinet Ierusalem destructionem, Iudæorumq; de regione illa expulsionem per filios Iaphet, siue Romanos.

SECVNDA PARS continet initia Orientalis Ecclesiæ: habens cap. IV.

I. Continet gloriosum profectum Orientalis Ecclesiæ.

II. Continet teporem pristini feruoris Ecclesiæ; & afflictionem per Cosroe *consequenter illatam.*

III. Continet victoriam Heraclii *contra Cosroe.*

IV. Continet Heraclij reditum, ac reportationem Sanctæ Crucis in Ierusalem.

TERTIA PARS continet Orientalis Ecclesiæ Mahumeticam persecutionem eiusq; anxium statum, vsque ad primum Passagium Gotifredi, & Petri Eremitæ: habens cap. VIII.

I. Continet lapsum Heraclij in hæresim, & Terræ Sanctæ vastationem per Humar *&* Mahumet.

II. Continet seductoris Mahumet initia vilia, & modum dominij acquisiti.

III. Cõtinet Mahumet latrocinia, carnalia q; peccata.

IV. Continet Mahumeticæ legis aliqua abusiua.

V. Continet qualiter fuit pseudopropheta, eiusq; mortem: & quomodo in plures eius dominium est diuisum.

VI. Continet qualiter ad subuentionem Terræ Sanctæ Carolus Magnus *profectus est.*

VII. Continet Caroli reditum, & reliquiarum deportationem.

VIII. Continet deteriorem statum Terræ Promissionis, maximè propter vastationem Constantinopolitani Imperij.

QVARTA PARS continet commotionẽ mirabilem Occidentalium populorum ad Terræ Sanctæ liberationem, tempore Petri Eremitæ: habens capit. XIV.

I. Continet piam auxilij implorationem, initium quoq; postulatæ salutis.

II. Continet celerem Passagij congregationem.

III. Continet peregrinationem Gualterii, *& suæ comitiuæ vsq; Constantinopolim.*

IV. Continet peregrinationem Petri Eremitæ, *cum innumerabili multitudine populi vsq; Constantinopolim.*

V. Continet gesta dictorum Peregrinorũ vltra mare Helespontum, quod dicitur Brachium Sancti Georgii.

VI. Continet destructionem inordinatæ multitudinis Theutonicorum, sub sacerdote Condescauco *peregrinantis.*

VII. Continet confusionem popularis multitudinis peregrinantis sine vllo principali ductore.

VIII. Continet peregrinationem ac captionem Hugonis magni; *& qualiter* Boamundus *ad peregrinandum animatus est.*

IX. Continet peregrinationem Gotifredi, *ac Hugonis magni liberationem.*

X. Continet rixas, & sequentem concordiam Peregrinorum cum Imperatore Constantinopolitano.

XI. Continet viam Boamundi *in Constantinopolim.*

XII. Cõtinet viã Comitis Tholosani *ac suorum, & quæ cum Imperatore gessit.*

XIII. Continet Nicenæ *ciuitatis captionem, & vltimorum Baronum aduentum.*

XIV. Cõtinet diuisionem Peregrinorũ ab inuicem, insultum quoq; Turchorum in eos.

QVINTA PARS continet victorias peregrinorũ in regno Ierosolymitano, & eorum discrimina vsque ad tempora Regum: habens capitula octo.

I. Continet Tancredi *&* Balduini *victorias, dum cunctos præcedunt; mutuamq; discordiam, ac pacis reformationem.*

II. Continet prosperos successus Balduini *in parte Septentrionali.*

III. Continet itinera magni exercitus versus Antiochiam.

IV. Continet descriptionem Antiochiæ, ciuitatis, eiusq; obsidionem.

V. Continet insultus & cautelas varias tam obsidentium, quàm ciuium obsessorum.

VI. Continet Antiochiæ captionem, & inuẽtionem Lanceæ Saluatoris, & victoriam Corbagat.

VII. Continet itinera Peregrinorum in Ierusalem.

VIII. Continet obsidionem Ierusalem, & qualiter capta fuit.

SEXTA PARS continet plenam Terræ Sanctæ liberationẽ, ac regni Ierosolymitani sub Latinis Regibus dilatationem: habens cap. XXIV.

I. Continet qualiter Gotifredus *Rex Ierusalem electus est, eiusq; pietatem circa DEI cultum.*

II. Cõtinet victoriam Peregrinis à DEO datam contra innumerabilem multitudinem perfidæ nationis.

III. Continet reditum Peregrinantium; paucorumq; remanentium, miram virtutem in capiẽdo Ioppen, Ramulã, Porphyrã: *& qualiter* Patriarcha *iurisdictionem in quarta parte ciuitatis Sanctæ obtinuit.*

IV. Continet Balduini *primi coronationem, captionẽ* Assur *&* Cæsareę, *geminamq; de* Ægyptiis *victoriam; & captionem* Tortosæ *&* Acon.

V. Continet gesta in Comitatu Edissano, *& Principatibus* Antiocheno *&* Galileę.

VI. Continet captionem Biblii, *&* Tripolis; *fictionem etiam* Balduini; *& mortem* Tancredi, *&* Beltrandi.

VII. Con-

VII. Continet Iocellini *fortunam*; & Rogerii *victoriam contra Turchos.*

VIII. Continet Montis Regalis *ædificationem*, & *munitionis quæ* Scandalium *dicitur*; *mortemq; Regis.*

IX. Continet Balduini secundi *Regis electionem.*

X. Continet Regis victoriam contra Turchos; *eiusq; captionem*, & *Comitis* Iocellini.

XI. Continet victoriam contra Turchos; & *pacta Surianorum cum* Duce Venetiarum.

XII. Continet Tyri *conditionem*, & *situm*, *ac captionem.*

XIII. Continet Regis liberationem, *magnas quoq; victorias contra Turchos.*

XIV. Continet Boamundi, & *Regis mortem*; & *sublimationem* Fulconis tertii *Regis Ierusalem.*

XV. Continet honorabilē Iocellini *mortem*, & *magnam Regis victoriam*; *duorumq; ædificationem castrorum.*

XVI. Continet mortē Tripolitani Comitis; & *aduentum Constantinopolitani Imperatoris contra Antiochiam.*

XVII. Continet quædam Imperatoris itinera ac mortem; & Bellinæ *ciuitatis captionem.*

XVIII. Continet laudem Regum, atque victorias; *ordinem quoq; totius maritimæ regionis*, & *mortem Regis Fulconis.*

XIX. Continet quædam gesta Balduini quarti *Regis Ierusalem*; & *transfretationem Imperatoris* Conradi, & Lodouici *Regis Franciæ*, *cassumq; laborem.*

XX. Continet mortem Principum Antiocheni, & *Tripolitani*, *ac Balduini Regis*; & *plures Turchorum insultus.*

XXI. Continet victoriā Almerici *contra Babylonios*; *deinde confœderationem cum eis contra* Soldanū Damasci; & *quædam Antiochiæ gesta*, *atq;* Calyphæ Ægyptii *gloriam.*

XXII. Continet obsidionem Cayri, & *etiam* Damiatæ.

XXIII. Continet Almerici Regis feruorem pro regni tutela, *ac mortem*; & *qualiter* Arsasidæ *conuerti voluerunt ad fidem.*

XXIV. Continet gesta Balduini sexti *Regis*; *mortem quoq;* Balduini paruuli *septimi Regis inuncti*; & *occasionem dissensionis in regno*, *propter creationem* Guidonis *Regis octaui.*

SEPTIMA PARS continet floridum statum Terrę Promissionis tempore Latinorū Regum: habens cap. III.

I. Continet quomodo Terra Promissionis floruit in Principibus, & *Baronibus.*

II. Continet quomodo Terra Sanctæ Promissionis floruit in Clericis & *Prælatis*, & *descriptionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.*

III. Cōtinet quomodo Terra Sanctæ Promissionis floruit in religiosis, *pœnitentiam agentibus*, *contemplatiuis.*

OCTAVA PARS continet causas desolationis & amissionis Terrę Sāctę Promissionis, factæ tempore *Saladini*: habens capitula sex.

I. Continet Græcorum *ritum*, *ac* Surianorum *in Terra Promissionis habitantium.*

II. Continet eorum mores, *qui* Pollani, & Maronitę *dicuntur.*

III. Continet eorum ritus & mores, *qui* Armeni & Georgiani *dicuntur.*

IV. Continet ritus & mores Iacobitarum, & Nestorianorum, & Mosrabum.

V. Continet multorum Occidētalium ad Terram Sanctam concurrētium prauitatem.

VI. Continet cleri, *ac regularis status depranationem.*

NONA PARS continet amissionem Terrę Sanctę factam tempore Saladini: habens capitula octo.

I. Continet Diuinæ iustitiæ æquitatem in Terræ Sanctæ habitatores indignos.

II. Continet Edissani *Comitatus & infelicis Comitis illius captionem*, *castri quoque* Aaranch, & Paneadis *ciuitatis.*

III. Continet modum quomodo Saladinus *regnauit super duo regna Aegypti videlicet & Damasci.*

IV. Continet prohibitionem Lateranēsis Concilii *deferendi arma*, & *huiusmodi*, *Saracenis*; *lugubremq; stragem populi Christiani per Saladinum illatam.*

V. Continet amissionem quasi totius maritimæ.

VI. Continet amissionem Ciuitatis Sanctæ Ierusalem, & Ascalonis.

VII. Continet lamentationem super desolatione Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

VIII. Continet qualiter Tyrum *Saladinus obsedit.*

DECIMA PARS continet succursum Terrę Sanctę ab Occiduis regionibus exhibitum tempore Saladini: habens capitula IX.

I. Continet miram commotionem Occidentaliū populorum; *ac solicitudinē summorum Pontificum ad Passagium ordinandum.*

II. Continet Imperatoris *Romani trāsfretationem*, & *mortem*: *obsidionem quoque* Ptolomaydę *per* Guidonem *Regem Ierusalem.*

III. Continet aduenientia tam Christianis, quàm Saracenis auxilia, & graues euentus.

IV. Cõtinet aduentum Regũ Franciæ, & Angliæ; *& captionem ciuitatis Ptolomaydæ.*

V. Continet conditionem maritimæ regionis; infelicem quoq; diuisionem Christianorum Regum; ac Franciæ Regis discessum.

VI. Continet qualiter ad obsidendum Ierusalem *processit populus Christianus, & cur à proposito diuertit: reædificationem quoq;* Ascalonæ & Dari.

VII. Continet promotionem Guidonis *ad* Cypri *dominium.*

VIII. Continet recessum Regis Angliæ, coronationem quoq; primi Regis Armeniæ; *peregrinationem Alamannorum, & mortem Saladini; administrationem quoq; Terræ Sanctæ deuolutam ad* Almericum *Cypri Regem.*

IX. Continet diuisionem ac schisma gentis Saracenæ, & treuguarum deformationem.

VNDECIMA PARS continet Passagia, variumque statum ac dominia Terræ Promissionis, à morte Saladini vsque ad transitum Sancti Lodouici: habens cap. XVI.

I. Continet qualiter prædicante Fulcone, *multi Crucesignati vltra mare profecti sunt.*

II. Continet fractionem treuguarum per Saracenos inchoatam.

III. Cõtinet debilitationẽ exercitus Christiani, ac reformationem treuguarum; mortem quoq. Almerici *Regis; & consilium habitum de sponsanda puella cui regnum debebatur.*

IV. Continet contracta matrimonia inter Reginam Ierusalem, & Iohannem *Comitem* Brenensem; *Regem quoque Cypri &* Mariam Isabellis *filiam; ac fractionẽ treuguarum.*

V. Continet Iohannis Brenensis Comitis aduentum ac coronationem; insultum quoque Saracenorum contra Ptolomaydam, & Christianorum in eos.

VI. Continet cõgregationem Passagij generalis apud Ptolomaydam, & quæ gesserunt in Terra Promissionis.

VII. Continet Damiatæ *obsidionem, æmulationem quoq; inter Legatum & Regem; & amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.*

VIII. Continet Damiatæ captionem, celeremq; in vitia lapsum.

IX. Continet incidentia quædam, & cõfusionem Christiani populi, & Damiatæ amissionem.

X. Continet affectuosam solicitudinem summi Pontificis & Cardinalium ad Terræ Sanctæ succursum: translationem quoq; regni Ierosolymitani ad Conradum *Frederici Imperatoris filium.*

XI. Continet tenuem Imperatoris contra voluntatem Ecclesiæ transfretationem, & quæ gessit in Insula Cypri.

XII. Continet gesta Imperatoris in Terra Promissionis, & treuguarum formam.

XIII. Cõtinet requisitionem factam Imperatori, de mittendo filio suo Conrado ad regnum Ierusalem; & praui transmissionem Bailiui.

XIV. Continet reuocationem concordiæ pertractatæ inter illos de regno Ierusalem, & Fredericum Imperatorem.

XV. Continet transfretationem Regis Nauarræ; *& aliarum treuguarum reformationem.*

XVI. Continet transfretationem Ricardi *Comitis Cornubiæ: translationem quoq; regni Ierosolymitani in Reginam* Aylisiam.

DVODECIMA PARS continet Passagia *Sancti Lodouici* Regis Franciæ: varia quoque & continua Terræ Sanctæ grauamina, donec ex ea Christianitas vniuersa delecta est: habens capitula XXII.

I. Continet qualiter Lodouicus *Rex Franciæ Crucem assumpsit; debellationem etiam peregrinorum in Terra Sancta & amissionem Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.*

II. Continet transfretationem Regis Lodouici, & Damiatæ *captionem.*

III. Continet captionem Regis Lodouici; & qualiter Damiata est reddita Saracenis.

IV. Continet statum Terræ Promissionis, eo tempore quo fuit ibi Rex Lodouicus.

V. Continet Ianuensium *cum* Venetis, *&* Pisanis *in partibus vltramarinis discordiam.*

VI. Continet bella quædam Tartarorum, & Saracenorum, & etiam Christianorum.

VII. Continet Isabellis *petitionem de Balliuatu regni Ierusalem; locorũ destructionem varium, tam per Christianos, quàm per Saracenos.*

VIII. Continet insultus varios Soldani Babylonij in Christianos: mutuas quoque insidias Ianuensium, & Venetorum.

IX. Continet insultus varios Bendocdar *in Christianos, &* Antiochenæ *ciuitatis amissionem.*

X. Continet Passagium & mortem Sancti Lo-

di Lodouici *Regis Francie in* Tunitium: *ac formam pacis inter Karulum Regem Sicilie, & Regem Tunitij.*

XI. Continet insultus Bendocdar *in Christianos; & qualiter Christiani induxerint Tartaros contra eum, ac treuguarum miseram compositionem.*

XII. Continet recessum domini Odoardi *de Terra Sancta, & missum auxilij ab Ecclesia, & a Rege Francie, ac quedā incidentia.*

XIII. Continet sollicitudinē Lugdunēsis Concilij *pro subsidio Terre Sancte.*

XIV. Continet turbationem vltramarinorum fidelium, extrinsecam & intrinsecam; & quoddam illis missum auxilium.

XV. Cōtinet finem litigij in Romana Curia inter Regem Cypri *& Damiselam* Mariam: *& qualiter dicta Maria iura sua donauit* Karulo *Regi Sicilie.*

XVI. Continet aduentum Bailiui in Ptolomayda pro Rege Karulo, & qualiter ciues fecerunt illi homagium.

XVII. Continet debellationem & mortem Bendocdar; *& discordiam Antiocheni Principis cum Templariis; & qualiter Rex Cypri Ptolomaydam occupare voluit.*

XVIII. Continet congressus Christianorum & Saracenorum in contrata Margath.

XIX. Continet qualiter Hugo *Rex Cypri Tyrum veniens mortuus est; & qualiter* Henricus *filius eius Ptolomaydam obtinuit.*

XX. Continet amissionem castri Liciæ, *&* Tripolis.

XXI. Continet amissionem Ptolomaydæ *ciuitatis.*

XXII. Continet amissionem reliquarum partium Terre Sancte.

TERTIADECIMA PARS continet quædam contingentia post totalem Terræ Sanctæ amissionem: habens cap. XI.

I. Continet cœlestem vindictā in impios Saracenos.

II. Continet remanētium Admiraldorum *dissidium.*

III. Continet sordidam Tartarorum *originem, initiaq; bellorum.*

IV. Continet qualiter Tartari contra Indos *victoriam adepti sunt.*

V. Continet qualiter Tartari versus Occidentem & Septentrionem suum dilatauerunt Imperium.

VI. Continet quomodò ad procurationem Regis Armenie, Mango *Tartarorum Imperator baptizatus est; fratremq;* Halaonem *contra Saracenos transmisit.*

VII. Continet qualiter Halao *Persium sibi subiecit, & Baldacēsem occidit Calypham, & partem Syrie conquisiuit.*

VIII. Continet qualiter successores Halaonis se habuerunt cum Christianis & Saracenis.

IX. Continet mores Tartarorum, & aptitudinem ad bellandum.

X. Continet gesta quædam Cyprensium *contra Saracenos; & apparatū* Gazani *contra eosdem, ac impedimentum ipsius.*

XI. Continet gubernationem Cyprensis Insulæ indebitè Regi Henrico *sublatam.*

QVARTADECIMA PARS cōtinet locorum dispositionem, maximè Terræ Sanctæ: habens cap. XII.

I. Continet situm prouinciarum adiacentium Terræ Sanctæ.

II. Cōtinet totius Syriæ *maritimam regionem.*

III. Continet situationem vrbium & castrorum notabilium Sanctæ Terræ Promissionis.

IV. Continet dispositionem Montium, *& regionis quæ est vltra* Iordanem *ad Orientem.*

V. Continet situm montium principaliū citra Iordanem.

VI. Continet dispositionem Aquarum *& fluminum Terre Sanctæ.*

VII. Continet peregrinationem de Ptolomayda *per* Nazareth *Ierusalem.*

VIII. Continet peregrinationem ciuitatis Sanctæ Ierusalem *& montis* Syon.

IX. Continet peregrinationem locorum circa Ierusalem.

X. Continet peregrinationē locorum quæ obmissa fuerunt in ciuitate Ierusalem.

XI. Continet peregrinationes Bethlehem *&* Ebron.

XII. Continet dispositionem Regni Ægypti.

QVINTADECIMA PARS continet opportuna remedia pro Terræ Sanctæ cōseruatione contra defectus & errores multiplices superiùs enarratos, habens cap. XXV.

I. Continet quam necessaria sint ad eius conseruationem, studium militaris disciplinæ, & continuum armorum exercitium.

II. Continet quàm vtile sit processuris contra hostes, propria celare consilia.

III. Continet quàm solliciti debent esse de aduersariorum consiliis perserutandis.

IV. Continet plura cautelosa exempla, ad vitandum pericula multa quæ exercitui accidere consueuerunt in via.

V. Continet modum ponendi castra,

VI. Cõtinet informationem & exempla, qñ ad hoſtium requiſitionem bellum *committendum non eſt.*

VII. Continet loci *aptitudinem ad bellandum.*

VIII. Continet cautelas circa acies *perducendas.*

IX. Continet exempla & cautelas quaſdam ad hoſtium acies exturbandas.

X. Continet exempla quædam & cautelas reſtituendi ſuam aciem cùm declinat.

XI. Continet exempla quædam atq; cautelas ponendi inſidias.

XII. Continet exempla & cautelas ne hoſti fuga *penitus negetur.*

XIII. Continet cautelas varias, & exempla diſſimulandi *aduerſa.*

XIV. Continet nonnulla poſt prælium *obſeruanda, ſi proſperè actum eſt; fugientiumque cautelas.*

XV. Continet circa obſidionem *exempla varia & cautelas.*

XVI Continet bellantium monita ſalubria, & regulas directiuas.

XVII. Continet quomodo conquiſita Terrâ Promiſſionis, Rex *vnus inſtituendus eſt.*

XVIII. Continet quod à ſuperfluis expenſis, *& quibuscunq; vanis Rex debeat abſtinere.*

XIX. Continet ad quantum regni periculum Rex malis moribus *inquinatur.*

XX. Continet qualiter Rex per temperantiam *ſub rationis imperio concupiſcibilem frænare debet, quantum ad ſenſibiles delectationes.*

XXI. Continet qualiter concupiſcibilem frænare debet quantum ad delectationum fomenta, ſeu theſaurorum abundantiam.

XXII. Continet ſollicitam Regis diligentiam circa Diuinæ legis *ſtudium ac obſeruantiam mandatorum.*

XXIII. Continet Regiæ excellẽtiæ manſuetudinem *piam, ac clementiam in ſubiectos.*

XXIV. Continet Regalis iuſtitiæ *rectitudinem, ac iudicij æquitatem.*

XXV. Continet ſummariam dictorum recapitulationem pro Terræ Sanctæ conſeruatione.

INI-

INITIVM SANCTI EVANGELII SECVNDVM IOHANNEM.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEVM. Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso Vita erat, & Vita erat Lux hominum; & Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à DEO cui nomen erat *Iohannes*. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de Lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat Lux verà quæ illuminat omnem hominem venientem. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri, hiis, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus neq; ex voluptate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. *Ioh.1,1.&c.*

SECVNDVM MARCVM.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis, habete fidem DEI. Amen dico vobis, quod quicũq; dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunq; orantes petieritis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad orandum dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui est in cœlis, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui est in cœlis, dimittet vobis peccata vestra. *Marc.11,22.*

SECVNDVM LVCAM.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis. Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. *Luc.11,9.*

SECVNDVM MATTHAEVM.

IN illo tempore venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, alii Iohannem Baptistam, alii autem Helyam, alii verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis IESVS, vos autem quẽ me esse dicitis? Respõdens Symon Petrus dixit: *Tu es CHRISTVS Filius DEI viui*: Respondens autem IESVS, dixit ei, Beatus es, Symon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc *Matth. 16. 13.*

Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

CREDO. KYRIELEYSON. CHRISTEL. KYRIEL. Pater noster.

Dan.9,18. ASpice Domine de sede Sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram.

Aspice Domine, quia facta est desolata ciuitas plena diuitiis: sedet in tristicia Domina gentium: non est, qui consoletur eam, nisi tu DEVS noster.

Dan. 9, 19. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac, ne moreris propter temetipsum Domine DEVS meus, quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum, Domine DEVS meus.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

A.Dnĩ. 1307. *ANno ab incarnatione Domini nostri dulcissimi IESV CHRISTI, qui est LVX & VITA nostra, Millesimo trecentesimo septimo Mense Ianuarij, hoc Sanctissimum opus, & breue compendium primi libri, negotii Terræ Sanctæ inceptum est: quia veritas à quocunq; dicatur, à Spiritu Sancto est. Rubrica. Rubrica.*

AD debilitandum Soldani potentiam & gentem illi subiectã, oportet prohibitionem facere magis solito exquisitam, ne ad partes Soldano subiectas, quisquam accedat: *vt infrà parte quartâ, cap. 1.* Fiatq; non solùm in mari, sed etiam in terra: *vt capitulo sequenti ostenditur:* & contra inobedientes, ac etiam participantes cum eis, in mercando potissimè, sicut contra hæreticos procedatur.

Item inhibeatur sub eadem censura ne quisquam de partibus Africæ aut etiam Hispaniæ, vbi habitant Saraceni, speciariam accipiat, vel mercimonia quæcunque a partibus Indiæ portata, vel à terris Soldano subiectis: *vt tertio capit. 4. partis.*

Item similiter prohibeatur ne de prædictis mercimoniis quisquam emat à partibus Aquilonis, a confinibus regni Armeniæ vsq; ad Anniam: *sicut ostenditur 4. cap. 4. partis.*

Item prohibeatur cõformiter vt nullus emat, vel accipiat in partibus & in Insulis Romaniæ, vel aliqua alia parte mundi de mercationibus, de quibus aliquo modo constare posset eas trãsire per loca Soldano subiecta: *vt 5. capit. dicitur 4. partis.*

Item prohibeatur sub certa & graui pœna, vt domini terrarum & communitates, fractores statuti Ecclesiastici in hac parte persequi, quasi hæreticos, teneantur; & persequi volentibus præstare auxilium, consilium & fauorem: *vt dicitur 6. cap. partis eiusdem.*

Item mandetur sub pœna sententiæ excommunicationis, quod quilibet sciens aliquem vel aliquos, præcepta huiusmodi violasse, teneatur eum vel eos denuntiare quo ad citius poterit, bono modo; persona verò accusans, accusatis vel aliis nullatenus reueletur: vel si excommunicatio fienda nõ videtur, accusanti eius

quod

quod per ſuam accuſationem accuſato auferetur, pars tertia tribuatur: & teneatur, vt ſupra dicitur, ſub ſecreto.

Et ſi Sanctiſſimo ſummo Pontifici placet, vt ſic ſtatuta, intentum ac debitum conſequantur effectum, præceptum Eccleſiaſticum hactenus neglectum, ſtrictiſſimè faciat obſeruari: vt videlicet per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & feſtiuis huiuſmodi ſententia publicetur. De facto enim videmus, quia antiquæ ſententiæ tam Conciliorum quam ſummorum Pontificum, & in Eccleſiis publicatæ non ſunt, tantæ obliuioni ſunt traditæ, vt multi etiam litteratorum virorum, communes merces licitè deuehi poſſe exiſtiment ad terras Soldano ſubiectas.

Prædicta autem publicatio aptiùs & vtiliùs fieri videtur poſt cantatum Euangelium, & ante inchoatam præfationem: tunc enim populus conſueuit meliùs & communiùs in Eccleſia congregari.

Ad hæc autem omnia peragenda, quædam galeæ neceſſariæ ſunt: *vt 4. part. eiuſdem libri oſtenditur, cap. 7.* Sunt quoq; valdè neceſſarii ſollemnes inquiſitores, pœnam eiſdem tranſgreſſoribus infligentes.

IN NOMINE DEI ÆTERNI, AMEN.

ANno à natiuitate Domini noſtri IESV CHRISTI, A. Dnl. 1300. Milleſimo trecenteſimo ſexto, *Menſe Martii, Ad Omnipotentis DEI Laudem, & eius Sanctiſſimi nominis gloriam & honorem, & ad Sanctiſſimi Patris noſtri ſummi Pontificis clariſſimam prouidentiam, & exaltationem fidei Orthodoxæ; & ad confuſionem Soldani, & legem cotentium Mahumeti, & eorum ad mandata piæ matris Eccleſiæ reditum & conuerſionem, & ad cultum ſalutiferum fidei piiſſimi Crucifixi, inceptum eſt hoc opus, quod per DEI gratiam* Marinus Sanudo, *alter dictus* Torſellus, *filius Domini* Marci Sanudo, *de confinio Sancti Seueri, de ciuitate* Riuoalti, *de Venetiis, familiaris & domicelus deuotus; olim bonæ memoriæ venerabilis in Chriſto patris & domini ſui, domini* Ricardi, *miſeratione diuinâ Sancti Euſtachii Diaconi Cardinalis: qui totis temporibus vitæ ſuæ, conditiones Terræ Sanctæ repromiſſionis, & aliarum terrarum de vltra mare inquirere concupiuit, tam in terra quàm in mari: cum omni diligentia & affectu genibus flexis humilimè inclinando, ſicut fidelis Chriſtianus, exponit.*

INCIPIT LIBER PRIMVS OPERIS TERRÆ SANCTÆ, CONTINENS DISPOSITIONEM AC PRÆPARATIONEM *ad Terram Sanctam recuperandam : habens partes quinque.*

PARS PRIMA, CONTINET MODVM DEBILITANDI SOLDANI POTENTIAM, OSTENDENDO QVOMODO FIDELES Christiani possunt habere mercimonia eis necessaria absque eo quod ad terras Soldano subiectas habeatur accessus ; declarando ingentia grauamina ac damna quæ infideles Soldano subiecti sustinerent, si per nostrum mare non transfretaretur ad eos : habens capitula sex.

CAPITVLVM PRIMVM, CONTINET CAVSAS VTILITATum obuenientium Soldano & populo eius, occasione mercationum de India ; nomina quoq; portuum vnde transferuntur, ac modum quo subtrahi possunt à districtu Soldani. Rubrica.

QVOD magna pars honoris, reditus, prouentus & exal- 1.
tationis *Soldani* & gentium illi subiectarũ, est propter speciariam, & alia multa mercimonia: quæ omnia non nascuntur in terris & partibus Soldano subiectis; imò nascuntur in terris & partibus Indiæ, & per mare Oceanum versus Occidentem, ab altero ipsius maris latere transferuntur. Hoc verò Oceanum mare in illis partibus habet principaliter duos portus : quorum vnus nominatur *Mahabar*, & alter *Cambeth* : in quibus maior pars speciariæ & mercimoniorum, quæ ab illis partibus Indiæ ad dictos duos portus descendunt, & 10
in nauigio onerantur, & inde extrahuntur; & per illud mare Oceanum ad infrascriptos quatuor portus principaliter, versus Occidentem transducuntur. Quorum tres sunt in terris & riperis, sub dominio *Tartarorum*, qui in Persia dominantur. Ipsorum autem trium portuum, vnus est in terra firma, & nominatur *Hormus* ; alter est in quadam insuleta, *Kis* nominata; tertius est in fossia fluminis quod discurrit à *Baldac*. Maior enim pars speciariæ, & mercimoniorum, quæ ad Occidentẽ antiquitus ducebatur, consueuit per Baldac facere viam suam ; & exinde per Antiochiam, & Liciam ducebatur ad nostrum mare : & tunc temporis speciariæ & alia mercimonia Indiæ, & habundantiùs, & pro minori prætio habebantur, quàm habentur ad præsens. Portus verò quartus nominatur *Ahaden*, 20
qui est in quadam insuleta, qui quasi est in terra firma, in terris Saracenorum : & illæ speciariæ & mercimonia quæ de partibus Indiæ ad portum ipsum descendunt, ibi honerantur ; & inde per terras Saracenorum, in nouem dietis Cameli, ad flumen Nili conducuntur in locum vocatum *Chus* ; & inde nauigio ipsius fluminis, & honorantur & in dietis x v. in Babylonem conducuntur. Tempore verò mensis Octobris & circà, flumen illud habundat in tantum, quod ipsæ speciariæ & mercimonia descendentia à Babylonia per dictum flumen, intrant per quandam ralgiatam

tam longam,& per ducenta miliaria, quæ sunt à Babylonia vsque in Alexandriam deferuntur. Per magnam verò commoditatem nauigii siue dextrum, quam vel quod habent Saraceni, maior pars speciariæ & aliorum mercimoniorum, quæ ab India conducuntur ad Occidens, ab ista parte in Alexandriam conducuntur: de quibus percipit Soldanus in diuersis locis, tantum de thelloneo quod tertium valoris omnium specierũ ærarium suum intrat, propter quod thesaurizat, præter immensam vtilitatem quam mercatores & populi sui exinde consequuntur.

Et sicut minor pars speciariæ & mercimoniorum quæ conducuntur ad Occidens, ad præsens ad tres prædictos portus descendunt, & veniunt ad ripas Tartarorum vadit ad Baldac & ad Thorisium: vnde per multas vias possunt ipsa mercimonia descendere ad mare nostrum,& cotidie conducuntur, nihil omnino tangendo de portubus, ripis,& terris Saracenorum subiectis Soldano. Sic, si gentes quæ ad terras Soldani ad emendum speciariam, & alia mercimonia concurrunt per istud mare nostrum, inhibitionem habebunt, prout in præcedenti breui compendio cõtinentur, de vrgenti necessitate cursus dictorum mercimoniorum, per terras Soldano subiectas amittentur omnino; & à parte & per viam dominii Tartarorum, omnes prædictæ speciariæ & mercimonia decurrent. Nam sicut aqua naturaliter labitur ad valles, sic mercimonia transferuntur ad loca, vbi magis requiruntur: de quibus mercimoniis vniuersus populus Christianus, commoditatem sibi necessariam ad sufficientiam obtinebit, & mercatores Christiani vtilitatem propriam cõsequentur. Quid plus? ab hac parte scilicet dominii Tartarorum, vsque in Indiam ipsi mercatores Christiani poterunt dirigere gressus suos, cùm multi sint, qui iam iuerunt & redierunt. Soldanus verò, per terras quas tenet non permittit, aliquem Christianum transire, qui in Indiam cupiat transfretare. Huius rei veritas cognosci potest per gesta præterita: nam quando mercimonia constringuntur vel impediuntur taliter quod conduci nequeant aliquò per vnam viam, mercatores ad vtilitatem suam vigilantes, cogitant, perquirunt & inueniunt viam aliam, per quam illa conducunt ad locum ipsum. Nam dicitur, *negocians, negans ocium*: quia non cessat inuestigare viam conducendi mercimonia ad partes in quibus maior habetur de ipsis necessitas, vnde ampliùs lucrari possit. Et vt Sanctitati vestræ pareant, quæ dicuntur: sciendum est quod à partibus Tartarorum, scilicet à Baldach & à Thorisio, à magno tempore citra conducta sunt & cõducuntur ad præsens ad Mare Mediterraneum, quasi omnia mercimonia modici ponderis, & magni prætii, siue valoris: vt *cubebe, spicum, gariofili, nuces muscatæ, maci* & his similia. Alia verò mercimonia grauioris ponderis & minoris prætii; vt *piper, cinziber, thus, cannella* & similia his, descendunt per viam *Haiden* in Alexandriam, in maiori quantitate quàm ab alia via superiùs nominata. Sed illa quæ ex istis mercimoniis grauioribus descendunt per viam de Chaldæa & de Persia, vt est dictum, sunt longè meliora, illa scilicet quæ possunt esse meliora, quàm ea quæ descendunt in Alexandria: specialiter *cinziber*, & etiam *cannella*. Nam cinziber quod descendit à via Tartarorum, melius valet, siue prætiosius est quam id quod descendit in Alexandriam, à decem ad viginti pro centenario. Et ratio huius est, quia à partibus Tartarorum conducuntur mercimonia meliora. Nam conductus mercium per hanc viam, magnas expensas sustinet de salmatio vel vectura; & de commercio vel thelloneo modicas: sed à partibus Ægypti, conductus merciũ parum cõstat, propter dextrum & commoditatem fluminis: sed soluitur maximus thelloneus, qui datur Soldano. Itaque per istam viam mercatores cognoscentes suam prærogatiuam, meliora ferunt mercimonia hinc quàm inde: nam tantum constat cõductus bonorum mercimoniorum, quantum minus bonorum. Rursum Cinziber descendens in Alexandriam est multo plus coctum, & inuenitur de ipso plus deuastatum & perforatum, quàm de alia parte suprædicta. Creditur quòd hoc fiat, quia habent conducentes ipsum, longius viagium seu iter per mare, quàm qui conducunt ipsum de partibus Tartarorum: quia cinziber est merces quæ facilè deuastatur.

Cap. II.

Continet quomodo ea quæ naſcuntur ſub dominio Soldani nobis neceſſaria, de terris Chriſtianorum haberi poſſint.

11. ET cum in terris Soldano ſubiectis *bombix & Zucharum* creſcant in non modica quantitate, de quibus Soldanus, & Sarraceni percipiunt magna pedagia & tributa, ſi Chriſtiani aſtricti fuerint, Soldano & Sarracenis damnum non modicum eueniet, cùm in Cypro tanta quantitas Zuchari naſcatur, quod Chriſtiani poterunt competenter furniri. Sed de Zucharo naſcitur in Rodo, Amorea, Marta: & in Scicilia, & in aliis locis Chriſtianorum Zucharum naſceretur, ſi hoc procuraretur. Bombix verò naſcitur in Apulia, in Scicilia, & in Creta, in Romania, & in Cypro in bona quantitate. Et quando inhibitio prædicta facta foret plus de prædictis in prædictis locis vel aliis naſceretur rationabiliter, eò quòd plus procuraretur. Ita quòd cõſideratis hiis omnibus, Chriſtiani poſſent habere de Bombice ad ſufficientiam; & de Zucharo, magnum incommodum non ſufferrent.

Cap. III.

Continet de dactilis, caſſia fiſtula, lino & laboreriis impediendis ne de Aegypto per noſtrum mare portentur, in quibus Soldanus, & gens ſibi ſubiecta multam conſequuntur vtilitatem.

111. IN Ægypto verò naſcitur *linum* in maxima quantitate, de quo multa & diuerſa laboreria fiunt. Laboratur enim linum cum *Serico* mixtum; Laboratur etiam laborerium ſolius ſerici: & quamuis ſericum nullis partibus non naſcatur, tamen ipſum linum & laboreria ac mercimonia ſupradicta, per nauigium Chriſtianorum & Saracenorum ad Mare Maius, ad partes Tramontanæ, per Turchiam & Africam continuè deportantur. Et licet Chriſtiani habundent lino, nihilominus tanta eſt bonitas lini Ægyptii, quod ſpargitur vſque in Occidentem. Et cùm prædictum linum in mercimonia ire non poſſint, ad bonum commodum niſi per mare noſtrum, ſi maris aſtrictio facta eſſet, Soldanus & Agarenicæ gentes damnum non modicum conſequerentur. Naſcuntur etiam in terris Soldano ſubiectis, & maximè in Ægypto, *dactili*, & *Caſſia fiſtula* in magna quantitate: de quibus per mare noſtrum ad plures partes mundi pars non modica diffunditur.

Cap. IV.

Continet damnum quod conſequitur Soldanus, gens ſibi ſubiecta, ſi aurum, argentum, ferrum & cætera metalla, & quædam ſimilia non portentur eiſdem.

1v. ET quia in dictis terris quas tenet Soldanus, aurum, argẽtum, æs, ſtagnum, plumbum, argentum viuum, aut aliquod aliud metallum; coralli, & ambrum non naſcantur: omnia prædicta ad ipſas terras per noſtrum mare feruntur, de quibus Soldanus percipit in Alexandria magna tributa. Primò de *auro* ad ponendum ad Zecham, ſex & duæ tertiæ pro centenario ſoluebantur. Et cùm in Occidenti aurum ſit magni pretii, in præſenti relinquitur aurum, & argentum portatur. De commercio verò *argenti* quatuor & dimidium pro centenario in Alexandria ſoluebantur. Verùm ad præſens Soldanus aliquibus ſoluendi ſolùm tres & dimidiam pro centenario de ipſo argento, gratiam contulit. De toto argento quod vadit ad Zecham in Kayro, Soldanus accipit pro quolibet centenario, decem. De *ære* etiam in diuerſis thelloneis in Alexandria percipit quartum, vel circa. De *ſtagno* in ipſis diuerſis thelloneis in Alexandria percipit quintum, vel circa. De *plumbo* autẽ, & de *argento viuo*, & de *corallis*, & de *ambro*, ſimiliter Soldanus percipit magnum tributum. Quæ omnia ſupradicta in Ægyptum ſpargũtur, & vſq; in Æthiopiam & in Indiam, non ſine magna vtilitate Soldani, & populi, & mercatorum ſuorum.

Cap. V.

Continet diſpendium ac damnum quod Sarraceni conſequerentur, ſi de terris Chriſtianorum victualia non portarentur ad eos.

v. POrtantur inſuper in Alexandriam & in terras Soldano ſubiectas, *oleum* in magna quantitate, *mel, auellanæ, amygdalæ, crocus, maſtica*: de quibus, vt breuiter dicatur, in diuerſis thelloneis largo modo in Alexandria Soldanus percipit quartum.

Portan-

Portantur etiam *fericum*, *panni*, *lanæ*, *& ferici ac telle*, & alia multa, de quibus Soldanus, & mercatores, & populus suus magnam consequuntur vtilitatem. Accidit aliquando etiam quod non crescit ad sufficientiam flumen Nili: ita quòd illa pars terræ, quæ tunc non irrigatur ab ipso, non fructificat; sicut accidit tempore paulò post amissionem Acon & Syriæ: quia, si tunc Ægyptiis non fuisset per nostrum mare de *Blado* succursum, ipsi aut eorum maior pars fame cogebantur contratas illas relinquere, aut mori.

CAP. VI.

Continet cum aliquali descriptione terræ Aegypti, damnum immensum quod consequuntur Aegyptij si lignamina, & cætera pro nauigiis non deferantur ad eos.

ET cum in terra Ægypti non nascuntur *lignamen, ferrum, pix*, per quod nauigium aliquod posset ad perfectionem perduci, cùm Saraceni non possent habere aliunde nisi per mare nostrum, si nauigium non haberent, terra Ægypti malè posset durare, & specialiter Babylonia, & Kayrum; & habitationes quas tenent, non possent vllatenus retinere. Et ratio est, quia Babylonia est super *flumen Nili*, & à Babylonia vsq; ad nostrum mare sunt miliaria circà C. & dictum flumen vsq; ad mare nostrum discurrit. Et habet hoc flumen IV. ramos magnos: vnus ramus *Tenex* nominatur, qui est versus desertum de *Gazara*: secundus est *Damiatæ*: tertius *Strioni*: quartus *Raxeti*, qui est versus Alexandriam. De quibus supradictis ramis, duo sunt principaliores & maiores: scilicet Damiatæ & Raxeti. Aliorum duorũ vnus, qui vocatur *Tenex*, habet profundiorem focem aliis, & maius nauigium reciperet: & deintus focem, habet magnum stagnum, & latum spatium, vbi posset stare nauigium in maxima quantitate; & portus sallus est. Alter verò, qui vocatur *Strion*, habet minus profundam focem aliis tribus; & minora ligna reciperet: nihilominùs quandò habundat fluuius, intrarent aliquando galeæ armatæ; & habet infrà vnum magnum stagnum, cuius vna pars est aliquandò dulcis, aliquando verò salsa. Inter ora autem istorum ramorum quatuor, per Ripariam discurrendo per mare nostrũ, sunt milliaria c c x x. A *Damiata* verò vsq; in *Alexandriam* discurrendo per mare nostrum, sunt milliaria c c. A *Babylonia* autem, eundo super flumen Nili versus Meridiem, esse dicuntur sub dominio Soldani circa v. C. milliaria. Habet hoc flumen Nili, in eo cui dominatur Soldanus, ramos plurimos: circa verò ramos istos sunt lacus multi, & stagna; & Rubinæ siue Talgiatæ multæ, quæ per terram Ægypti sparguntur, de quibus pars terræ irrigatur. Super ripas autem fluminis Nili, & harum aquarum, habitationes multæ sunt, propter quod omnia mercimonia, victualia ac necessaria ipsis, aliaque omnia quæ ipsi faciunt, conducunt cum nauigio, & reducunt: quod nauigium habent in maxima quantitate. De thelloneo autem *lignaminis*, *ferri* & *picis*, in diuersis locis percipit Soldanus valorem quarti, quod est summa magna pecuniæ. Et de quolibet vase nauigante, tam de paruo quàm de magno, annuatim percipit Soldanus *Bizantios* veteres tres, qui sunt floreni auri circa tres cum dimidio. Apparet autem multitudo copiosa huius nauigii, tempore messis completæ, quando bladum portatur in Babyloniã, cum nihilominùs nauigium ipsum continuè vadat, & redeat per ipsum flumen Nili, & per ramos ipsius fluminis, & per lacus: ita quod mirabile est solum cogitare magnam multitudinem ipsius nauigii. In *Babylonia* verò, de mercatoribus & artificibus multis populus commoratur: in *Kayro* verò, & in *Castro*, quod distat circà duo miliaria milliaria à Babylonia, Soldanus cum Amiraliis suis & hominibus armorum, qui sunt in Ægypto & multo populo altero, commoratur. Et quia fortitudo gentium Soldani moratur in vno loco, propterea est vnus Dominus, qui dominatur in terra Ægypti, & vltra desertum vsque in Armeniam, & ad *Aquas frigidas*, quæ confinant cum dominio Tartarorum. Quod si Saraceni nauigium non haberent, mercimonia, victualia, & eis necessaria non possent conduci in Babyloniam, vel ad Kayrum, ac ad Castrum: eò quod sonagium esset maiorum expensarum quàm res valerent; & insuper per terram conduci non possent: propter quod oppotunum esset omninò quod populus Babyloniæ, & homines armorum de Kayro, & de castro, cum reliquo populo sẽ diuiderent per contratam Ægypti. Contrata est maxima: si diuisi essent, rationabiliter in terra Ægypti deberent

dominia plura cadere: quapropter faciliter oriretur dissensio inter eos: & vbi di-
Luc. 11, 17. uisio ibi confusio, cùm scriptum sit; *Omne Regnum in se ipsum diuisum desolabitur.*

SECVNDA PARS, CONTINET CERTAM EXPERIENTIAM, QVOMODO IAM DEBILITATA EST ALIQVA pars Soldano subiecta: habens capitula duo.

CAP. I.

Continet quomodo dominium Soldani vltra desertum versus Armeniam, & in contratis Syriæ, est diminutum in diuitiis. Rubrica.

1. PRÆTEREA *dominium Soldani* extra Ægyptum, vltra desertum, versus Armeniam, & vsque ad Aquas frigidas, quæ confinant cum dominio Tartarorum, multò maius, potentius, & locupletius esse solebat, quando Acon & Sytia habitabantur à Christianis, quàm sit ad præsens. Et quia diminutum est, ratione ostenditur quod thesaurus magnus de mansionibus, & thesaurus & mercimonia aliarum gentium, quæ transfretabant in Acon & in Syriam, remanebant in illis terris Saracenorum: eò quod Christiani de mercimoniis eorum accipiebant, propter quod Saracenorum populus pinguis erat.

CAP. II.

Continet quomodo in prædictis terris dominium Soldani est diminutum quantum ad habitatores, & maximè in viris bellatoribus. Rubrica.

11. ET quia DEO placuit quod virilis dominus Armeniæ, frater *Iohannes* de ordine Minorum, ad confusionem Soldani, & Agarenicarum gentium, pluries Tartaros super eos sapienter induxisset, propter quod terra Saracenorum vsque ad desertum, per quod transitur in Ægyptum est multùm damnificata per pluries vices de multis hominibus, & diuitiis infinitis: de quo maior pars virilium hominum armorum Soldani est amissa, & Saracenorum populus pertentus est in tantum quod terram multi reliquerunt. Et ad præsens, de populo & diuitiis ipsa pars terræ nullum habet statum prout habere solebat. Quod si non esset auxilium quod Soldanus à Kayro huic parti terræ dirigit in succursum, nullo modo duraret residuum quod remansit.

TERTIA PARS, CONTINET QVÆDAM NECESSARIA VALDE SARACENIS, QVÆ AB ALIIS OPORTET EOS acquirere: habens capitula duo.

CAP. I.

Continet causam prohibitionis, ne lignamina, & cætera ad nauigium pertinentia, Saracenis terræ Aegypti portari debeant. Rubrica.

1. ET videre quilibet euidentiùs potest, quod antiquitus quando fuit inhibitio celebrata per sanctissimam prouidentiam prædecessorum vestrorum, super omnia alia prohibuerunt solemniter, quòd in terris Saracenorum *lignamen, ferrum,* & *pix* nullatenus portentur: eò quod redditus & proficuum omnium thelloneorum Soldani in terra Ægypti, quasi totum dependebat, & ad præsens dependet ab iis à quibus nauigium sustentatur, & propter nauigium Soldanus semper habuit & habet tam immensum thesaurum, quod omnibus circumspectis per solam quasi vtilitatem nauigii dominatur.

CAP.

CAP. II.

Continet quomodo Saraceni terræ Ægypti pro defensione districtus sui procurant sibi portari de alienis partibus pueros & puellas.

INsuper, cùm gens quæ nascitur in terra Ægypti, & in partibus illis non sit, nec valeat pro armis, respectu illorum, qui veniunt aliundè, Soldanus cum suis Amiraliis habet hanc prouidentiam: scilicet, quod de prædicto thesauro per mare speciales dirigit mercatores ad *emendum pueruulos* de diuersis nationibus, tam Christianos quàm paganos, vbicunq; possunt pro pecunia reperiri. Quos cum habent, instruunt in armis, & docent; & ii sunt, qui dominantur in partibus Ægypti & in terris Soldano subiectis, cum quibus terram sustinent atque tenent; per quorum vires Soldanus Christianos de Terra Sancta repromissionis fugauit. Portantur & etiam in Ægyptũ & ad terras Soldano subiectas, similiter *puellæ* de nationibus diuersis, tam Christianæ quàm Paganæ, quibus abutuntur pro delectatione carnis, quæ in damnationem animarum suarum legi subiacent Machometi. 11.

QVARTA PARS, CONTINET QVOMODO NECESse est nouum modum prohibitionis inuenire magis solito exquisitum: ostendendo etiam qualiter potest distringi, quod per mare Mediterraneum ad partes Soldano subiectas minimè transfreretur; nec non galeas aliquas præparari tam pro conseruatione vltramarinorum Fidelium, quam Saracenorum dispendio: habens capitula VII.

CAP. I.

Continet causam quare sine distinctione omnis mercatio, & omnis accessio ad Saracenos Soldano subiectos prohiberi debeat.

AD inhibendum verò, & ad perficiendum opus tam sanctissimum recuperationis Terræ Sanctæ, roratæ præciosissimo sanguine dulcissimi Domini nostri IESV CHRISTI, vnigeniti filii DEI viui, oportet omnino quod inhibitio solemnis per totum mundum arctius celebretur. Videlicet *quòd lignamen, ferrum, & pix, & generaliter aliquid aliud, nullatenus portentur, vel accipiantur abinde.* Et hæc est ratio: quia si Christiani ad accipiendum speciariam, zucharum, bombicem & mercimonia de Leuante, transfretarent illuc: & ad alia mercimonia portandum, quæ non videantur inhibitioni contrahire: sub tali velamine Christiani inobedientes, & etiam Saraceni, qui cum suo nauigio nauigant portantes lignamen, ferrum, picem, & pueruulos in Ægyptum & in terras Soldano subiectas, auxilium ab aliis Christianis, qui obedientes esse cupiunt obtinebunt. Et opportunum erit ipsis obedientibus Christianis in mari & in Terra & in portubus, & vbicumq; se inuenient, cum nauigio ipsorum Christianorum inobedientium & Saracenorum, ipsum suum nauigium oneratum de lignamine, ferro, pice ac puerilis saluare & custodire, & quasi eis exhibere auxilium & fauorem: quod si faceret contrarium, gentes suorum communium, quæ sunt in terris Soldano subiectis statim captę essent in personis & rebus, & ad partes ipsas non essent ausæ de cætero transfretare, de quibus obedientes Christiani præ timore & occasione faciendi sua mercimonia hanc falsam sustinent subiectiuam. Et clariùs apparet, quod si inhibitio solemnis fuerit per totum mundum strictiùs delegata, qui per mare ibunt, si in terris Soldano subiectis non sentient gentem suam, aut si perpenderent transgressores prædictos iussè contra prædictam inhibitionem; & contra præceptum dominorũ, siue communium suorum, etiam & ipsi caperent illos Christianos inobedientes & Saracenos tãti sanctissimi operis corruptores: propter quod omnes, qui potenter transfretabunt per mare, erunt cum omni gaudio parati ad omnem custodiam maris, & obedientiam huius inhibitionis beatæ. Præterea quando Acon & Syria amissæ fuerunt, solemnis inhibitio facta fuit contra cunctes ad terras Soldano subiectas, vel inde redeuntes cum mercibus: inter cætera continens, 1.

quòd *qui contra hæc fecerint perpetuò sint infames, & intestabiles habeantur*: ita quod nec testari, neq; legata eis seu relicta, percipere valeant: & insuper ad successiones tam ex testato quàm ab intestato, sint prorsus, & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia; sintq; illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & in commune bona eorum omnia penitus deuoluantur; & nihilo minus, si personas capi contingat, *in seruitutem & capturam illorum esse volumus, in quorum ceciderint captionem.*

CAP. II.

Continet causam quare oportet statuere, quod vbicunq; non solùm in mari, sed etiam in terra, à cunctis fidelibus persecutionem sustineant transgressores mandati Ecclesiæ, in hac parte.

11. ET sicut inhibitio ipsa tunc temporis facta fuit, & in mari firmata: videlicet quod contra tales transgressores in mari persecutio fiebat super eos & non quasi in terra: si Sanctissimæ prouidentiæ vestræ, Spiritus Sancti inspiramine illustratæ placet, quòd supradicta omnia obseruentur, & sanctum consequantur intentum, oportunum est omninò, vt semper cum omni humilitate loquar, quod etiam in terram per totum mundum inhibitio fortius statuatur, & inde persecutio viriliter subsequatur. Quia per custodiam maris solum, non potest perfectè inhiberi, quod aliquis per mare ad terras Soldano subiectas non valeat transfretare. Cuius ratio est: quia galeæ armatæ non possunt stare extra in mari, tempore tempestatis; & etiam tempore tranquilitatis, malè libenter in hyeme nocturno tempore se reperiunt extra portum; & tempore æstatis non possunt multis diebus in mari esse quin frequenter declinent ad terras, propter aquam potabilem assumendam: & similiter cum nauibus magnis ex gentibus armigeris reforzatis non posset sufficienter maris custodia fieri: quia mare latissimum est, & marina Soldani magna, & transgressores, qui timore DEI posposito, vellent ad partes Soldanicas declinare, sibi acceptabile tempus & opportunum eligerent, & per altum mare à terra remoti pelagizarent; & vbicunq; terram caperent, *in* locis Soldano subiectis benè reciperentur, & tractarentur humaniter & benignè, propter eorum necessitatem: & sicut prædicti malefici possunt ire ad terras Soldano subiectas, ita quasi possunt inde redire ad patrias suas: ita quod ad plenam inhibitionem additur cuiuscunque, quod ad terras eorum, & etiam ad suffocandum cursum mercimoniorum supradictarum terrarum & locorum, expedit persequi transgressores prædictos & mercimonia supradicta, tam in terra, quam in mari: & in tantum plus, quòd illi Christiani pessimi & iniqui, qui tunc temporis transfretabant illuc, id est, circa principium constitutionum super hoc editarum, quando de partibus illis reuertebantur ad patrias, propter multiplicationem lucri, speculum Diabolicum erant multis, & causam eis transgressionis & damnationis similis præparabant. Ita quod multi propterea iuerunt plures, & redierunt, & cœperunt damnatum propter malam consuetudinem sibi cursum. Vnde si tam glorioſi mandati fractores in terra & in mari, tanquam hæretici, per vniuersum orbem persecutionem patiantur cum eorum mercimoniis, ne similes illis fiant, qui per malum præteritum facti sunt scandalum plurimorum, & puniti taliter fuerint quod cedat omnibus in exemplum: cum paucis procul dubio galeis, Ecclesiæ vexilla ferentibus, ad terrorem ipsorum, custodia perficietur eadem, ad tam sanctissimum beneficium adimplendum.

CAP. III.

Continet necessitatem remouendi cursum mercium, quæ de terris Soldano subiectis portari consueuerunt, à tota Africa, & de tota Hispania, vbi habitant Agareni.

111. ET cum opportunum sit, quod auferatur cursus mercimoniorum à terris Soldano subiectis, necesse est, vt à montibus de *Burca*, qui sunt in confinibus terrarum subiectarū Soldano cum terris Regis Tunisii, & per Barbariam & totum latus versus Meridiem siue Austrum, & per terram quam Agareni tenent in Hispania, nullus per aliquem modum vel ingeniū, audeat accipere aliquam speciariam vel mercimonia de India, vel bombicē, aut Zucharum, vel linū sub illa pœna quam incurrunt,

runt, qui accipiunt eas de terris Soldano subiectis. Cuius ratio est, videlicet quod illi Agareni de Meridie, siue Austro, non caperent sibi viam eundi ad terram Soldani, ad accipiendum speciariam & alias merces, sicut erant soliti facere tempore inhibitionis quando strictiùs seruabatur.

CAP. IV.

Continet causam quare eadem prohibitio debeat fieri versus partem Borealem à flumine Saleph vsq; in Anniam.

PRætercà à parte Septentrionis, à confinibus Ciliciæ, quæ nunc appellatur *Armenia*, à quodam flumine quod *Saleph* nominatur, eundo per *Ripariam Turchiæ*, quæ antiquitùs fuit *Græcia*, deuoluendo vsque in *Anniam*, etiam nulla mercimonia de India & de terra Soldani possint accipi, sicut de Barbaria est expressum, sub pœna inhibitionis prædictæ. Et ratio huius est: quia in partibus supradictis, & specialiter in terra *Candeloris*, & in terra *Sectalie*, multa vasa onerantur de lignamine, & de pice, & de pueris & de puellis, tam Christianis quam Paganis, & de seta & aliis mercimoniis, & inde transferuntur ad partes Soldano subiectas, & maximè in Ægyptum; & ibi deponunt & expediunt hæc portantes, & vendunt, & inde extrahunt Zucharum, & speciariam, linum, & alia multa, & conducunt ad loca supradicta Turchiæ, & cunctas illas de mercibus illis replent: ita quod per habundantiam quæ ibi habetur, ex eis inde conducuntur per mare vsq; ad partes Occidentales. Et cum iam superius sit dictum vsq; in Anniam reuoluendo, si DEVS per suam bonitatem suum velox consilium non præbit, oportebit quod exprimatur, quod DEVS auertat, vsq; à *Scutari*, quod per medium Constantinopolim est situm: eò quod *ii* Turchi pessimi Agareni quasi totam terram quam vltra Auedum versus Orientem Græci tenebant, subiugauerunt sibi, de quo multi Græcorum mortui sunt, & capti & venditi sunt pro seruis. Cum insuper ipsi Turchi de nouo facto nauigio, multas insulas quæ sunt circa illam terram firmam, cum crudelitate maxima destruxerunt, propter quod ipsa terra consumpta remansit. Ille autem, qui erit Capitaneus creatus ex præcepto Ecclesiæ Sanctæ DEI, percipere possit Saracenis Turchis, qui dominantur in terris ipsis, quod sibi caueant destinare nauigiũ, vel recipere aliquid de terris Soldano subiectis, poterit esse quod obedientes erunt per hanc rationem, videlicet quod ipsi habent aliquando defectum in certis locis de blado & de aliis mercimoniis multis. Insuper galeas vestras timebunt. Si verò contra fecerint, fiat solemnis inhibitio supradicta quod nullus Christianus sit ausus ire in dictas terras Turchorum, sicut dictum est de terris Soldano subiectis, dando etiam ipsis omne damnum quod fieri poterit: quia hii sunt illi Turchi pessimi Saraceni, qui cum malis Christianis, qui vtuntur in suis terris, semper violauerunt & contrumperunt inhibitiones & præcepta Ecclesiæ, plusquam aliqua alia gens de mundo. IV.

CAP. V.

Continet causam prohibitionis cur nullus fidelis emere debeat de mercimoniis portatis per quoscumq;, de districtu Soldani. Rubrica.

ET quod in aliqua parte nauigi, & specialiter in Romania, & in Insulis, nullus sit ausus emere vel accipere aliquam speciariam vel mercimonia de India, nec bombicem, Zucharum aut linum; quæ ipsi præsumere possent vel scirent, de quibus constare posset, quod per aliquod ingenium vel modum venissent de dictis terris Soldano subiectis, sub pœna inhibitionis præfixæ. Et ratio hæc est, quod elapsis temporibus quando Christiani magis cauebant ire in terras Soldani, quam tempore moderno, plures insulæ & terræ marinæ recipiebant defraudatores, qui cum mercimoniis veniebant de terris Soldani: propter quod quasi omnes mercatores Christiani de terris marinis sub tali velamine portabant mercimonia opportuna, propter vtilitatem terrarum Soldani, in terras & in Insulas supradictas; & accipiebant de mercimoniis terrarum Soldani de dictis terris & Insulis, & conducebant ea in partes Occidentales, cum quadam conscientia sua larga. V.

CAP. VI.

Continet pœnam dominis siue rectoribus terrarum, vel communitatibus inferendam, qui aliquos contra prædicta facientes in suis portubus aut terris receperint. Rubrica.

VI. ET ad hoc, vt ad laudẽ & gloriam nominis Domini nostri IESV Christi hoc Sanctissimum opus pleniùs obseruetur, & quod occasio peccandi à peccatoribus etiam auferatur, si placet Sanctissimo Domino huic inhibitioni iniungantur; ne aliquis dominus terræ, vel rector, aut specialis persona huius mandati fractores in terris suis & subditorum suorum præsumant recipere vllo modo, nec mercimonia talium emere aut eis inauere, & personis, aut in aliis consilium, auxilium & fauorem impendere vel succursum, nec illos valeat quomodolibet sustinere, sub pœna quam portare deberet quicumque fautor vel auxiliator esset hæreticæ prauitatis. Quod si hæc fient, DEVS omnipotens viam aperiet ad hæc omnia percomplenda. Et quando Sanctitati vestræ non videretur gentem supradictam per modum præfatum compellere, non est credendum de valendo acquirere, nec compellere infideles & rebelles, qui occupatam tenent fidelibus Terram Sanctam: quando nostri proprii non constringerentur quin fauerent, & assisterent inimicis vestris, tali auxilio & fauore. Quæ compulsio siue constrictio facilè fieret, quando placeret vestræ clementiæ.

CAP. VII.

De maris custodia & primo apparatu vel exercitu Christiano, de modo quoque armandi, ac summa expensarum. Rubrica.

VII. De galeis habendis in partibus vltramarinis. *Et si Celsitudini Apostolicæ videretur in terra processum facere, & mittere aliquam ex quantitatibus galearũ superiùs positarum, ad maiùs custodiam, vt est dictum: & Capitaneus, cui fuerit armata commissa, tractare sciuerit & voluerit, vtiq; poterit ab infrascriptis benam & grandem quantitatẽ galearum armatarum sic commodè procurare. Poterit enim habere vnã à Zacharis Ianuẽsibus, qui dominantur in Chio Insula propè Turches. Secundam à Venetis, scilicet à domino* Guielmo Sanudo *& aliis de domo* Gi-

ET postquam vestra sanctissima prohibitio, prout in ante dicto breui compendio exprimitur, si Sanctissimæ voluntati vestræ de Spiritu Sancto accensæ placuerit, quod per vniuersum mundum fuerit publicata ad custodiam maris, & ad persecutionem Agarenorum, & perfidorum Christianorum euntium & redeuntium de terris Soldano subiectis, & omnium aliorum corruptorum huius beatissimæ iussionis: in tales persecutio fieri possit perpetuò, & vbiq;, per Capitaneum Ecclesiæ Sanctæ DEI: & etiam quod prædictus Capitaneus prouideat quod ferrum, vel alia mercimonia non transferantur in Armeniam, quæ possent transferri vel habundare in terris Soldano subiectis. Cuius ratio est, quia terra quam tenet Rex Armeniæ, est coniuncta terræ Soldani, & aliorum infidelium, ita quod inde leuiter portarentur ad terras Soldani prædictas. Cui Capitaneo vestro, vt semper cum omni humilitate loquar, concedantur galeæ X. quousque aliud de maiori Passagio per vestram sanctam prouidentiam potentiùs ordinetur. Quæ quidem galeæ cum ista conditione armentur, ad hoc, vt opus vestrum in DEI laudem & gloriam prosperetur: videlicet quod ille, qui erit Capitaneus, sit talis homo, qui nulli Fideli obedienti impedimentum faciat per aliquem modum; & quod dictas galeas per solidum nouem mensium, benè munitas & reforzatas de bona gente, habendo corpora galearum cum præparamentis suis & armis, teneatur Capitaneus ipse ad dictam custodiam vno anno tenere: tali etiam prærogatiuâ adiectâ, quod omnia quæ dictus Capitaneus & gens sibi commissa lucrabuntur, sua sint, vt magis reddantur solliciti & attenti ad inquirendum & persequendum quemlibet violatorem huius Sancti præcepti: & hæc erunt eis necessaria omninò ad sustentandum vitam suam & ad implendum prædicta. Et si Sanctitas vestra scire velit quantum ista constarent, noueritis quod corpora galearum emendo eas, vel faciendo eas fieri ad opus vestrum cum suis præparationibus & armis, constarent x v. M. flor. stipendium verò & alia necessaria & victualia, ponendo pro qualibet galea, CCL. homines, inter quos sit vnus valens homo & probus, qui *sit superuomitus*, in galea, à quo Capitaneus habere possit, cum expedierit, consilium, auxilium & fauorem. qui omnes ascenderent vsque ad II. M. vC. & dando soldum pro nouem mensibus ascenderent LXX. M. flor. *floreno* pro duobus soldis Venetorum grossi computato. Est autem memoriæ commendandum, quod qui benè armare desiderat, & habere homines gnaros maris ac marinis expertos, expedit circa natiuitatem domini incipere errogare stipendia conducendis. Et hoc ideo, quia illi, qui ad diuersas partes sua mittunt nauigia, eligunt tales viros: ita quòd propter moram posset gens eligi minùs bona, ipsaq; dilatio armatam redderet cariorem. Si verò in principio videretur

de tan-

de tanto numero vestra Sanctitas aggrauari, possetis solùm VII. galeas tenere continuè, cum illa conditione, quæ est superiùs annotata. Et si quis forsitan dubitaret quod per modum prædictum non possent Capitaneus & homines inueniri: Respondetur, quod rationabiliter possent, propter spem lucri, & partem adipiscendam ex spoliis, quæ super inimicos verisimiliter magna fient terra mariq;. Et ita cõstaret armata talis circa quinquaginta millia flor. præter galearum corpora cum apparatu & armis. nihilominus hoc opus sanctum finem debitum sortiretur. Et licet galeæ huius sint necessariæ supra modum, tam propter terrarum vltramarinarum tuitionem & conseruationem Fidelium, quàm propter offensionem infidelibus inferendam, & specialiter contra illos, qui nauigant & transfretant ad partes Soldano subiectas, tam fideles inobedientes quàm schismaticos, quamq; etiam Saracenos & alios infideles, ne videlicet transeant seu mittant ad partes Soldani prædictas, tamen obseruantia sanctorum prædictorum processuum in terra, multum plus conferret huic opportunitati vigoris, quam supradictæ galeæ: sed vnum simul cum altero, producunt negotium ad effectum. Vlteriùs examinando & reuoluendo in animo meo, per longi temporis spatium diligẽter, quantam vtilitatem, quantumq; bonum afferat, obseruatio sanctorũ processuum, in terra, & ipsorum persecutio transgressorum, ac circa mercimonia eorundem, mihi videtur quod, pensato auxilio galearum armatarum, quod obtinere poterit vestra Sanctitas ab Insulis Romaniæ & Cypri, ac aliis, si in illis partibus principalem conatum & caput faciat Apostolica Celsitudo, quod solum cum v. galeis per antedictam conditionem armatis, sufficienter ad præsens posset negotium adimpleri: quæ constabunt in anno circa XXXV. M. flor. In iis tamen non computatis corporibus, apparatu, armis & arnesiis galearum. Verùm si galeæ armarentur, & per Ecclesiam aliæ inhibitiones quàm habitæ ad præsens non fierent, faciliter posset magnum scandalum suboriri; & seditiones inter gentes dominorum seu communitatum maritimarum & Ecclesiam prouenirent, sicut de facto inter *Hospitalarios* & *Ianuenses* tempore fratris *Fulconis de Villareto*, tunc hospitalis magistratum gerentis, emersit: nec factum custodiæ posset executioni mandari. Ita quod vnum sine altero est negotium imperfectum: prout per huius quartam partem potest colligi manifestè.

5, cum sit Insulis ibi prope. Tertiam dominus Patriarcha Constantinopolitanus cum suis Clericis, aliique domini & vasalli Insulæ Nigropontis, si is inuentum fuerit, communicent: dummodo prior nõ sit quam modo conditio prædictorum. Hospitale verò ex Insulis quas possidebit, dabit duas. Sextam verò armaret galeam Archiepiscopus Cretensis, cum suorum auxilio Clericorum, aliorumque Nobilium in circuitu Insulæ habentium, nec non & fautorum & aliorum Crucesignatorum, si super hoc per literas fuerint requisiti, conceſſa eis semper licentia consueta indulgentia pro labore. Ab Illustri verò Rege Cypri, ac Prælatis & Nobilibus Insulæ antedictæ, rationabiliter credendum est, quod galeas quatuor, hilariter armarentur. Nam non requisiti, multoties plures quam quatuor armauerunt. Nec deberent armantes prædicti, armatam huiusmodi sibi imputare: cùm ipsa cederet ad vtilitatem & profectum omnium prædictorum. Nam per eam securiores existerent à Turchorum incursibus, aliorumq; Saracenorum molestiis, ac possent à societate Catelanorum aliisq; malefactis defensari. Ista verò X. galea in quarum qualibet sint GGL. viri, circa quas nihil omninò de Camera Romanæ Ecclesiæ expenderetur, per prædictos armata continuè tenebuntur: ac de ipsis Capitaneus Apostolici culminis, sicut de aliis galeis suo commisso regimini, poterit ordinare. Vlteriùs Rex Cypri, Hospitale, & alii supradicti de partibus Romaniæ, propter aliquam magnã causam euidentemq; profectũ, possent pro aliquo tempore de aliquibus aliis galeis, & etiã equitibus & peditibus, vestræ Sanctitatis Capitaneo subuenire. Insuper quoniam in partibus illis plures recuperari possunt galeæ mercatorum armatæ, quæ possent pro loco & tempore vtiles pro negotio inueniri, præcipuè quando forent cum galeis dictis superiùs adunatæ. Ita quod cum adiutorio illius, qui disponit omnia & gubernat, dum modo vestra Sanctitas in illa partibus aliquod principium fecerit de galeis cum bono rectore regendis, & cum processibus memoratis, multa bona tractari poterunt & complari.

QVINTA PARS, CONTINET RATIONABILIA MOtiua, cur Ecclesia in prædictis solicita esse debet: habens capitula tria.

CAP. I.

Continet alectiuum ad prosequendum prædicta, ratione negotij inchoati.

1. ET si clarissimo domino nostro placuerit prædicta ducere ad effectum, rationis claritas manifestat, quod DEVS iam voluit incipere & prouidere in recuperatione ipsarum sacratarum terrarum, rorataram præciosissimo sanguine Domini nostri IESV Christi; & visibiliter iam incepit: videlicet quod ad petitionem Christianissimi *domini Armeniæ*, gens extranea, vt prædictum est, in tantum Soldanum & Saracenos fulgutarunt, quod præsumi potest, quod vltio diuina ibi fuerit, propter crudelitatem factam per dictos Soldanum & Saracenos in Christi fideles de Acon, & de Syria, quando decolati & destructi fuerunt, & plurimi in captiuitatem ducti. Quod si DEVS incipe-

re voluit,&, vt dictum est,magnam partem terræ Soldani & Saracenorum destruere: vos,Sanctissime Pater,qui geritis vicem DEI, intendere cum omni gaudio credimini ad recuperandam dictam Terram Sanctam,lugentem & plangentem amarissimè,quæ vestra est, viua hæreditas & totius Christianæ Religionis; nec non residuum aliarum terrarum,quas tenuerunt & tenent Soldanus, & sceleratissimi Saraceni. Et,cum omni reuerentia loquar, pater Sanctissime, periculum est in mora. Inuenitur & legitur,*semper nocuit differre paratis*. Est autem considerandum propensiùs ad quam breue terrarum spatium Catholici sunt reducti: nam per Christi fideles,de Asia,*Cilicia* sola tenetur quę vulgari & communi nomine dicitur *Armenia*: quæ in quanta afflictione quantoq; degat periculo, in sequenti capitulo potest cõspici manifestè: quamuis in pluribus aliis locis Asiæ multi sparsim habitent Christiani. De Africa verò sola *Insula de Licerbia* Christianis tenetur: sed & aliqui fideles in Africa habitant,qui iugo Saracenico subprimuntur. In Europa autem in Hispania Saraceni *regnum Garnatæ* occupant: sed & in maioribus Hispaniæ partibus, quas vtiq; inhabitant Christiani, multi sunt Saraceni & Iudæi, sub Christianorum tamen dominio & virtute. Sunt verò in *Romania*, Græci schismatici: sed in aliqua parte ibi Fideles dominantur. *Exagora* quoq; & *Rex Seruiæ* etiam sectam Græcorum sequuntur: sed ipsius maritima & *Albania* videntur Catholicè viuere. Verùm pauci sunt ibi homines respectiuè ad alias nationes. *Boscena* hæreticorum est nidus. *Ruteni* sunt schismatici, qui cum aliis pluribus nationibus sunt Tartarorum de Gazaria dominio subiugati, qui Tartari Christianis Polonis & Vngaris sunt confines: *Letoini* verò cum Archiepiscopatu Rigensi, & cum domo Alamannorum, confinia sua tenent. Patet nunc terræ residuum quod à Catholicis habitatur: Ita quòd nulla principalium quatuor Patriarchalium sedium à Christi fidelibus possidetur.

CAP. II.

Continet piam auxilij implorationem pro vltra marinis fidelibus, terrisq; eorum ac regnis.

II. ET habere dignetur respectum pijssima misericordia vestra ad regnum vestrorum Fidelium Armenorum, quod in dentibus quatuor ferarum iacet. Ab vna parte infra terram habet *Leonem*; scilicet *Tartaros*, quibus Rex Armeniæ reddit magnum tributum. Ab alia parte habet *Pardum*: videlicet *Soldanum*, qui quotidiè dissipat Christianos & Regnum. A tertia parte habet *Lupum*: scilicet *Turchos*, qui destruunt dominium & Regnum. A quarta parte habet *serpentem*: videlicet *Cursarios* maris nostri, qui quotidiè rodunt ossa ipsorum Christianorum de Armenia. Et habere dignetur intuitum pietas vestra ad illos Christianos, qui in terris Soldani in captiuitate longo tempore permanserunt, quibus post amissionem Acon & Syriæ crudelius dominium factum fuit. Et insuper dignetur habere respectum clementia vestra ad illos alios Christianos de regno *Nubiæ*, & aliarum nationum, qui sunt vltra terras Soldani, qui sunt Nigri, qui a potentia Soldani persecutiones & flagella receperunt & habent. Aperire etiam dignetur oculos pietatis, super fideles vestros, qui sunt in Insula Cypri, quibus periculum imminet ab infidelibus: & etiam super Latinos Insularum Romaniæ, qui validè oppressi à Turchis facti sunt eis tributarii.

CAP. III.

Continet prædictorum epilogum & totius huius primi libri conclusionem.

III. QVod si Sanctissima inhibitio fuerit per Sanctissimum Dominum nostrum, vt prædictum est, per totum mundum solemniter celebrata, & prædictę galeæ ad prædictam maris custodiam transmittantur propter occasiones iam dictas, diuina gratia fauorante, fortitudo Soldani & Turchorum minuetur. Sic etiam Ambaxiatæ & Legationes, & tractatus, quibus *Imperator Græcorum* & Soldanus Babyloniæ se alternatim sollicitant, poterunt faciliter impediri: sic & *munera* maxima, quæ peruertunt oculos etiam sapientium, & corda rustorum inclinant & molliunt, quibus sæpissimè mutuò se præsentant: vt sunt arma, panni de serico & de lino, Zucharum, aromata, perlæ, aurum, argentum, lapides prætiosi; multaq; alia iocalia varia & diuersa, leuiter intercipi poterunt, & auferri. Hiis enim Legationibus & muneribus,

Deut. 16, 19.

ioca-

iocalibus, & tractatibus prædictus Soldanus Imperatorem Tartarorum, nomine *Husbecho*, qui in Gazaria, & aliis Septentrionis partibus dominatur, immutauit taliter & attraxit, vt legem receperit perfidi Mahumeti; nec non aliqui ex gente ipsius, ad eandem perfidiam inclinentur. Est autem vehementer timendum, vt si continuentur talia inter eos, ne perfida illa secta in Septentrionalibus partibus crescat continuis incrementis. Hoc enim foret in præiudicium nimium & periculum maximum fidei Christianæ. Nam à nonnullis dignis fide asseritur quod dictus *Husbecho*, habet equitum multitudinem adeò numerosam, vt subtrahendo tres de decem, cum per decuriones habeat exercitum ordinatum, ex solis ternariis in campo ponit ita militiam copiosam, quod quasi incredibile videatur. Verum si inter eos maritimus aditus, vt est dictum superiùs, clauderetur, prædictis omnibus posset debitum ac sufficiens remedium adhiberi. Faciliùs est enim *obstare principiis*, quam principiata & iam firmata per diuturnitatem temporis, immutare. Mare etiam, & terræ fidelium de vltra mare erunt securiores, & Christiani terrarum marinarum istius maris nostri Mediterranei, & specialiter terrarum quæ sunt potentiores, & quarum gentes plus nauigant, & magis inde commodum cõsequuntur; de magno extrahentur errore; & non solùm seculares, sed etiã Clerici & Religiosi, quod maximum bonum erit. Nam ista est veritas: quod si à Christianorum partibus transfretari non potest cum auro, argento, ramo, stagno, zaffrano, mastica, pannis lanæ, setæ, & lini, & aliis mercimoniis hiis similibus, ad terras Soldano subiectas, propter inhibitiones per sedem Apostolicam constitutas; & à terris Soldano subiectis non potest extrahi nec cõduci bombix, Zucharum, linum, piper, & aliæ species & mercimonia Indiæ; & quod isti, qui de prædictis mercimoniis huc vel illuc cõducunt intelligãtur incurrisse pœnam processuum & inhibitionis vestræ Sanctitatis: quasi omnes illi, qui habitant in illis terris maritimis in graui conditione persistunt, propter continuam conuersationem quam habent cum transgressoribus antedictis: Et terra Armeniæ, quæ bombicem fructificat in magna quantitate, erit multò melioris valoris; & speciariæ de India & mercimonia per contratas & ciuitatem Baldac descendent in Armeniam ad nostrum mare, de quibus Christiani de Armenia vtilitatem consequentur, cum qua Regnum ab inimicis Ecclesiæ Saracenis poterit defensari. Et cum illa magna pars terræ Soldani, vt prædictum est, per Tartaros iam consumpta sit, signum est quod DEO auxiliante, & vestra Sancta gratia fauorante, terra Ægypti & residuum in tantum consumi poterunt, quod breuiter Passagium in recuperationem Terræ Sanctæ, & aliarum terrarum quas tenet Soldanus leuius fieri poterit, in conuersionem Soldani & Saracenorum, & recuperationẽ ac ædificationẽ Ciuitatis Sanctæ Ierusalem; in consolationem & libertatem filiorum Christianorum, qui in illis partibus commorantur, ac etiam in augmentum totius fidei Christianæ. Pro quibus omnibus Omnipotenti DEO, & Virgini Mariæ, Apostolisq; eius Petro & Paulo, atq; Andreæ, & beato Marco, totiq; Curiæ cœlesti, humili deuotione supplico & exoro, quatenus in hiis & in aliis omnibus quæ semper feceritis, ad laudem & gloriam nominis ipsius Omnipotentis DEI sint, & ad honorem vestri, Sanctissimi Domini nostri, in salutem omnium propinquorum & amicorum vestrorum, viuorum & defunctorum, Amen.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
FILII DEI VIVI: AMEN.

DEVS misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi, DEVS, cõfiteantur tibi populi, DEVS, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi, DEVS, confiteantur tibi populi omnes. Terra dedit fructum suum. Benedicat nos DEVS, DEVS noster, benedicat nos DEVS, & metuant eum omnes fines terræ. Psal. 66.

Gloria Patri, &c. KYRIE. CHRISTE. KYRIE.

Pater noster.

INCIPIT PROLOGVS SECVNDI LIBRI.

AD eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI laudem, inuoco & exoro beatissimam Virginem Mariam matrem eius, beatissimos Apostolos Petrum & Paulum, beatos Iohannem Baptistam & Euangelistam, & Sanctum Marcum, beatos Georgium, & Nicolaum, & totam curiam cœlestem, vt orent DEVM, quatinus dignetur mihi suam gratiam elargiri dicendi & componendi in hac parte, quæ ad honorem & gloriam nominis sui spectent, & vestræ complaceant Sanctitatis auditui, & ad statum & augmentum vertantur fidei Christianæ. Licet præsumptuosum appareat humilem seruitorem sublimi Domino arduа recordari, fides tamen & deuotio recordantis, irreprehensibilem ipsum reddit. Hinc est quod cum Sancti prædecessores vestri semper intenderint ad Sanctæ Terræ recuperationem, vt publicè fertur & sic credatur vestram Sanctitatem intendere ad quod aspirare debet deuotus quilibet Christianus. Ego Marinus Sanudo, dictus Torsellus, filius domini Marci Sanudo, de contrata Sancti Seueri de ciuitate Riuoalti, de Venetiis, supradictus, cogitans dispossui componere librum secundum super negotiis Terræ Sanctæ, currente Anno à Natiuitate Domini M. CCC. VIII. mense Decembris: qui subditur, & est ad confirmationem & robur primi libri supradicti de ostendendo modum & viam quibus recuperari poterit Terra Sancta, ad DEI laudem, & Ecclesiæ suæ Sanctæ ac vestræ Sanctitatis honorem, quem scribere cœpi Anno Domini nostri IESV CHRISTI, M. CCC. XII. Mense Decembris, Clarentiæ.

A. Dni. 1308.

A. Dni. 1312.

INCIPIT LIBER SECVNDVS EIVSDEM OPERIS, CONTINENS VIAS ET MODOS QVIBVS APTE ET EXPEDITE Terra Sancta recuperetur: habens partes quatuor.

PARS PRIMA, CONTINET FORMAM ET ORDINEM SECVNDI EXERCITVS CHRISTIANI: HABENS CAPITULA QUATUOR.

CAP. I.

Continet quomodo vnus debeat præfici Capitaneus: & quales conditiones habere debet; quot etiam in societate sua habere oportet: & vbi debeat applicare.

1. IGITVR cum ita sit quod origo & fundamentum debilitandi Soldani potentiam Babylonici, & remouendi à multis occasionem participandi cum illis inimicis Crucis, contra præceptum Ecclesiæ, & acquirendi Terram Sanctam, sit ponere istud opus antedictum ad executionem: id est, tenere fortiter processum in terra, & dictas x. galeas vel VII. in mari, per modum iam dictum, ad hoc vt nihil portaretur eis hinc, vel inde afferatur huc, poterit vestra clementia ordinare ac mandare de hiis, sicut, & quando Pontificalis prouidentia, Sancto dictante Spiritu, prouiderit ordinādum. Quod si ea executioni

cutioni mandanda veſtra determinauerit Sanctitas, ad plenam conſumptionem Soldani exigetur, ſi placet Sanctiſſimo domino, quòd in anno ſecundo vel tertio, poſtquam ſuccurſus rerum, quæ terris Soldani, contra inhibitionem Sanctę Eccleſiæ, portari ſolent, defecerit, eligatur vnus homo diligens, & timens DEVM, bonæ famæ, ſapiens & diſcretus, largus & liberalis, fortis & conſtans, diligens & operans iuſtitiam, qui ſit pro vtilitate boni communis Chriſtianitatis, & plus diligat illud quàm proprium; habeatq; beneuolentiam & amicitiam Venetorum, vt poſſit cum illis facere facta ſua, & in eis cõſilium & auxiliũ inuenire. Huic ſiquidem *Capitaneo* oportuna erunt in omnibus x v. M. peditum, & c c c. homines ad equos, ita vt vno deficiente alius ſubrogetur loco eius: omnes ad ſoldum Eccleſiæ, cum nauigiis & victualibus, & aliis ſibi ad bellum neceſſariis, vt oportet. Et ſit vnicus Capitaneus cui committatur negotium: quia *res ordinata, vnum caput requirit.* Quos omnes dictus Capitaneus ducet ſuper maritima loca Ægypti: ibiq; terram capiet, & habitationem faciet, iuxta conſilium quod ab expertis datum ſibi fuerit & oſtẽſum. Congregabit ibi etiam nauigium, tam maris quàm fluminum, vt poſſit ſuper inimicos fidei currere quando & quo ſibi videtur expedire.

CAP. II.

Continet quæ natio maritima vtilior ſit ad huiuſmodi expedienda negotia.

ET quod armata dicti Capitanei, ſiue Admirati de vno loco, vbicunq; commodius poterit reperiri aſſumatur: quia gentes exercitus, galearum & nauigii in diuerſis partibus armatorum congregatæ, in ſimul malè conueniunt, & malè ſe tollerant; & facilè poſſet oriri diſſenſio inter eos, propter quod tota res poſſet ſubitò deperire. Et videtur quod iſta armata principaliter deberet fieri *Venetiis*, propter multa. Primò, quia Veneta gens ita benè attendit id quod promittit, ſicut aliqua gens de mundo. Secundò, quia ibi & in confinibus ſuis homines armorum inueniuntur, & marinarii tam maris quam fluminum, habundantiùs quam alibi, & ad bonum forum habundantia huiuſmodi marinariorum eſt Venetiis, non ſolùm per contratam Venetiarum, ſed etiam per cõfinia ſua, quæ fluuiis & lacubus plena ſunt, & per conſequens marinariis fluuiorum. Tertiò, quia neceſſaria ad armatam complendam tam in nauigiis, quàm in aliis neceſſariis, in Venetiis & in vicinis ſuis, & in terris ſuis, in magna copia poſſunt omni tempore reperiri. Quartò, quia homines Veneti nutriti ſunt in aqua, & multotiens habuerunt facere cum vicinis ſuis in talibus, habent experientiam talium: propter quod veſtra Sanctitas poteſt hoc videre per exemplum eorum, quæ fecerunt Veneti, & faciunt cum vicinis ſuis: ad quem bonum finem, præſentia negotia, ſi per eos contingat fieri, poterunt peruenire. Quintò, quia inter alios homines maris de Occidente, qui poſſent huic facto intendere, Veneti habent meliùs nauigare verſus partes Orientis, tam propter raritatem pelagorum, quàm propter breuitatem itineris eorum; & etiam quia habent plures portus, quàm aliqui alii vſque in Romaniam: & quia habent viam maris aliqualiter aliis breuiorem, & ſpecialiter in hyeme cum galeis armatis. Sextò, quia in diſtrictu Venetiarum, ſcilicet in ciuitate *Clugiæ*, ſunt homines in magna quantitate fortiſſimi, ſiue dexteri atque docti & apti ad cauandum tam in terra quam in paludibus, & ad leuandum terram, vbi eſt aqua, & ad faciendum aquam labi, vbi eſt terra: qui eſſent multùm vtiles pro via & opportunitate præfata; ſuntq; boni marinarii tam de mari quàm de fluminibus & ſtagnis; & ſunt bona gens pro armis & de vicinis ſuis, ſcilicet *Paduanis*, & *Ferrarienſibus* aliqui, & maximè de *Ceruienſibus*, eſſent vtiles ad eſſendum cum dictis Clugienſibus in opportunitate præfata. Septimò, quia maritima & riperia Venetorum à *Grado* ſiue à caſtro dicto *Belforte*, vſq; per totam maritimam Ferrarienſis diſtrictus, & per maritimam *Rauennæ* ac *Ceruiæ* vſque *Ariminum*, quod eſt in longitudine miliarium, CCLXX. aſſimilatur multùm maritimæ de Ægypto, tam de littoribus quam de paludibus & ſtagnis & lacunis. Ita quod per cõtinuam conſuetudinẽ, quam habent Veneti eundi & frequentandi per iſtam maritimam, erunt in contratis illis magis domeſtici, arq; apti, & habiles ad acquirendam terram Ægypti, quàm aliqui alii, qui illuc propterea mitti poſſent. Attamen, quanquam quod ſuperiùs eſt dictum de Venetiis verum probabiliter cẽſeatur, tamen ſi celſitudini Apoſtolicæ videretur aliam geñ-

tem mittere ad hoc aptam, credo quod nihilominus bono fini dante DEO posset negotium mancipari: dum modo in gente illa non forent homines in quantitate notabili diuersarum nationum & morum, seu etiam dominiorum, se in moribus non bene portantium: quia nimia *nationum diuersitas, morumq; disparitas*, procurante Diabolo, qui actibus felicibus inuidet, possent aliquam turbationis materiam inducere in armatam. Sed si omninò videretur gentes diuersarum mittere nationum, tunc oporteret tot esse exercitus quot sunt gentes: nec non & quòd exercitus sint distantes ab inuicem; ac singuli exercitus sint tam fortes, vt ab inimicis valeant se tueri.

CAP. III.

Continet præparationem nauigij & aliorum necessariorum prosequenti vniuersali passagio: præparationem quoq; victualium: & de Tartarorum amicitia procuranda.

III. His itaq; dispositis oportunum erit, vt dictus Capitaneus & gens sua faciant ibi, ad expensas & iuuamen Ecclesiæ, magnum apparatum nauigiorum & maximè fluuiorum; & præparationem victualium, & aliorum necessariorum, pro iis, qui venturi erunt de Occidente. Tunc si Sanctitati vestræ visum fuerit, poterit *Crux prædicari*, anno secundo vel tertio; & gens valida in magno numero congregari, quæ ad istos veniens, inueniet præparationem victualium, locum paratum & nauigia ad currendum super inimicos, qui iam debilitati erunt per mare & per terram. Poterit terra Ægypti per istum modum acquiri: maximè quia videntibus *Christianis nigris de Nubia*, & de aliis contratis superioribus Ægypti tantum auxilium eis aduenisse; descendent super inimicos ex parte sua, & *Tartari* ex sua descendent in contratas de *Semo*, & de Syria: propter quod vtile erit habere amicitiam Tartarorum, & seruare sollicitè, tam per munera, quam per dulcia verba, & mutuas salutationes. Ita quod tenendo hunc stylum non poterit esse, quin DEO iuuante, infra quatuor vel quinq; annos ab inchoatione istius secundi negotii, terra Ægypti vestræ dominationi subdatur. Ita quod poteritis eam conferre tunc cui vel quibus vestræ Sanctitati placuerit. Et satis verisimile est, quod subiugata terra Ægypti, terra Promissionis se tenere non poterit, quin & ipsa vestræ dominationi subdatur. Insuper & aliæ terræ, quæ antiquitus *Francorum* esse solebant, vestro dominio se supponent, à Saracenorum dominio liberatæ: quia *extirpata radice, oportet quod necessitate rami arescant.*

CAP. IV.

De summa expensarum in tenendo exercitum prædictum XV. M. peditum, & CCC. equitum, & rationabili profectu eorum.

IV. ET si Sanctitas vestra scire dignetur quantum ascendant in anno expensæ prædictis XV. M. hominum peditum, & CCC. hominibus ad equos, pro nauigiis eorum, victualibus, & aliis necessariis, & etiam pro expensis faciendis pro Tartarorum supradicto negotio oportuno; præcisè respondeo: quod in tribus annis constarent XXI. vicibus C. M. flor. computans *florenum* soldis duobus Venetorum grossorum: videlicet DC. M. flor. auri annuatim, pro stipendiis dictorum hominum ab equis, & peditum, & pro victualibus oportunis, & pro expensis, quæ occurrerent pro conseruanda amicitia Tartarorum, vt dictum est: coæquando vnum annum cum alio. Item, constarent nauigia, lignamen, ferramenta & alia necessaria ad ædificandum habitacula, & alia faciendum, quæ ad prælium occurrerent facienda, cum restauratione equorum, qui in prædicto seruitio perderentur vel deuastarentur CCC. M. floren. auri pro toto tempore supradicto. Ita quod ascenderent expensæ huius ad prædictam summam XXI. vicibus C. M. flor. in dictis tribus annis. Hoc est pro quolibet anno DCC. M. flor. licet à primo anno in antea, postquam Christiani cœperint in Ægypti maritima locum quendam, in quo, vt dictum est, habitaculum fecerint, & etiam mansionem, de ipsa terra Ægypti & aquis eiusdem à Sanctitate vestra magnum commodum trahi posset. De aliis autem necessariis victualibus & nauigiis, pro gente quæ veniet de Occidente, vt dictum est, erit prouidendum quod Sanctitas vestra mandauerit ordinandum. Et si Sanctitas vestra vellet scire vtrum istud negotium posset, cum paucioribus hominibus & minoribus expensis

pensis fieri. Respondeo reuerẽter, quod posset esse quod sic: sed cõsiderando quod factum armorum requirit omnem securitatem, quæ sibi potest dari, nec est in hoc parcendum expensis, vt securum sit, cogitando etiam quod Sanctitas vestra potest expensas huiusmodi sustinere: Videndo nihilominus quod necessarii sunt homines ad firmandum & muniendum locum vel loca habitabilia, vt dicti homines sint fortes, per aquas salsas & per aquas dulces: dico pro certo, quod qui dominabitur in aqua dulci, in tantum quòd possit currere hinc indè & redire ad suam voluntatem, cum paucis hominibus quos ad nutũ emittere valeat super terram, infra modicum tempus oportet eum esse dominum terræ. Et ratio prędicta est, quia magna pars totius terræ Ægypti est dispersa super flumen Nili, quę terra multum longa est & stricta: ita quod nullatenus posset custodiri per aliquam copiam gentis quam ipsi haberent, quin gens aquæ supradicta eam acquireret, & teneret, vel ipsam consumeret.

SECVNDA PARS, CONTINET TAM REPROBATIONEM ITINERVM, QVÆ VIDENTVR ALIQVIBVS PER STOLVM Ecclesiæ facienda, quàm rationem ostensiuam, quod iter maritimum de Ægypto sit potius eligendum: habens capitula decem.

CAP. I.

Continet quod stolus Ecclesiæ per terram nullatenus est ducendus. Rubrica.

1. PRAETET igitur ex prædictis & maximè ex infrascriptis, quod non est necesse, quod exercitus Passagii, per terram transeat, sicut quõdam fecerũt benemeriti Veterani. Non est eundũ per terram, propter multa incommoda, quæ in itinere exercitui imminerent, tam propter longitudinem & asperitatem viæ, quàm propter Regionum varietates, & obstacula atque discrimina, quæ transeuntibus possent occurrere in itinere & oriri: & etiam propter defectum victualium & aliorum, quæ necessaria exercitui dignoscuntur. Etsi forsitan quis diceret quod Passagium fratris *Petri*, qui dictus est *Eremita*, & domini *Gotefredi de Buione* per hanc viam processit, prosperè per terram: Respondeo, quod processus eorum nõ fuerit prouisionibus humanis vel viribus, sed diuinis directus auxiliis, & supernâ gratiâ terminatus.

CAP. II.

Continet aduersum quorundam Consilium dicentium, quod stolus præfatus descendere debeat super terram Armeniæ, vel Syriæ, siue Ierosolymæ Terræ Sanctæ.

11. ET est quorundam Consilium, quod exercitus Passagii per mare transiens descendat in *Armeniam*, tam propter bonum portum, qui ibi habetur, quã pro refrescando ibi & quiescẽdo; & quod deindè per terram procedat, & pugnando per contratam Antiochię & Syrię intret Terram Promissionis. Ad quod dico, quòd nõ est in Armeniam descendẽdum, multiplici ratione. Primò, quia terra Armeniæ est infirma, propter quod imminerer exercitui periculum infirmandi, & pereũdi multitudinem bellatorum. Et considerandum est quod multoties *Tartari* cucurrerunt per terram, & cœperunt quasi omnes *contratas de Semo*, & *de Syria*: sed quia non potuerunt transire desertum per quod transitur in Ægyptum, nec ad partes appropinquare Ægyptias, compulsi sunt partes acquisitas relinquere: & Soldanus illas recuperauit continuò, & tenet & dominatur vt priùs. Et si dici vellet quod Tartari compulsi fuerunt relinquere acquisita, hoc fuit, quia non potuerunt in æstate commorari propter intensionem caloris, & propter defectum herbatici, quod non habuerunt pro suis equis pascẽdis & gregibus; & quod hoc benè possent facere Christiani, qui vellent in illis partibus cõmorari, propter subsidium victualium & aliorum necessariorũ, quæ eis quotidie portarentur per mare; & quod possent ibi ædificare fortilitia atq; castra. Respondeo, quod videndum & examinandum est priùs quomodo hoc possent facere Christiani; & cum quanto fortio & expensis, quãdo hoc

complcuissent, quid fecissent. Nam primò considerandà est Soldani potentia, quæ vbique dignoscitur esse magna, & maximè in militib. Et si Sanctitas vestra scire vellet de quantitate militiæ Soldani quam ad præsens habere diuulgatur, & creditur sicut communiter æstimatur, sunt lx. millia hominum in equis, diuersi tamen valoris, de quibus ad minus xx. M. sunt electi, & totidem mediocres, & alii satis viles. Et etiam habet Soldanus in partibus Semi & Syriæ magnos populos Saracenorum qui sunt multum excitati & docti magisterio sagittandi, qui tam pedites quàm equites omnes essent ad fronteriã obuii principales ad resistendum exercitui Christiano. Quare Christianos residentes ibi, rationabiliter oporteret habere magnam potentiam equitum & peditum, & etiam nauigiorum copiam, quæ eis portarent per mare victualia & frumenta necessaria habundanter, ad hoc vt sine defectu possent Soldani potentiam conculcare, & terram Semi & Syrię viriliter pugnando acquirere, & ibi ædificare fortilitia & munire. Hæc itaque omnia fieri & compleri nõ possent absque immensitate sumptuum, & grandi periculo personarum. Sed posito quòd cuncta in hiis succederent Christianis, & quòd hoc ad effectum perduceret, sibi contratam prædictam ad libitum supponentes, eorum remaneret animus in quiete, contra hostes vlterius procedere non quęrentes: quin imo pars potior ad propria remeabit. Tunc ergò terra Ægypti in Soldani fortia remanente, quid erit de Christianis in illis partibus commorantibus? Certè remanebunt periculo, repellendi à Soldano & à Saracenis, sicut alii fuerunt deiecti de ipsis partibus & expulsi. Quapropter in contratas Armeniæ, vel Syriæ, non est aliquarinus descendendum, sed solummodo in terras Ægypti maritimas, sicut superiùs est expressum. Est adhuc alia ratio: videlicet, quòd in Ægypto, fideles præsentes ad certãdum, & Occidentales populos ad succursum, reddet de terra Sancta futura principalis adeptio, promptiores: Et cum marinariis & aliis pẽditibus prædicti exercitus, & cum non multis equitibus, poterit, illius fauente potẽtia in cuius laudem res fiet, Sancta intentio percompleri: Et hoc erit cum minoribus sumptibus, & maiori tutela: quia Christianis nullum quasi posset prælium periculosum inferri, nisi per aquam, contra eorum libitum voluntatis. Et insuper, sicut in Syria sunt populi fortes & docti magisterio sagittandi, & exercitati in bello, sic in Ægypto populos reperient debiles atq; viles. Nihilominus, si vestræ Sanctitati placeret ad custodiam Regni Armenię tantam gentem destinare armigeram equestrem scilicet, & pedestrem, vt regnũ ipsum securum foret: præcipuè si posset à tributo non dando Soldano Babyloniæ, suisq; Admiratis & officialibus defensari, maximum bonum esset. Sic enim narrat infra tertius liber historiarum ciuitati Aconensi totiq; Syriæ tunc temporis fuisse subuentum, cum partes illæ fuerunt à Christicolis habitatæ. *Præteriti autem ratio, est magistra non immeritò futurorum.* Genti autem illi, quæ ad prædicti regni custodiam mitteretur, tam propter euitandam infirmitatem Prouinciæ, quam propter habitationem insolitæ regionis, posset taliter prouideri, vt videlicet gens illa missa more indigenarum Nobilium ibi commorantium, habitaret in planitie tempore hyemali; æstiuo vero tempore super montes in quibus sunt fontes pulcerrimi, aquæ limpidissimę & frigidę contra ęstum, herbarum copia, prata amenissima, sanus aer. Si verò homines illi casu aliquo contingente, ęstiuo tempore ad loca plana descenderent, vitent cauma solis, sint moderati in cœnis, limphent benè vinum, caueant ab amplexu: & inprimis pluuiis autumnalibus, à fumo terrę caueant ab amplexu. Et hęc etiam multùm prodesse possunt tam in Achaia, quàm in multis aliis partibus Romaniæ. Sed ad propositum redeamus. De Regno siquidem Armeniæ inesse debet Apostolicę Celsitudini magna cura, quia ipso dumtaxat excepto, in tota *Asiaria*, scilicet terra firma vltra mare, non est alia terra quę in fide Catholica manserit tempore modernorum.

CAP. III.

Continet improbationem dicentium in Cyprum dictum Passagium descensurum.

SVnt etiam aliqui opinantes quòd Passagium transeat per mare, & congregetur in *Cyprum*, ad habendam quietem propter multiplices labores, & maris inquietationes quos sustinuerint transfretando; & inde procedant ad debellandum inimicos fidei, habito prouido consilio & maturo exemplo dudũ beatissimi *Lodo-*

mi *Lodouici*, in partes Ægypti vel forte in partes Syriæ, quæ à Cyprensi Insula parum distat. Ad hoc respondeo reuerenter: quòd hæc via non est tenenda: Primò, quia *terra Ægypti* est sanior quam Cyprensis; & meliores aquæ habentur ibi, & multitudo piscium innumerosa in subuentione populi. Secundò, quia si deberet antea exercitus ad Cyprensem Insulam declinare, & inde ad partes Ægypti maritimas procederc, antequam posset adaggredi inimicos, poterit per viam rectam partes acquisiuisse præfatas. Sed de illo Passagio per Hispaniam, & transire in Africam per illud brachium stricti maris de *Gibelatar*, & de secta seu de transitu in *Tunitium*, siue in partem aliquam Barbariæ, non videtur mihi facere mentionem. Per cà enim quæ dicta sunt, & dicentur, siue etiam possent dici, prædictæ viæ inconuenientes sunt, & ineptæ ad eundum & ad acquirendum Terram Sanctam, præcipuè propter deserta media quæ obsistunt: cum & inclitus ille Rex Franciæ *Sanctus LODOVICVS*, cùm ad partes Tunitii cum exercitu passagii applicauit ipse & filius, nomine *Iohannes Tristanus*, cum Apostolicæ sedis Legato, ac multis Comitibus & Baronibus, propter Epidimiam inuadentem, in breui diem clauserunt extremum, multiq; alii de populo Christiano: secundum quòd in decimo capitulo XII. partis, tertii libri, scriptum distinctè conspicitur. Multæ sunt viæ de quibus multi locuti sunt de aggrauando inimicos fidei Catholicæ, & de acquirendo & tenendo Terram Sanctam: & inter eas viæ suprascriptæ videntur mihi meliores, & vtiliores omnibus aliis: & ideò scripsi eas, & feci comparationem ab illa via maritimæ Ægypti, ad alias, quæ mihi videtur vtilior aliis, reseruando semper illam viam, quæ vestræ Sanctitatis prouidentiæ plus placeret.

CAP. IV.

De quadam allegoria ad quoddam fortilitium adaptata.

IV. QVoddam *Fortilitium* est valdè magnum & decorum, atque benè munitum altis mœnibus & crossis, ac magnis tentoriis propè ipsum, atque habet multa valla, & etiam barbacana. Quod fortilitium munitum est gente, & sic similiter vallà munita sunt gente, & etiam barbacana, & præcipuè bona gente pedestri; ac mœnia fortilitii prælibati, super barbacanis prædictis & vallis omnibus dominantur. Dictum quippe fortilitium certas habet pusterlas per muros & tentoria, respõdentes inter prædicta valla & barbacana, per quas potest iri & veniri: sed dictæ pusterlæ bonas habent portas ferreas. Præterea dictum fortilitium habet solummodo portam vnam valdè magnam, quæ aperta semper extitit & existit, per quam præfata gens fortilitii supradicti magnam partem suscipiunt eorum, quæ necessaria sunt sibi; & specialiter tributa aut data & commercia, quæ maior pars Regum & Principum, Baronum, militum, aliarumq; vniuersarum gẽtium, & maximè, qui diuitiis affluunt, soluunt quotidie ac impendunt. Nunc est quidam sanctissimus dominus, qui multos habet fratres, filios, subditos, & fideles, qui cũ suis prædictis fratribus cogitauit & cogitat, dieq; noctuque vigilat, meditando qualiter suum possit exercitum congregare, tanquam ille, qui eundi vel mittendi magnum habet posse, ad hoc fortilitiũ conquirendum, petens præfatis fidelibus & subditis suis auxilium & consilium, quæ via, & qui modus tenendi sunt, vt ipse cum gente sua hoc possit fortilitium adipisci. Quid respondendum est & dicẽdum, à qua parte ibitur à gente sua, insultum dicto fortilitio illatura? Si dicetur quod eatur à lateribus, vbi sunt dicta valla, barbacana, & pustetlæ etiam antedictæ, videri potest apertè, quòd ibi foret nimium faciendum: quoniam valla transgredi & barbacana, causa perueniendi ad tẽtoria, & mœnia fortilitii iam prædicti, periculosum est valdè ac transeuntibus onerosum, quia dum in eisdem partibus ibi forent, tunc esset in oportunitate maiori, atq; maiori exercitio faciendo. Ex quo sequitur quod præfati sanctissimi domini dicta gens inuenire se possent fessos & finaliter fatigatos, propter immẽsos labores quos in barbacanorum transitu tollerauerint & vallorum, gentes illas expugnando & viriliter conculcando. Ita quod eis leuiter magnum posset damnum & periculum imminere, ac amittere totum quod fuerint elucrati. Quod totũ multotiens est probatũ, & iam patuit per exemplum. Et eo amplius, quoniam tanta fuit probitas & audacia præcessorum, qui hoc experti fuerunt, quod dictum fortilitium inexpugnabiliter intrauerunt: sed malo imminente consilio, atq; defectu ordinis

ſubſequẽte, eos inuitè oportuit retrogradi, ob quod hæredes ipſorum, quaſi totum quod acquiſierant amiſerunt. Iterato, ſanctiſſimus dominus comitiuam deſtinauit nobilium & magnatum, conferentium primis auxilium & fauorem ad dictum fortilitium expugnandum, quorum alii quaſi in principio negotii remanſerunt: alii verò iuerunt conquirentes magnam partem ex eo quod perdiderant ſupradicti, & redierunt propria reuiſuri. Fuerunt præterea quidam alii, qui per oſtium dicti fortilitii intrauerunt, ſed ſano conſilio derelicto & rectitudinis ordine non ſeruato, pro maiori parte ſe in manus ſuorum hoſtium tradiderunt, deficientes dictum fortilitium expugnare. Poſtmodum verò Sanctiſſimus Pater, multis vicibus & plurimis ſubſidium primis hominibus ſupradictis, & refugium deſtinauit, ſed finaliter illos non valentes defendere, totum & quicquid obtinuerant amiſerunt. Ergò dicendum eſt quod ab hoſtio quod ſemper manſit & manet apertũ, eſt procul dubio gradiẽdum quod tritum habet iter ac expeditũ, nullo interuallo in medio exeunte; & illud oſtium tali modo & maneria cuſtodire, quod præfata tributa, datia & commercia, aliaq; neceſſaria quæ ſunt dicta, noquaquam transferri valeant ad præfatum, ne habeant vnde poſſint gentem ſuam & ſuum populum armigerum recentare. Et ſi DEVS tantam præbuerit graciam ſanctiſſimo domino iam prædicto, quod tantũ velit gentis armigeræ cõgregare, quæ intra præfatum oſtium cum ſecuritate & bono ordine caſtra metari valeat, & hoſtibus hoſtiliter ſe opponant, manu ad manum præfatis audacter & viriliter reſiſtendo, quod impoſſibile non videtur, fiat ſi placet. Propter quæ omnia, laudandum eſt & conſulendum Sancto domino antedicto, quatenus habito cõſilio ſaniorum, ab ipſius hoſtii latere vadant dictum fortilitium inuaſuri: quod multò meliùs, ſecuriùs & commodiùs eſt abſq; comparatione, quàm ire à lateribus ad præfatum, vbi barbacanorum obſtaculum & vallorum immenſa reſidet fortitudo.

CAP. V.

De alia locutione metaphorica adaptata ad quandam arborem. Rubricà.

V. PRæterea quædam eſt *Arbor*, quæ eſt valdè magna, & tam ſtipes arboris quàm etiam rami eius, & habet multa folia; rami eius nimium cum ſuis foliis ſunt extenſi, & operiunt multum terræ. Dicta autem arbor multos habet fontes à quibus continuè irrigatur, & ſpecialiter ab vno, qui eam multum irrigat, & impinguat, contulitque ei & confert magnum & continuum alimentum: abſque quo fonte arbor præfata non poſſet commodè ſuſtentari. Ipſa arbor nullum fructum producit, ſed ſub ea multi boni naſcuntur fructus & creſcunt: verùm tamen, qui ad colligendum aliquos ex dictis fructibus deſiderat illuc ire clauſis graditur oculis: nam magnæ tenebræ ſunt ſub arbore ſupradicta: ſed fructuum bonitate multi homines ob cupiditatem ad eundum aſtricti, illuc procul dubio gradiuntur. Et multi ſunt, qui nullâ vrgente conditione mundanâ, vel commodo, pergere illuc vellent, nec vllatenus illuc eunt. Sed Sanctus dominus iam prædictus vnà cum ſuis fratribus, filiis, ſubditis, atque fidelibus die noctuque cogitant hanc arborem euellere, & finaliter diſſipare, vt ex dictis bonis fructibus ad colligendum lucidè & liberè poſſit iri; ac etiam quod ſui præfati filii, ſubditi, & fideles gaudere valeant ſupradictis, & eos ſine aliqua moleſtia poſſidere. Et ob hoc, ſubſidium implorat & conſilium ad euellendam dictam arborem, eradicandam, & vltimò diſſipandam, à qua nullus progreditur bonus fructus, cum ſuis radicibus, ſtipite atque ramis, ac foliis eorundem, ſic & taliter quod ipſa arbor eradicetur in totum. Cui conſultum fuit antiquitus quòd viros deſtinaret probiſſimos cum bonis ſecuribus atq; ronconibus, & aliis inſtrumẽtis, cum quibus vehementiſſimè poſſent exnemorare hanc arborẽ: & ſic extitit adimpletum. Nam ipſi ramos quam plurimos dictæ arboris amputare cœperunt, ac eorum folia deorſum excutere, de qua exnemorauerunt quandam partem; ac vſq; ad ſtipitem arboris taliter ambularũt, quod qui multum laborauerant fatigati, requiem poſtularunt. Qua de re dicta arbor, quæ continuò à dictis fontibus irrigatur & præcipuè ab illo magno in quo multa reperitur bonitas, & cuius pes in pingui loco reſidet atq; bono, multum incipit pullulare, atq; effici quaſi vt primitus conſueuit. Præterea dictus Sanctiſſimus Dominus iterato mittit auxilium & ſuccurſum illis quos antè miſerat

miserat ad dictam arborem succidendam: qui iterum similiter incipiunt amputare prædictam, ac ramos abscindere, eorumq; excutere folia, & detegere aliquantulum dictæ terræ ab arbore ac eius ramis & foliis cooperiæ, propter abscissionem quam fecerant. Cæterum ita accidit in extremo, quod dum isti, qui sero iuerunt, se inuenerunt aliquantulum fatigatos, & pertæsum fuit eos operis antedicti, ad patriam cuius oriundi extiterant, remearunt, cupientes requiescere præ labore, & hoc per processum temporis à pluribus actum fuit. Sed arbor quæ continuò dicitur irrigari, & specialiter ab illo magno fonte, & habet radicem suam in loco bono & pingui, in tantū ramos suos extendit, quod ad statum regreditur pristinum in quo erat: & hoc pluries iam peregit, & in tantum quod dictæ arbori proprium est principium restitutum. Nunc quid dicetur: quid pro consilio fertur Sanctissimo Domino, qui quotidie possit consilium & auxilium sibi dari, pro dicta arbore radicibus euellenda? Videtur quod iter aliud sit tenendum, omisso quod retentum fuit hucusq;. Et hoc patet quoniam multi fortissimi viri iam, vt dictum est, in eisdem partibus extiterunt causa denemorandæ dictæ arboris, ac penitus euellendæ, qui ex ea suum intentum nequiuerunt executioni mandare, quos viros probissimos difficile esset præsentialiter inuenire. Quid igitur est consulendum, postquam tanta vis nullum conferebat auxilium: Necesse est vt dictæ vi auxilium tribuatur: hoc est ingenium & sagacitas: quibus insimul duobus admixtis sperandum est in DEO, quod prædicta arbor in totum per hunc modū & formam toraliter euelletur. Primò, est prædictus fons magnus amputandus, qui irrigauit & irrigat dictam arborem affluenter. Postmodum secundò, inueniendus est quidam vir probissimus multâ bonitate plenus, qui vllâ conditione mundana ad cupiditatem aliquam non declinet, cum bona comitiua, qui per DEI gratiam atque suam industriam, secum deferat multos vermes quos apponat radicibus & stipiti arboris iam prædictæ. Qui vermes talis naturæ existant quod immediatè, quod illuc peruenerint, corrodere incipiant radicem & stipitem arboris antedictæ. Et sic confidendum est in DEO, quod dicta arbor satis in breui suam perdet radicem, & stipitem, atq; cum ramis & foliis citò cadet. Et Sanctissimus Dominus postea præcipere poterit, quod de trunco fiat totum quod decibile suæ videbitur voluntati: ac fructus, qui sub eadem arbore orientur, clarè & liberè iri poterit ad colligendum à gente fideli ipsius Sancti Domini, nullâ nebulâ resistente: quibus etiam gaudere possint ac ipsos in pace tenere, & perpetuò possidere: ad quod nos perducat, qui viuit & regnat in secula seculorum, *Amen.* Quod dictum est, narratum est impropriè, ac etiam figuratiuè, vt ex eo exemplum efficax atq; verax cum plena similitudine trahi possit ad ostendendum, quomodo *iter Aegypti* maritimum melius omnibus aliis itineribus comprobatur: ac rectè est ianua per quam introire debet ad supradictum perficiendum negotium consumptionis sectæ perfidi Machometi, incipiendo primò illam semitam & fontem abscindere per quos eis tributa continuò deferuntur: quod fit per primum librum immediatè præcedentem: id, si placet, executioni irreuocabiliter conducendo, tam de processu, quàm etiam de galeis, & prout in hoc secundo continetur, postmodum consequendo.

CAP. VI.

De declaratione fortilitij antedicti & de iis, quæ pertinent ad prædictum.

ET vt nullum dubium oriatur, reuerenter ac suppliciter, cum emendatione, meum elucidabo intentum, quem habui super eo; quod superius est narratum vestræ Sanctissimæ pietati. Fortilitium antedictum intendo *Aegyptiam terram* fore, quæ diu extitit fortilitiū in partibus Orientis, qui sectam sequūtur perfidi Machometi mœnia & tentoria supradicta, est desertum quod circuit dictam terram Ægyptiam à lateribus versus Regnum Ierosolymæ ac Syriæ antedictæ. Et sic similiter à parte Africæ, quæ cum Rege Tunisii confines participat, est desertum magnum. Nam alta mœnia atq; erossa magnaq; tentoria prope ipsum, possunt deserti latitudini adæquari: prout enim ascendere altos muros quorum tentoritum est magnū, vt supra murorum summitatem carpere transitum violentum, difficilimum & fortissimū comprobatur: sic transitum facere per desertū, cuius longitudo per immensum spatium extendatur, pro vt est id de quo superiùs est narratum, cuiq; exercitui

VI.

transituro grauissimum & periculosissimum videretur. Barbacana & valla etiam dictæ terræ, appellari possunt fortilitia Syriæ ac Turchiæ, quæ bonâ gente pedestri melius fulta sunt, quàm terra Ægyptia supradicta. Ac mœnia fortilitii prælibati, super barbacanis prædictis & vallis omnibus dominatur. Hoc est, quod per mœnia fortilitii antedicti, super barbacanis prædictis, est desertum Ægyptium intendendum, propter quod gens fortilitii antedicti semper salui & incolumes extiterunt. Qui quidem dominati fuerunt & nunc temporis dominãtur prædictis barbacanis & vallis, quæ sunt fortilitia regni Ierosolymæ, Semi, ac Syriæ supradictæ: vt ostenditur manifestè ob incursiones Francorum, qui quondam ad regnum Ierosolymũ & Syriũ descenderunt: & præcipuè per Tartaros hoc patet. Pusterlæ verò, quæ per mœnia & tentoria correspondent, certæ sunt semitæ quæ ab Ægypto respondent per desertum in regno Ierosolymæ atq; Syriæ supradictæ: in quibus semitis à præfatis Ægyptiis certa suscipitur aqua ex magna industria congregata, quam pro eorum vtilitate sibi congregant & conseruant, solummodo dum eos oportet disponere ad transitum peragendum: hostia quidem quę pusterlæ habent ferrea, hæc sunt: quoniam cum præfati incolæ dictam aquam volunt abscondere vel vastare, ne ab alienigenis valeat reperiri, hoc mandant effectui quando volunt: ita quòd malè ac ineptè quis posset absque aqua per illas partes cum exercitu pertransire. Ex quo, vt mihi videtur, sequitur quod prædicta hostia seu portæ, portæ ferreæ possint & debeant appellari. Ianua autem fortilitii supradicti, quæ semper aperta extitit, & existit, Ægyptiam maritimam fuisse affero atque fore, per quam incolæ fortilitii supradicti receperunt & recipiunt magnam partem ex rebus præfatis Ægyptiis opportunis: & præcipuè magna tributa vel magna datia & commercia à Regibus, Principibus, Baronibus & militibus, ac vniuersaliter à gẽte qualibet mundi huius: & potius ab eis, qui ditati opibus affluunt antedictis, per formam hanc & modum quos humiliter & rationabiliter enarrabo. Videlicet, quod sciendum est, omninò & procul dubio reseruãdum, quòd omnia datia & commercia & pedagia, ac sumptus quos pro mercatura faciant & soluunt quotidie mercatores, in illos deueniunt, qui cõsumant quotidie mercaturam: ita quòd ob hanc causam mercatores ad terras Soldano subiectas gradientes, & soluentes magna datia, cõmercia & pedagia supradicta, & specialiter in Ægypto, facientesq; magnas expensas pro muniendis nauibus & galeis, in totum, vt dicitur, in illos deueniũt, qui cõsumant mercimonia antedicta: nam ob hoc mercatores, summa necessitate compulsos oportet eatanto vendere cariora. Ideoque potest veraciter enarrari quòd à maiori parte Regum huius mundi ac Principum & Baronum, à gentibus prædictorum, prædicto Soldano tributa magna conferuntur, propter datia & commercia quæ præfatus recipit à prædictis, ob mercaturam quæ continuò egreditur fortilitium antedictum: quæ mercatura in diuersis mundi partibus consumatur, & potius ab eis, qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt subditi & fideles, eo quod terræ suæ magis habundant populis ac diuitiis, quàm terræ procul dubio alienæ, propter quæ plus consumant piperis aliarumque omnium specierum atque mercationum descendentium de terris, quæ subditæ sunt Soldano, quàm faciant mundi aliarum gentium nationes. Et si quis à me exigeret, quæ sunt ista tributa, quæ dicto Soldano à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelibus impenduntur, potest huic taliter responderi: quòd præsentialiter sunt *argentum, æs, stagnum, plumbum, argentum viuum, oleum, auellanæ, panni lanei, ferici*, atque linei, coralla, telæ, zaffranen, & alia mercimonia non narrata: cùm sit dictum & specificatum in opere antedicto, quæ prædicti Ægyptii pro vsufructu in terra sua habent & retinent habundantur: superfluum autem seu residuum argenti, rami, stagni, zafframinis, corallorum, & telarum, transferuntur in Indiam, Ægyptii antedicti mentes sibi piper & alia genera specierum, & conducentes eas pro bono & condecenti foro ad terram Ægyptiam antedictam. Modò videri potest apertè quod argentum & alia supradicta de vna specie sunt in alteram transmutata: scilicet quod ex illis metallis præfatis, & aliis, habitum est piper, & alia genera specierum, cum aliis mercationibus Indianis. Quæ quidem omnia conducta sunt ad Ægyptiorum fortilitium antedictum: propter quam mercaturam etiam antedictam vadunt præterea mercatores, & deferunt de Mari Maiori à partibus Septentrionalibus pueros & puellas, quos præfati Ægyptii nominant

nant

nant *Mamuluchos*. At præterea mercatores deferunt supradictis de partibus Romaniæ & de Sclauonia aliisque locis quam plurimis, *lignamen, ferrum*, & *picem*, per mare, facientes ex omnibus supradictis cambia in fortilitio supradicto, scilicet quod ex istis recipiunt, *zucharum, linum*, & præcipuè *piper*, aliamq; speciem tam & de India mercaturam, quod quippe agunt de *Candeloro* & *Septalia* similiter mercatores. Et tanto magis quoniam ipsi infantulos & puellas deferunt in Ægyptum, qui pro maiori parte à Græcis originem extraxerunt. Nunc autem satis potest lucidè demonstrari, quòd argentum, aliarumq; rerum magna pars, quæ à terris Fidelium in Occidente morantium in Ægyptum quotidie demandantur, finaliter in hæc terribilia cõuertũtur, vt sunt loquẽdo vulgariter, Mamoluchi, garzoni similiter & garzonæ, tam Christiani penitus quàm Pagani: ac etiam lignamen, ferrum, & pix, qui ad dictum fortilitium, quæ est terra Ægyptia, continuò deferuntur. Propter quæ omnia satis paret quale est illorum consilium, & quàm sanum, qui pro consilio impenderunt quod ad terras dominio Soldani subiectas ferri possent, aurum, argentum, æs, stagnum, seu ramum, zaffiramen, coralla & similia supradictis: dicendo & etiam præsumendo quod talia & eis similia in Ægyptiam prouinciam deferentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ processui non resistunt. Sed mihi videtur quod propter ista, quæ de Occidente in Ægyptum quotidie demandatur, Soldanus cum cæteris ei subditis, cõtinuè suæ sustentationis & vitæ recipiunt partem magnam: quoniam absq; eis piper habere non possent, neq; alia genera specierum, cum aliis de India mercaturis. Similiq; modo ipsi habere nequirent Mamuluchos, ferrum, lignamen, & picem etiam antedictam; vel si haberent, eis non affluerent, vt optarent. Quam ob causam, qui benè considerat compellere & vitare, ne præfati Mamoluchi, ferrum, lignamen, & pix, quæ illuc feruntur, vt dictum est, minimè deferantur, oportet primò aurum, argentum, ramum, stagnum, zaffiramen, coralla, aliaq; eis similia, prohibere ne ferri valeant in Ægyptum, propter quæ omnia, incolæ dictæ terræ, de India vt dictum est, recipiunt mercaturas, & genera quælibet specierum. Si autem diceretur: Nonne facti sunt à Sancta Romana Ecclesia processus multi & prohibitiones aduersus illos, qui eunt illuc derogantes processibus & inhibitionibus supradictis? Respondeo quod ita credo: sed leges, decreta & decretales, aliæq; constitutiones quæ sanctæ sunt siquidem atq; iustę, ac bonum initium habuerũt, quę editę fuerunt tam à sanctissimis & venerabilibus patribus spiritualibus, quàm ab excelsis & Illustribus dominis temporalibus cõseruandũ quemlibet hominẽ æqua lance in suo proprio rito viuere. Et quanquã talia fuerint cõstituta, modicũ prodessent, nisi foret, qui ea executioni mãdaret. Et idcircò de similibus idẽ iudicium trahi potest: quia licet inhibitiones sanctorũ patrũ & venerabiliũ sanctiones iustè editæ fuerint aduersus illos, qui cũ præfatis rebus vel mercationibus, ad terras Soldano subditas nauigant, nunquã fuit ex dictis dominis spiritualibus aut temporalibus quisquã repertus, qui sanctiones & inhibitiones p̃dictas conatus fuerit adimplere, ac eas executioni mandare: de quo, reuerenter & suppliciter eloquẽdo, dici potest, quod versum sit non solũ in Sanctę Ecclesię opprobriũ, sed etiã in contumeliam Creatoris, atq; in magnũ damnum suorũ subditorũ, & fideliũ detrimentum, super quibus ipse Sanctus Pater prouidebit, vt sibi melius & sanius videbitur faciẽdum. Et si quis peteret vel exigeret, Nonne aliquis fuit sequẽs inhibitiones istas, & mandans executioni hucusq;? Reuerenter respondeo cum omni humilitate deuota, quòd nemo transgressores earum inhibitionum persecutus fuit hucusque in mari benè, & in terra etiam multo minus. Quam ob causam cùm aliquo prædictorum nulla quasi sit exacta iustitia, multi, imò quamplurimi illuc iuerũt: ex quo eorum multitudini ob vestram Sanctitatẽ, vos, Pater sanctissime, decet misericorditer misereri tali manerie atq; modo, quòd sit bonum & salus suarum animarum, atque vtilitas & profectus conquisitus etiam Terræ Sanctę. Verùm ducto ad executionem primo libro à Sanctitate vestra, publicatisque processibus, & galeis armatis, vt superiùs est narratum, tunc qui in illud peccatum inciderent, tam eundo ad terras Soldano subiectas, quàm etiam redeundo, vel in quorum manibus aliquæ ex illis mercationibus forent repertę, quę de terris fuerint supradictis, vt dictum est: procedi posset aduersus eos absque remissione aliqua, secundùm quod iustum vestrę Sanctitati & rationabile videretur. Et est ita quòd *propter anaritiam huius*

mundi, præsentis vitæ afflictio timetur potius quam futuræ. Et ideo dignum & necessarium est, vt quos diuinus timor à malo non cohibet, temporalis pœna coherceat à peccato. Ipse Sanctus & reuerendus Pater & dominus, qui multos habet fratres & filios, est Sanctissimus piissimus pater dominus Papa, qui cum suis fratribus, Cardinalibus venerabilibus, & Prælatis Ecclesiæ IESV CHRISTI, die noctuq; vigilat atque orat, querens continuè auxilium & succursum, scilicet à suis fidelibus atque subditis, videlicet à Regibus Principibus & Baronibus, nec non generaliter ab vniuerso populo Christiano, vt dictum possit violenter fortilitium expugnare, pro suo patrimonio vendicando, scilicet Terram Sanctam quam Christus pedibus calcauit Sanctissimis & prætioso suo sanguine, nostris peccatis exigentibus, irrigauit. Quod est ei consilium sanius impendendum? Iam enim fuit multoties probatum de gradiendo à barbacanorum pattibus & vallorum, hoc est per Turchiam & Syriam, quando frater *Petrus Heremita*, & *Gotifredus* Buioni cum aliis Principibus & Baronibus transierunt conquirentes, & sibi etiam per DEI gratiam subiugantes tam ciuitates quàm oppida, vsque ad Ægypti desertum. Et tanta fuit probitas atque vigor tantus alicuius successorum suorum Regis Ierusalem, scilicet *Almerici* germani strenui bellatoris domini *Balduini*, quod cum suorum exercitu violenter & viriliter dictum fortilitium: intrauerunt, & *Kayrum*, & *Babylonem* firmiter obsederunt: quas nisi malo consilio imminente cum tota terra Ægypti, vt in *Acquisitionis* libro narratur, procul dubio expugnassent. Cæterum malo subsequente consilio, electi & repulsi fuerunt extra fortilitium antedictum, & finaliter ipsorum etiam successores, quasi ciuitates & oppida, & alia quæ tenebant in Regno Ierosolymæ atque Syriæ amiserunt. Præterea Serenissimus Imperator & Illustrissimus *Fridericus*, cum virtute magna, & innumera multitudine pugnatorum, per terram profecturus, iter arripiens, egressus autem de vltimis finibus Alemanniæ, transiens Vngariam, Bulgariam, Græciam, & per Saracenorum terras in manu potenti & brachio extenso, subiugatis sibi *Iconio*, *Philomena* & multis aliis ciuitatibus, vsque in Armeniam peruenit; vbi dum æstu maximo gratia balneandi in fluuium, quem *Fretum* appellant incolæ, descendisset, casu flebili submersus & suffocatus est in aquis, in totius Christianitatis, peccatis exigentibus, detrimentum. Præterea per hæc tunc temporis similiter transiuerunt, tam Illustres & excellentes domini, vt fuit dominus *Philippus* Rex Francorum, ac similiter dominus *Ricardus* Rex Anglorum cum multis Ducibus, Principibus, Comitibus & Baronibus, facientes id boni quod fecerunt, secundum quod inuenitur in *libro conquisitionis*. Sed finaliter ad propria remearunt, dimittentes negotium indiscussum: nec non & multi alii Barones, Principes & magnates, ibi iam exiterant, pro vt narratur in historiis, & Chronicis inuenitur, vsque ad tempus *Sancti Ludouici* Regis Francorum, qui *Damiatam* tam strenuè visitauit, cum tam innumerabili multitudine pugnatorum, quanta per historias ostenditur in præsenti; cuius exercitus, reuerenter loquendo, pro maiori parte periit, non habendo industriam neque ordinem, quibus tunc temporis indigebant, nec conquisierunt fortilitium prælibatum. Et post hæc prædictus Pater Sanctus, multis, imo quam pluribus vicibus ad prædictam Terram Sanctam conquirendam, & de infidelium manibus extorquendam, succursum & auxilium destinauit quam plurium virilium & nobilium pugnatorum. Cæterum in vltimo fuit amissum totum, quod aliquando fuerat acquisitum. Igitur dicendum est de cætero, vt est dictum, quod prædictum fortilitium obsidendum est, & audacter etiam inuadendum à porta quæ est magna, hoc est Ægyptia maritima, quæ semper aperta extitit, ac sine dubio expedita: & illud fortilitium est taliter inuadendum, quod nec prædicta tributa nec commercia recipiant incolæ dictæ terræ, nec per ipsorum cambia præfati Ægyptii alia sibi necessaria vllatenus valeant procurare, nec ex eis suum armigerum populum possint aut audeant recentare. Quod fieri potest in breui, ducendo ad perfectionem primum librum, tam de processu, veluti de galeis. Et si placuerit omnium conditori tantam conferre gratiam vicario IESV CHRISTI, quod tantum velit gentis numerum congregare, quantus in principio huius secundi libri narratur, equites & pedites poterunt ianuam introire, videlicet Ægypti maritimam, cum ordine bono, & consilio saniori, ac cum rebus omnibus, præfatis equitibus & peditibus oportunis: præcipiendo postmodum ipsos sequi illum ordinem

atque

atque ſtilum, qui in hoc ſecundo libro plenariè continetur, ſperandum eſt in DEO, & in ipſo veraciter confidendum, quod præfatum negotium fœlicem finem & laudabilem ſortietur.

CAP. VII.

De declaratione arboris & quæ pertinent ad eandem.

ARbor ſuperiùs memorata ſecta eſt perfidi *Mahometi*, quã ipſe ſuo tempore propagauit, & etiam gens præfati, nec non & prouinciæ ſubditæ prælibatis. VII. Inprimis ſtipes præfatę arboris, eſt radix, & ſuum efficaciſſimum fundamentum, quæ eſt in terra Ægyptia propagata. Rami verò arboris, antedictæ prouinciæ ſunt, & domini, qui præfatis prouinciis dominantur, ſcilicet in Turchia, Syria, & in Terra promiſſionis, nec non & in Barbaria, quæ *Regnum Tunitium* appellatur, & per totam terram Africę, & per omnes partes alias mundi huius in quibus obeditur & creditur ſectæ illius impii ſeductoris. Folia autem præfatæ arboris, gentes exiſtunt & populi facientes in præfatis prouinciis manſiones. Groſſities pedis arboris iam præfatæ, radix eſt Ægyptiorum, & potentia prædictorum, quæ eſt & extitit ſemper potentior omnibus aliis imitantibus ſectam illam, & præcipuè in partibus Orientis. Fontes ſiquidem, qui arborem hanc impinguant, & radicem, & ſtipitem antedictæ, fruges ſunt procul dubio, atque fructus, qui ex terra Ægyptia extrahuntur. Sed fons, qui propriè hanc arborẽ ſupradictam impinguat, & ipſam facit quaſi in omnibus affluentem, eſt Pontus per quem incolis & accolis dictæ terræ, in affluentia deferuntur, propter quæ prædicti nunc temporis habent omnia genera ſpecierum cum mercationibus Indianis, abſq; quibus vt ſuperiùs eſt narratum, præfati Ægyptii, tam incolæ quàm accolæ antedicti, ſe non poſſent commodè ſuſtentare, nec bene regere vitam ſuam. Ad illud autem quod dictum eſt, quòd arbor prefata fructum aliquem non producit, debet intelligi ſecta perfidi Machometi, ex qua alicuius boni operis nullus progreditur bonus fructus. Fructus boni, qui ſub arbore naſcuntur prædicta, ſunt fructus boni, qui naſcũtur in terris prædicto Soldano ſubiectis: & qui deſcendunt quotidie ad eoſdem, hii ſunt ſiquidem mercaturæ, quæ quantũ in ſe, propriè dici poſſunt bonæ, & etiam appellari: qui verò illuc ambulãt pro ipſis deferẽdis & clauſis oculis gradiuntur, & in magnis tenebris cõmorantur, procul dubio dici poſſunt, qui claudunt oculos mentis ſuæ, vt proceſſus nequaquã videant, nec IESV CHRISTI Eccleſiæ ſanctiones. Et ſic ſimiliter aliqui ſunt, qui nolunt vllatenus illuc ire, eò quòd amorem DEI & timorem, cùm boni ſint, præ oculis habent ſemper, nec non & Eccleſiæ IESV CHRISTI. Sanctus quippe dominus, noſter eſt pater & dominus, *dominus Papa* prædictus: eodemq; modo fratres eiuſdẽ ſunt domini Cardinales eius venerabiles, & Prælati: filii verò eius fideles & ſubditi Sancti domini ſupradicti, ſunt Reges, Principes & Barones, ac vniuerſus populus Chriſtianus tam Clerici quã Layci, qui fideliter ac humiliter Eccleſiæ Sanctæ DEI veſtigia imitantur, die noctuq; aſſiduè meditantes, quomodo dictam poſſint arborem diſſipare, i. ſectam illius perfidiſſimi ſeductoris, pro regno Ieroſolimitano conquirendo, & de potẽtia perfidorũ viriliter vendicando. Qui quidẽ continuè petierunt & poſtulant ſubſidium & ſuccurſum, vt ſuperiùs eſt narratum, ad euellendam & eradicãdam, cum radice, ſtipite, atq; ramis & frontibus eorundẽ, arborẽ antedictam, vt ipſa taliter extirpetur, quòd eius memoria pereat ſuper terram. Radix autẽ & ſtipes aut truncus arboris antedictæ, eſt terra Ægyptia ſupradicta, prout ſuperiùs eſt dictum. Rami verò eiuſdẽ arboris, aliæ ſunt prouinciæ ab Ægypto, quæ ſubditæ ſunt credentibus & ſequentibus ſectam illam, & ſimiliter populus prædictarũ. Cui quippe Sancto Domino conſultũ fuit tẽpore retroacto, q; aliquos mitteret probos viros & ſtrenuos pugnatores ad exnemorãdã arborẽ ſupradictã, vt exnemoratione prędictę, Terra Sancta poſſet de infideliũ manibus extorqueri, & a Chriſtianis poſſideri in ſtatu pacifico & tranquillo. Qui illuc præfatos miſit, ſcilicet fratrem *Petrum Heremitam* & *Gotifredum de Buione*, & alios, qui ſecuti fuerũt libentiſſimè antedictos, qui cum ſuis ronconibus & dolatris, i. armis, iuerunt & exnemorauerũt ex arbore, i. acquiſiuerunt viriliter vſq; ad groſſitiem arboris prælibatæ, hoc eſt, vſq; ad deſertum Ægyptium, & vltrà, viriliter conquiſiuerant. Succeſſor verò eorum, qui vſque ad dictæ arboris radicẽ & ſtipitem ambulauit, *Almericus* Rex Ieroſolymitanus fuit, qui probitate & ſtrenuitate virili, tãquam hoſtiũ expugnator, Kayrũ & Babyloniem

iuit, vt dicitur, obsessurus, qui malo imminente consilio dictum Kayrum & Babylonem, cum toto Ægypto defuit suo dominio subiugare: vt in libro certio inferius continetur. Et quia nequiuerunt Illustris & strenuus ille Rex, eiusdemq; magnatum Principum & aliorum pugnatorum nobilium comitiua, radicem dictæ arboris & stipitem extirpare, hoc est, terram Ægyptiam de manibus infidelium expugnare, in Ierosolymam redierunt. Ex quo euenit, vt cùm Soldanus fontem illum magnum haberet expeditum & liberum, id est, mare, in tantum genus creuit & posse, quòd finaliter quasi totam terram quam amiserat acquisiuit, cœpitq; etiam Illustrem & strenuum dominum, dominum *Guidonem de Lisignano* Regem Ierosolymitanum, ipsumq; secum perducens carceri mancipauit: vt in libro conquisitionis continetur prædicto. Iterarò ipse pater Sanctus illuc succursum & auxilium destinauit, scilicet Serenissimum & Illustrissimum dominum, dominum *Fredericum* Imperatorem Romanorum, ac excellentes & Illustres Reges dominum *Philippum* Regem Francorum, & *Ricardum* Regem Anglorum, cum aliis quamplurimis dominis, vt est dictum. Qui quamplurimos ex ramis dictæ arboris strauerunt, & ex frondibus eorundem: hoc est, quod ciuitatem conquisierunt *Acon*, & ex alia terra Turchiæ & Syriæ ac Promissionis, vt in libro cõtinetur prædicto, ciuitates quàm plures & oppida viriliter expugnarunt. Sed finaliter alii obierunt, alii patriam postularunt, vno præcedente, alio post paululum subsequente. Post hæc verò multi illuc iuerunt Principes, Barones & domini, vsque ad tempus Sancti *Ludouici* Regis Franciæ, qui vltrà mare transiuit, vt Damiatam subiugaret dominio Christiano, qui egit quod scriptum reperitur de ipso: nec non & post cum illuc fuerunt multi alii destinati: sed arbor, quæ dicitur suum pedem seu stipitem & radicem in bono loco habere, & quæ à fonte magno affluenter irrigatur, & assiduè impinguatur, est mare quod ei semper apertum extitit & totaliter expeditum, per quod defertur ei & delatum fuit dudum, vt dicitur, aurum, argentum, ramum, stagnum, cæteraque metalla, coralla, zaffranum, mastica, telæ, panni de serico, multaque alia similia & dissimilia supradictis. Ac feruntur ei Mamoluchi, ferrum, pix, similiter & lignamen: propter quæ omnia in tam magnum posse creuit, & crescit, ac tantum valorem & vigorem iam contulit suis ramis, quòd conditione fungitur status pristini, prout erat: videlicet quòd Soldanus ciuitates Tripolis, Acon, & Tyri nobiles deuastauit, & totum ac residuum Terræ Sanctæ suo dominio subiugauit. Postquam igitur tam probissimi viri & strenuissimi bellatores illuc transmissi fuerunt, nec potuerunt opus necessarium ducere ad effectum, vt superiùs est enarratum, quos in virtute & probitate similes antedictis inuenire valdè foret difficile: nunc ad præsens videntur fore via & modus alii retinendi ad Terræ Sanctæ negotium exequẽdum. Hoc est præbendo magno posse magnæq; Christicolarum potentiæ & virtuti aliquod auxilium & iuuamen, præambulis indissolubiliter sagacitatem & ingenium sociando. Quibus admixtis & insimul copulatis, sperandum est in DEO, & in eius auxilio confidendum, quòd arbor prædicta totaliter euelletur & eradicabitur, absque metu aliquo in posterum pullulandi, per modum hunc scilicet atque formam. Primò, fons magnus superiùs nominatus, est protinus amputandus, qui diu irrigauit, & in affluentia irrigat arborem antedictam: quod fieri leuiter ei potest, amputando arbori prælibatæ marinum introitum & egressum: quod fit ad plenum cùm executioni mandabitur primum opus, scilicet primi libri, tam de processu, quàm etiam de galeis. Postmodum subsequenter inueniri oportet quendam probissimum virum, qui præ aliis, multis refulgeat bonitatibus, consiliis, & virtutibus probitatum: vt in principio huius secundi operis enarratur. Nam totus populus benè regitur, vbi adest probus & sapiens gubernator; quo deficiente, corruit in ruinam. Quippe Capitaneus, per gratiam conditoris, secum deferat multos vermes, videlicet nauigium & homines, qui per aquas dulces & salitas nouerint optimè nauigare, & in vtraq; audacter & viriliter se valeant adiuuare, aliaq; secum similiter deferat oportuna: vt in hoc secundo libro plenariè continetur. Qui siquidem homines tam equites quàm pedites, tam prudenter se habeant & potenter in euentibus bellicosis aliisq; omnibus exequendis, quòd cum auxilio Creatoris, & industria sui Capitanei antedicti ad Ægypti maritimam transfretent, ibiq; terram capiant, velut probi & audaces faciunt bellatores: euntes postmodum ad corro-

dendum

dendum radicem & ſtipitem arboris ſupradictæ: ſcilicet quòd *Kayrum*, & *Babylonem* obſideant & expugnent, totam ſibi Ægypti prouinciam ſubiugantes. Quo pacto ſperandum eſt in DEO, & etiam cõfidendum, quòd omnes rami arboris antedictæ, & frondes ſeu folia prædictorum cadẽtes deorſum, procul dubio exãreſcent. Quibus peractis & executioni mãdatis, licebit Sancto Patri, i. noſtro Sanctiſſimo Patri & domino, domino Papæ, vicario IESV CHRISTI præcipere de ſtipite ſeu truncõ arboris prælibatæ, quicquid faciendum ſuæ videbitur voluntati: h.e. quòd dum terra Ægypti, genti ſummi Pontificis antedicti fuerit ſubiugata, non eſt vllatenus dubitandum cum omnipotentis DEI conſilio, quin de regno Ieroſolymitano, Syriæ, Turchiæ & Africæ, & ex eo quod tenetur in Hiſpania & in aliis mundi partibus vniuerſis, quas ſectam illius peſtiferi Machometi occupant imitantes, erũt, DEI cooperante virtute, & eiuſdem Vicarii pro ſemetipſis corruendis & rationabiliter conſumendis: quod ſimiliter Græcis ſchiſmaticis poterit euenire. Ad id autem propter quod tranſeundum dicitur in Ægyptum, ad fructus liberaliter aſſumẽdos, vt illis liberè gaudeant aſſumentes, & in perpetuum poſſint eos pacificè poſſidere, cogitandum eſt ſubtiliter, & videndum quòd terra ſuppoſita Chriſtianis, prefati veri poterunt antedictis: & præcipuè Chriſtiani accolæ & incolæ dictæ terræ, nec nõ & alii Occidentales fideles liberè ad ipſos colligendos illuc poterunt ambulare. Ad quæ omnia nos, cum aliis cupiẽtibus Romanam Eccleſiam reuereri, perducat qui regnat & viuit per vniuerſa & immenſa ſæcula ſæculorum.

CAP. VIII.

Continet exemplarem oſtenſionem, quòd in Ægypto primò bellandum eſt contra Saracenos pro recuperatione Terræ Sanctæ, per ea quæ geſta ſunt inter Venetos & dominum Patriarcham Aquilegienſem, pro facto Hiſtriæ.

VIII. A. Dni. 1282.

LIcet Venerabilis *Aquilegienſis Patriarcha* & cum eo *Comes Goritiæ* fauorabiles viderentur, vt Veneti in prouincia Yſtriæ, *Iuſtinopolim* caperẽt, quod & fecerunt, poſt annos tamen quatuor, id eſt, M. CC LXXXII. iidem domini, Patriarcha & Comes, præfatam ciuitatem quam Veneti poſſidebant, cum grandi exercitu inuaſerunt: creuitq; diſcordia in prouincia Hiſtriæ, ita vt vtrumq; magni fierent apparatus terrâ mariq;, ac frequenter inſultus. Et de prouincia *Foro-Iulij*, vbi ſedes Patriarchalis eſt, bis vel pluries omni anno cũ multis veniebat auxiliariis, Patriarcha prædictus & cum eo Comes Goritiæ, & mala plurima inferebat caſtris & ciuitatibus, quas Veneti retinebant, damna: & ipſe multa cum gente ſua paſſus, vt bellorum moris eſt, fuit & aliquando debellatus. Sic annis x. & vltra, offenſiones continuatæ ſunt prædarum, incendiorum, vaſtationum & huiuſmodi, non ſolùm in terra ſed etiam in mari: nec potuerunt Veneti toto præfato tempore, finem imponere malis. Dum verò in Yſtria talia attitantur, accidit vt quidam *Nobiles de Camino*, neceſſitate compulſi locum ſuper flumen *Liquentiæ*, vocatum *Lamota*, contra ſuos aduerſarios defendendum, qui in Teruiſio dominabantur, Venetis aſſignarent. Eſt autem locus ille in principio Foro-Iulii ſituatus. Reformatâ igitur, mediantibus Venetis, dictorum Nobilium cum aduerſariis pace, cœperunt Veneti propriis negotiis intendere, & ad dictam Moram bellatores pedites equitesq; tranſmittere, qui per Forum-Iulii diſcurrerent, hoſtesq; læderent. Cernens autem Patriarcha præfatus, & cum eo Comes Goritiç, & Caſtellani Foro-Iulii, in territorio proprio ſe grauari incendiis, villas conſumi, vaſtari prædia, animalia prædari, non potuerunt æquè hæc intrinſeca ſuſtinere grauamina, ſicut quæ extrinſecus gerebantur in Yſtria: propter quod eodem anno cum Venetis componere coacti ſunt. Adiacet autẽ Terra Promiſſionis Ægypto ſicut terræ Fori-Iulii adiacet Yſtria: & ſicut Patriarcha in Yſtria bonos habet pedites & deficit in equitibus; In Foro-Iulii verò, è cõtra bonos habet milites, pedites verò viles: ita & Soldanus in Syria bonos habet pedites, & in equitibus deficit; & in Ægypto verò electos milites habet, pedites verò viles. Et ideo ſimile eſt Soldanum in Ægypto inuadere, ſicut in Foro-Iulii Patriarcham: quia Ægyptus, Soldani eſt regnum proprium, vbi ſi vincitur, totaliter deſtructus eſt: ſi ex toto ſuperari non poſſet, ex moleſtia tam vicina ſibi, & regno intrinſeca, ad pacta Chriſtianis grata, neceſſariò inducetur, ſicut in exemplo ſupra poſito clarè poſſumus intueri, & ſequenti capitulo oſtendetur.

CAP. IX.

Continet huius propositi euidentem demonstrationem, per ea quæ gesta sunt in Ægypto tempore Sancti LVDOVICI Regis Francorum, & duorum Regum Ierusalem.

IX. ÆGyptum à parte *Damiatæ* inuasit pluries populus Christianus, sed ter maximè profecisset, si sano consilio, ac victualibus, aliisq; necessariis munitus fuisset. Et semel quidem, post obsidionem vnius anni & septem mensium, sub *Iohanne* Rege Ierusalem, qui fuit Comes Brenensis, & *Pelagio* Romanę Curiæ Legato, capta est A.Dni. 1219. Damiata. M. CC. XIX. & inde Crucesignati vsque ad locum, vbi ramus Nili, qui dicitur *Tampneos*, ab eo, qui versus Damiatam labitur, liberè processerunt: sed defectu victualium, magis autem suis exigentibus peccatis, *vt patet libro 3. cap. 9.* redire compulsi sunt. Consequenter verò, tempore Sanctissimi *Regis LVDOVICI* iterum capta Damiata, A.Dni. 12**. M. CC. ***. voluit Soldanus prædicto Regi pacificari, multa offerens, & inter cætera Damiatam cum territorio adiacente ex pacto relinquere, ac tribuere ad territorium illud colendum Christianos plurimos in partibus Ægypti degentes, qui *Christiani de cinctura* vocantur: In regno quoq; Ieroſolymitano ac Syria loca plurima tribuebat. Rex autem præfatus talibus verbis attendere noluit, ad totius Ægypti conquisitionem intentus, & vsque ad *Mesforam* victor processit: *sicut eodem libro part. 12. cap. 2. & 3.* continetur. Sed Christiani bellatores, auaritiâ excæcati ex parte vna, ex parte verò altera victualium afflicti inopiâ, & hostium sentiêre molestias propter primum, & propter timorem inediæ redire coacti sunt. Et postquam Rex captus fuit, attendentes Ægyptii quantum sibi immineret periculum si Christiani Damiatam tenerent, pro ea recuperanda non solùm Regem & Barones & Capitaneos vniuersos promiserunt libertati donare: Verùm etiam quędam alia concesserunt grata plurimùm Christianis: *sicut patet ibidem.* Et hoc similiter potest manifestè patere per *speculum Historiale Vincentij*, illo in loco, vbi beati LVDOVICI, fœlicis memoriæ, Regis Francorum fratrumq; ipsius, captio & relaxatio describuntur. Hiis quoq; antiquior *Almericus* Rex Ierusalem ad Kayrum vsq; processit, sed receptâ à Soldano pecuniâ, malo *Milonis de Planti* consilio, solutâ obsidione recessit: *libro 3. part. 6. cap. 22. Henricus* etiam Rex Angliæ, expertus terræ conditiones, disponebat illuc redire, & primò debellare Ægyptios: *libro 3. pag. 11. cap. 1. Innocentius* quoq; tertius statuit, vt in Ægyptum duceretur militia Christiana.

CAP. X.

De euentibus, qui mandando executioni quod superiùs est narratum, rationabiliter emergere debent, tum auxilio IESV CHRISTI.

X. CVm verissimum sit quòd omnia, quæ ventura sunt, existant in potentia Creatoris: semper tamen ad eius laudem, Sanctissimam prorsus reuerentiam, & honorem, eius auxilium iugiter & consilium implorando, quodam modo dici posset, & ex præteritis sumi iudicium de futuris, quòd tale quid necessariò sit futurum. Et facta inchoari debent tali respectu, quòd ad bonum finem & laudabilem deducantur. Et idcircò, cum vestræ Sanctitatis emendatione loquar, quòd si à vestra Clementia primus liber huius operis executioni mandetur, & firmiter teneatur tam de processu, quàm etiam de galeis, multi qui existunt & extiterunt mandatorum Sanctæ Ecclesiæ transgressores, Diuino auxilio mediante, conuertentur seu reducentur ad semitam bonam & rectam, pulsabuntq; ad vestræ hostium Sanctitatis, dicentes, quòd conquisitio Terræ Sanctæ à vestra beatitudine executioni mandetur: & vt oportet & est necesse, vt inducatis illos præfatos ad præsens; sic & ipsi postmodum veniunt ad exorandam vestram Clemẽtiam, imò ipsi humillimè supplicandum, quòd sit solicita & attenta executioni mandare supradictam conquisitionem, ampliùs non tardando. Erit etiam vlteriùs pacificandi occasio fideles inuicem dissidentes, diuinâ dexterâ cooperante, quod probabili ratione monstratur: Nam potest in hac parte dici verificè illud verbum, quod in Apocalypsi dominus *Apoc. 18, 3.* est locutus: *quia de ira fornicationis eius*, scilicet Babylonis, *biberunt omnes gentes.* Ad curandum ergò huuc pestiferum & contagiosum morbum, qui indistinctè vniuersos inuasit, quia de prohibitis sine horrore cuncti participant, non sunt pacientibus dictum

ctum morbum in cibo contraria ministranda: cùm præbendo quæ ægritudine sunt nociua perniciosissimum sit, & rarò infirmi veniunt ad salutẽ; è contra verò, per bonæ dietæ regimen, ægri sæpiùs conualescunt. Quamobrem si fideles à tam contrario cibo, vt præmittitur, abstinebunt, de quo Soldanus & sibi gens subdita tantum subsidium recipit & succursum, quantum in libro primo & in hac secunda parte narratur, credo verè & habeo pro constanti, quòd DEVS ad hoc magnam gratiam, specialiter in pacificando discordes, faciet Christianis. Et est sciendum quòd quilibet emptor vel consumptor mercimoniorum iam dictorum, quæ descendunt de terris Soldano subiectis, transgressoribus causam præbent eundi, & infidelibus terrarum subiectarum Soldano necessaria deferendi, atque illinc conducendi ad partes Occidentales species & alia mercimonia supradicta. Vnde si emptores & consumptores earum deessent, dicti transgressores non irent dicta mercimonia huc delatum. Ergo si dicti transgressores delinquunt, quisque qui eisdem peccandi causam infert, participem se peccati constituit. Igitur est necesse, deuotè ac humiliter loquendo, vt dictus accessus aut prohibeatur omninò, vt suprà præmittitur, & maximè vt in breui compendio continetur; vel amplietur in tantum, vt quilibet liberè ire valeat ac redire, vt de terris dicto Soldano subiectis dictas merces conducant, secundùm eorum libitum voluntatis: nec fiat mentio acquirendi de cætero Terram Sanctam. Quod mihi minus malum videtur, quam sic diu in hoc statu manere fideles. Nam hic status est periculosus omnibus fidelibus Christianis. Super hiis prouidebit Sanctissimus pater, prout ei diuina gratia ministrabit. Præterea, incœpto à vestra Sanctitate secundo libro executioni mandare, hoc est, de strenuissimo & probissimo viro, ex parte vestræ beatitudinis, Capitaneo vestræ gentis, qui eat in Ægypti maritimam, ad capiendam viriliter ibi terram cum x v. M. peditum & c c c. equitibus: vt in prima parte huius secundi libri continetur: & ibidem fortilitia construi faciat, & habitacula elcuari, cùm Ægyptii necessariorum inopiâ, suarum mercium in expeditione, hostiumque molestiis & iacturis terrâ matique ac fluminibus, sentient immenso pondere se oppressos: & per ea quæ præteritorum experientia nos edocet, videlicet quando Christiani subdiderunt proprio dominio Damiatam, potissimè cùm eam obtinuit Sanctus Rex Franciæ *LODOVICVS*, vt in præsenti capitulo continetur, pro certo à primo anno in antea per Soldanum Babyloniæ libenter firma conuentio fiet vobis, de Terra Promissionis Sanctitati vestræ in totum perpetuò relinquenda, vt ad consumptionem eiusdem vestra Sanctitas vlteriùs non procedat. Præfata quoque consumptio Ægyptiorum, posset Soldani ad fidem esse conuersio, ac populi subditi eidem. Vlteriùs, sicut naturales affirmant, quando aliquis subitò mortis incurrit periculum, sagax natura fonti vitæ, id est, cordi immediatè succurrit; trahitque sanguinem ab extremitatibus, vt cordi succursum præbeat & munimen: Et indè est quare homines sectimentes, faciem habent pallidam, & extremitates alias tremulas, quia à sanguine derelictas. A simili, sic Saracenis continget: quia cùm cor & vita Saracenorum sit robur Ægypti, in subita impugnatione Ægypti virtus & vigor extremitatum, sicut *Granatæ* & partium aliarum illuc immediatè succurret: nec ipsæ extremitates tunc recipient à corde auxilium & fauorem, præcipuè de moneta, sicut modò recipiunt: per consequens ergò quasi destitutæ & tremulæ remanebunt. Si igitur Reges Yspaniæ, siue aliquis Rex fidelis, aliquam extremitatum tunc temporis infestaret, facilius posset negotium optato effectui mancipari. Nec propter hoc Saraceni cor suum, id est, Ægyptum, possent per succursum aliquem defensare: sicut per tertiam & quartam partem huius secundi libri apparet diligentiùs intuenti, sperando semper & in DEI auxilio confidendo, de veniendo in breui ad tam bonum finem, laudabilem & fœlicem, secundùm quod mihi videtur, saluo peritorum consilio, quòd in tam arduo & fœlici negotio inchoando, non est vllatenus differendum. Nam *qui non incipit, nunquam finit*: & finis deficit, vbi principii defuit inchoatio.

TERTIA PARS, CONTINET SECVRI STATVS ÆDIFICANTIVM IN MARITIMA ÆGYPTI, ET APTITVDINIS ad bellandum contra Saracenos exemplarem demonstrationem: habens capitula quatuor.

CAP. I.

Continet quàm securi poterunt Christiani consistere in fortilitiis Aegyptiæ maritimæ: exemplo maritimæ Venetorum, quæ sub tempestuosis procellis Gallorum, Aforum, Cyprorum, Atilæ & Longobardorum, & aliorum, illæsa permansit. Rubrica.

1. QVAM conformis & quàm similis sit Ægypti maritima, Regioni maritimæ Venetorum tactum est suprà, *cap. 2. primæ partis.* Ex securo proindè statu ædificantium ac colentium insulas in aquis & paludibus Venetiarum, quasi in claro speculo, possumus intueri, quàm securi contra Saracenorum insultus consistere poterunt, qui secundùm præmissa *supra part. 1. cap. 3.* ædificabunt, & fortilitia construent in maritima terra Ægypti. *Venetiarum* enim *Insulas*, iuxta Historiarum fidem, primùm à Græcis pulsi incoluêre *Troiani*, MM. DCCLXXXIV. anno à creatione mundi. Ipsorum enim multitudo, sub Priamo iuuene Regis Priami nepotis ex sorore Lamedontis filia, conquisitis nauibus ad fines vsq; Adriati maris peruenientes, conspectis insulis, & in circuitu terra firma, deliberat pro tuenda solita libertate, in Insulis habitacula cõstruere, indignum ducens se ingenuos alteri subiici. Non defuit intẽti successus, ita vt dicere possint: *Nos libert sumus, & nemini seruiuimus vnquam:* solus enim Dux ab eis electus, & nullus alius, legitur exercuisse aliquando regimen super eos. Hanc enim Venetiarum partem maritimam *Senones* Galli, sub Breno duce post annos III M. DLXXV. à creatione mundi, intactam relinquentes, partem reliquam, & cætera in circuitu occupauêre, ædificantes *Vicentiam, Veronam, Tridentum, Brixiam, Pergamum, Cumas, Mediolanum, Senas* & *Senegaliam*, cæsâ priùs Romanorum multitudine, combustaq; Vrbe, ac senatoribus in suis sedibus trucidatis. *Aforum* quoq; à Meridie, ac *Cybrorũ* ab Aquilone & littoribus Germaniæ, sequentes turbines se Italiæ infundentes, illi non obfuerunt. *Atila* etiam *Ofdrubalis* Regis Vngariæ, nepos ex filia, Regniq; hæres, cuius tremendã sæuitiam terræmotus, & cœli signa præsagauerãt, post vastatas Gallias versus Italiam, tremor vrbis & orbis, cum vC. milibus pugnatorũ aduenies, circa præfatas Venetiarũ paludes & Insulas, cuncta crudelis fera deuorans, & in solitudinẽ redigens, partẽ paludosam non modò lædere non valuit, sed habitatoribus diuiciis & viribus auxit. Nam de *Aquilegia* cum reliquiis Patriarcha, & cum matribus paruuli, in Gradensi castro tutati sunt. De *Concordia* verò exeuntes in maris littore Capralas condiderunt. De *Altino* quod *Anteriorides* vocabatur, quia ab Anterioride conditum, qui ad Insulas confugerunt *ciuitatem, nouam, Esul Torsellum, Buranum, Mazorbum* atq; *Muranũ* ædificauerunt: & sub tribus nouis Episcopis, qui adhuc extant, vnoq; Patriarchatu, multitudo ista diuisa est. De *Pistauio* quoq; ad *Riuum altum* & *Mathamauctum*, plurimi habuêre confugium. Fuerunt hæc quatuor oppida circa Insulas & littora Venetiarum, ciuitates insignes, sed à fundamentis euersæ. Qui verò in Insulis habitabãt, aucti dignitate & numero, Duces habere cœperũt creueruntq; in fama atq; potentia, sicut hodie eõspicimus. Nec tunc solummodo, sed & tempore *Ezelini*, cum Marchiam Teruisinam vastaret, & partem etiam Lombardiæ, qui persecutionem patiebantur Venetias fugientes, tam securi manebant, vt Tyrannus eos lædere non valens inde formaret prouerbium, quia *aduersarij sui in castro anserum cõtumaciæ essent.* Et diebus istis nouissimis quibus *Canis Magnus de Scala* Paduanum pœnè subuertit districtum, confugiens multitudo in dicta maritima, saluata est, & secura constitit, M. CCC. XVIII. Eademque passa natio *Teruisina*, & eodem anno, inuasore prædicto, in prædicta maritima contutata est. *Longobardi* quoque, *Guinuli* prius dicti, ex vltimis Germaniæ littoribus de Insula *Scandinaria*, in Pannoniam venientes, ac deindè partẽ primò quæ Venetiarũ Insulis adiacet sub Rege suo *Albuino*, anno Domini DLXXII. occupãtes, & demũ sub cæteris Regibus omnẽ Italiam affligen-

A Mundi creatione 2784.

Ioh. 8, 33.

An. Mundi 3775.

A. Dni. 1318

A. Dni. 572.

gentes, Venetiarum Insulas minimè lædere potuerunt: licet non nisi Gallicanis viribus, sub *Pipino Nano, Stephanus Papa* elationem *Astulphi* Regis eorum, ab vnoquoque capite tributum exigentis, vix temperare potuerit. Et *Adrianus* etiam summus Pontifex pro importabili afflictione Italiæ, quam exercebat *Desiderius* Astulphi filius *Karolum Magnum* vocare coactus fuerit ad tuendas res Ecclesiæ, & summouendam Tyrannidem. Quo euentu captiuato Desiderio cum vxore & filiis, ac in Gallias misso, Longobardorum regnum finem habuit, DCCLXXIV. anno Christi. A. Dni. 774. Ipse quoq; Karolus, Venetis iratus, & vsq; Mathamaucense littus ducēs exercitum, etiam victualia prohibere non potuit.

CAP. II.

Continet quàm apertè Christiani in prædicta maritima Aegypti, à vicinis Saracenis potuerunt se tueri: exemplo Venetæ nationis.

NOn solùm contra peregrinarum rabiem nationum, quæ Italiam subuerterunt, Insularum incolæ prædictarum securi manserunt; sed vicinarum etiam gentium, quæ cum eis conuersantur continuè, & ab antiquo ipsorum gloriæ inuiderunt, ac nocendi vias exquisierunt & modos, faciliter declinauerunt insidias & insultus. Et, vt verbi causâ aliqua inferantur, *Paduani* multo congregato exercitu, quandam turrim seu castrum in loco vocato *Bayba* fundatum, obsidentes, dum tute bellare putant, in aqua maris excrescente se reperiuut, M.CC.XV. sicut & in Ægypti partibus, de aquis Nili contigit Christianis, *libro 3. pag. 11. cap. 9.* oportuitque vt & Paduani Venetis, & Christiani se sub certis pactis redderent Saracenis. A. Dni. 1215. Et nuper quoque iidem Paduani, propè *Clugiam*, ad milliaria quatuor, vel circà, salinas facere voluerunt, ædificantes castrum propè paludes pro defensione earum: Veneti verò producto in aquis maris aggere, vsque ad cuiusdam fluminis fauces, aquę salsæ prohibuerunt accessum, quin potiùs loco ipsius produxerunt ad dictas salinas præfati fluminis aquas dulces: & tandem ortâ discordiâ, cùm ad destruendum aggerem Paduani confluerent, à pauciss imis Venetis arcebantur, licet auxiliarios habuerint, Vicentinos, Veronenses & Mantuanos, & à remotis partibus Balistarios conduxerunt: tamen mille quingenti Veneti pugnatores, vel circà, aliquando xxx. milibus restiterunt: & cùm propè essent, vt castrum caperent, præsumptores nouitatum in suo confinio ad sua vota & optata pacta coegerunt, M.CCCV. Medio quoque tempore, id est, M.CCLXX. *Bononienses* & cum eis plurimi pœnè ex omnibus ciuitatibus *Romandiolæ*, castrū quoddam Venetorum iuxta Padum quod à mari octo distabat milibus oppugnantes, nil agere potuerunt: accepto proindè consilio Bononienses cæteriq; secum, iuxta fauces prędicti fluminis castrum ædificauerunt, vt Venetis eundi atq; redeundi per fluuium ad castrum suum negaretur facultas: sed prohibere minimè potuerunt, licet totis viribus laborauerint, bellaq; sæpè mouerint annis tribus & mensibus quinq;: post quos, castrum quod ædificauerant vacuum relinquentes, ad propria redierūt, & Veneti illis inuitis castrum suum more solito possederunt. A. Dni. 1305. A. Dni. 1270. Aliud quoq; castrum Venetorum *caput aggeris* dictum, supra flumen *Aticensitum*, quod de Verona descendit ad mare, similiter communitates & domini Lombardiæ & Marchiæ Teruisinæ dictis Venetis auferre nisi sunt: sed licet xi. milibus distet à mari, Veneti paucis pugnatoribus & expensis, respectu aduersariorum, quibuscumque inuitis tenuerunt vsque in præsens. Et non solùm ad se suaq; conseruanda potentes fuerunt: verùm etiam ad coercendum piratas subiiciendumq; suæ dictioni, vt in magna parte Aquilonaris maritimæ conspicimus, & maximè Adriatici maris, vbi viguisse piratas, veteres Annales referunt: sed & sui dominii principatum ad remotas ac Orientales partes plurimùm extenderunt, hodieq; in illis partibus pænè soli tuentur, non modò sua, sed etiam aliena. Ex iis igitur recitatis, luce clariùs possumus intueri, quanta Christiano populo ædificanti fortilitia in maritima Ægypti poterit esse securitas, quanta in Agarenos coercendos potestas, & in terris acquirendis quanta fœlicitas.

CAP. III.

Continet qualiter Crucesignati Aegyptios laedere poterunt: exemplo eorum, quæ Veneti gesserunt in ciuitatibus & locis supra stagna & flumina constitutis.

III. POstquam exemplari manuductione ostensum est, quàm tuti erunt, auxiliante DEO, bellatores Ecclesiæ, constructis fortilitiis in maritima Ægypti: consequenter in eodem speculo vel exemplo, considerare possumus quàm apti erunt ad nocendum inimicis Crucis & fidei Christianæ. Prædicti enim Veneti quando discordia oritur inter eos, & ciuitatem aliquam Lombardiæ vel Marchiæ Teruisinæ, inimicos suos duplici viâ lædunt. Prima est via leuior: non eius arma capiunt, vel in personam lædunt, vel temporalia bona surripiunt; sed strictè prohibent, ne eorum victualia vel mercimonia quæcunque ad ciuitatem Venetiarum portari, aut per loca eis subiecta deferri, aut è contra de ciuitate vel districtu Venetiarum ad eas transferri. Nec hoc leuis iactura cuiquam videatur: frequenter enim Ciuitates Lombardiæ & Marchiæ Teruisinæ, hoc modo artatæ, Venetias nuncios transmittunt, secumque sub certis pactis viuere coguntur. Quantum verò modus iste nocendi, in Ægypto lædere valeat Saracenos, quantum diminuat Soldani potentiam, supra libro primo diffusè ostensum est. Secunda autem via est grauior: cùm videlicet armis pugnant & viribus. Et quia experti sunt in talibus & potentes ad faciendum apta nauigia, & instrumenta bellica, secundùm quod requirit locorum dispositio vel facti qualitas, aptè loca expugnant quæ ædificata sunt super flumina vel paludes. Vnde *Ferrariam*, M. CCXXXIX. ad requisitionem Ecclesiæ, acceperunt de manibus *Salinguerræ*, & assignauerunt domino *Gregorio* Apostolicæ sedis Legato: & licet pro hoc ipso conuenissent ex locis variis bellatores, tamen absque Venetorum nauigio & industria nil agebant: & propterea pacta & honorantias quas Veneti in Ferraria habebant, non modò confirmauit sed etiam ampliauit. Et antiquioribus temporibus, *Commitissa Mathilda* dictam Ferrariam recuperauit cum auxilio nauigii Venetorum. Nuper quoque, id est, M. CCC VIII. in facto Ferrariæ, quantum in fluminibus dominari valeant luce clariùs patuit. Stupor enim erat cernere tam paruam quantitatem pugnatorum per Padum ad libitum discurrere; nemine prohibere valente, adiacentia loca destruere; productis fossoribus impetum fluminis ad demissa loca deducere; igne & aqua cuncta vastare. Sic poterit exercitus Domini, per Ægypti fluuium vsque Kayrum & Babylonem, ad votum discurrere, cuncta occupare; tantoq; meliùs quanto latior est fluminis alueus. Et qui liberè dominabitur fluuio, & in terra poterit leuiter dominari, vt suprà ostensum est, *parte prima, cap. 4.* Quod autem Venetorum in dicto negotio fœdus fuerit exitus, in promptu causa est: peccauerunt enim decori iustitiæ, præsumptuosè in aliena messe ponentes falcem. Tempore etiam quo impius *Ezelinus* occupauit Marchiam Teruisinam, & partes aliquas Lombardiæ ad requisitionem Legati summi Pontificis, domini videlicet *Philippi* Archiepiscopi Rauennatis, Veneti de paludibus suis & loco *Baybæ* superiùs nominato, per fluuium deduxerunt congregatum exercitum à prædicto Legato, M. CC LVI. præbentes balystariorum & victualium copiam: & non solùm circa fluuium occupauerunt omnia; sed vsque ad ciuitatem Paduam procedentes belli violentiam eruerunt de manibus Ezelini. Hæc omnia exemplo sint nobis, quàm securus esse poterit in maritima Ægypti exercitus Domini, quantumq; proficere poterunt contra hostes fidei Christianæ.

A. Dni. 1239.

A. Dni. 1308.

A. Dni. 1256.

CAP. IV.

Continet conuenientem satisfactionem ad quædam dubia quæ mouentur.

IV. QVia dictum est capitulo proximo, quòd exercitus Christianus vsque *Babylonem* per *Nilum* fluuium protedere poterit, hoc nonnulli, propter viæ prolixitatem, trahunt in dubium. Ad hoc autem consueto in hac parte exemplo respondebitur: quia Veneti maiori satis spatio per *Padum* ascendentes, intrauerunt fluuium *Aduæ*, cum nauibus castellatis & balistariis; fregeruntque violenter sex catenas grossissimas; & pontem per quem transierat *Ezelinus*, ad recipiendum Mediolanum, cum cæteris violenter occupauerunt, quod captionis & mortis illius

illius Tyranni fuit initium. Nam ſuo fruſtratus deſiderio Ezelinus cùm rediret infecto negotio,& pontem diligenter munitum obſideret,ſpiculo in pede grauiter percuſſus, ſolitam ordinandi exercitum ſagacitatem amiſit; & bello ſuperatus, eodem anno in captiuitate mortuus eſt, M. C C. LX. Anno Chriſti. Ad illudquo- A.Dni. que quod ſupradictum eſt, quod conſtructio fortilitii & ædificiorum prohibebit 1260. victualia & cætera Saracenis Ægyptiis deportari; reſpondetur, quod per terram huiuſmodi deferrentur eiſdem: Ad quod dicendum, quia tales ſitum ignorãt terræ Ægyptii: cùm enim à mari Mediterraneo protendatur in longum verſus Meridiem, ex vtraque parte tam Orientali quàm Occidentali ſunt vaſtæ ſolitudines & deſerta, in quibus Sancti patres in Occidentali maximè, monaſteria cõſtruxerunt, heremiticam, & nonnulli ſolitariam ducentes vitam. Ex parte igitur Occidentis de regno *Tuniſii*, propter immenſitatem & aſperitatem heremi, merces deuehi non poſſunt: ex parte Orientis, præter ſpecies nil habere valent: ex parte Meridici, eſt omnium penè rerum inopia: ibidem etiam ſunt *Chriſtiani de Nubia*, eis contrarii, vt dictum eſt ſuprà, libro primo: ex parte verò Septentrionis, de regno ſcilicet Ieroſolymitano & Syria, pauca, & non ſine difficultate habere poſſunt: bombicem ſcilicet & ſaponem, poma, pyra, & aliquam olei quantitatem. Propter quæ verè dictum eſt, quod præcluſa eis via maris Mediterranei, victualia eis & cætera mercimonia, præter ſpecies, præcluduntur. Dubitant quoque nonnulli, qualiter victualia ſufficienter habere poterunt Chriſtiani ſe in extremitate maritima colligentes, ſi fame affligentur, qui elaboratam inhabitant terram Ægypti. Ad hoc autem faciliter reſpondetur, quòd ex omni parte maritima vndique victualia & neceſſaria omnia confluent, ſi ſtipendia ſufficientia habuerint & pecuniam ad emendum: ſicut in ipſa ciuitate Venetiarum conſpicimus, quando eſt cariſtia in terra firma circumiacente: quia in tanta quantitate victualia omnia & alia per mare neceſſaria feruntur, vt cunctis vicinis ſuis indigentibus poſſint ſuccurrere.

QVARTA PARS CONTINET STILVM, MODVM ET ORDINEM AC PROBABILIA ARGVMENTA, SVPER BELLICOSIS euentibus,& aliis contingentibus quibuſcunque, ad dictum terræ negotium feliciter exequendum: & quòd Agareni,& ſchiſmatici contra Eccleſiæ potentiam,terram rationabiliter defendere non valebunt: habens capitula XXIX.

CAP. I.

De quibuſdam argumentis quæ obiiciuntur contra potentiam exercitus Chriſtiani, ne poſſit ad finem gratuitum peruenire,& de ſolutionibus eorundem.

AD illud quod ſuperiùs eſt narratum, poſſet aliquis reſpondere & dicere: 1.
Benè videmus per exempla Venetorum prædicta, quòd tanta quantitas gentium, quanta ſuprà dicitur, capere poterit terram & habitationem in Ægyptiaca maritima, & quòd ibi poterit tuta manere ab illis de terris paganorum: non tamen damnificabuntur propterea Saraceni à Chriſtianis, adeò quod poſſis eos tibi ſubiicere, vel aliter ſubiugare vel vincere, hiis rationibus: Primò, quia ſi voles ire per flumen Nili cum tuo nauigio armato, flumen ipſum eſt in aliqua parte ſui tam artum, quòd ab vna parte vel ab alia ignem in tuum poterit nauigium ſagittare: quapropter nauigium tuum cum gente, ardendi periculo ſubiacere. Secundò, quia in flumine Nili Saraceni proiicerent catenas & ſtellaras, ſiue pallatas, vel pontes ſupra nauigia conſtruent, ſicut factum fuit apud *Francolinum* diſtrictus Ferrariæ: & tantò plus facient, quòd ipſi firmabunt ab vno laterum fluminis, & ab alio latere tenebunt caput ſuſpenſum pro relaxando, quando eis placeret, & ab vtroq; laterum benè facient cuſtodiri. Ita quòd, qui de gente Chriſtiana appropinquarent catenæ vel ponti Saracenorum cum ſuo nauigio, ipſi caput ſuſpenſum relaxarent: ita quòd per curſum aquæ fluminis prædicti pons Saracenorum duceret & artaret nauigium Chriſtianorum in terram per vim. Ita quòd,

qui haberent ibi terræ dominium possent gentem ipsius nauigii ad suum libitum trucidare. Ad hæc potest taliter responderi; & primò ad primum, Quòd gens ipsa vestra, prævisa, prævigil & attenta, habens paratum secum, quo ipsa ad ignem indiget extinguendum, ignem ipsum quando sagittabitur, facilè extinguere poterit, & extinguet: & non desistet propterea Christianorum exercitus ire nec redire, nec facere facta sua. Ad secundum, Quòd si Saraceni prædictas catenas ponerent, vel palatas facerèt, siue pontes, ipsos oporteret habere ac tenere magnam custodiam, & gentis quantitatem non modicam, ad custodiendum dictas palatas, catenas, vel pontes, tam ab vno latere quàm ab alio, & in pluribus partibus, & specialiter Damiatæ ac Raxeti flumeria; quia larga est. Sed nihilominus si Christiani valent ire ad palatas, aut catenas Saracenorum vel pontes, cum eorum nauigiis & argagnis, non ibunt quando flumen erit plenum & multùm currens: sed Capitaneus sicut sapiens, expectabit tempus quando flumen ipsum erit macrum siue bassum, & quando flabunt venti validi à parte maris, qui vruntur ibi & inflant mare taliter quòd mare, siue aqua maris, intrat per ora fluminum: ita quòd ille paruus cursus quem habet tunc aqua fluminum ipsorum adeò quietatur, quòd nullus quasi cursus est: & tunc cum ipso vento sibi secundo mittet de suis nauigiis aptis ad talia, ponderatis, ad validiorem impetum faciendum, & cum velis erectis, & cum aliis suis ingeniosis argagnis; & tam impetuosè dicta nauigia in dictos pontes irruent, vel catenas, siue palatas, quòd ipsos frangent, destruent, & dirumpent; & transibunt quo volent, & dominabuntur super illud flumen ad suum libitum, Domino largiente: sicut alios Christianos fecisse intelligo in partibus Damiatæ. Et est sciendum quòd quando gens Sanctæ Ecclesiæ erit xv. M. peditum, & ccc. equites ad soldum, postquam cœperint ibi terram, antequam compleat annus erunt vltrà v. mille homines sine soldo, qui illuc cum victualibus & aliis exercitui necessariis, pro eorum vtilitate concurrent. Qui omnes quando expediet, erunt vtiles ad ea quæ occurrerint facienda, ita quod potest dici quod erunt vltra xx. M. homines. Ita quod, cum DEI auxilio, non est vllatenus dubitandum quin per gentem vestram satis boni fiat.

CAP. II.

In quo inseruntur certa aliqua argumenta super eo, quod Soldanus ex posse suo posset in Nili flumine operari: & de solutione etiam prædictorum. Rubrica.

PRæterea si quis opponeret atq; diceret: Prædictus Soldanus gentis multitudinem habet magnam; & idcircò ad facienda multa magnum posse habet: Primò, quia posset flumen Nili quod in Mediterraneum mare dilabitur, in Oceanum mare facere ipsum labi: quo pactò per aquam dulcem nullum sibi inferri cum nauigio posset damnum. Secundò, quoniam si hoc nollet facere vel nequiret, posset tamen hoc agere quando vellet: quia dum Christianorum exercitus aliquam fecerit mansionem, & aliquod fortilitium iuxta aliquam partium ramorum fluminis construxerint antedicti, longius posset facere ipsum labi ab exercitu Christiano: eò quòd Ægypti maritima est plana & magna, ob cuius causam magna pars intentionis præfatæ sinistrum non modicum pateretur. Tertiò, posset Soldanus cum suis facere multò pelus: quia dum Christianorum exercitus castra metatus fuerit, & ordinatè in Ægypti maritima collocatus, qui suum nauigium armatum haberent & vndiq; præparatum, quorum homines fursum per flumen ipsum conducerent remigando, tunc Soldani homines antedicti possent ramum dicti Nili fluminis præparasse, & in ea nauigatione eo tempore ramum fluminis antedicti, ab eo loco in quo esset Christianorum nauigium, removere, facientes per partem aliam ipsum labi tali quidem manerie atque modo, vt deficiente aquâ Christianorum nauigium in sicco remaneret. Et per viam hanc, multitudini gentis & potentiæ quam Soldanus assequitur antedictus, gens quæ reperiretur in nauigio supradicto non posset resistere, nec se, quin morti traderetur vel carceri, de infidelium manibus liberare. Ad argumentum primum dici potest, & taliter responderi: quòd impossibile quasi foret, quòd Soldanus prædictus facere auferri posset lectum fluminis prælibati, quod in Mediterraneum mare dilabitur, & in mare Oceanum faciat ipsum labi. Et dato quòd faceret

fieri

fieri quod est dictum, per primum librum ostenditur manifestè, quod terra Ægypti destructa foret totaliter, & desertapropter quod nullatenus est credendum, quòd infideles vellent se destruere vllo modo, dum destructionem possent aliqualiter euitare. Ad secundum argumentum, quod superiùs dictum est, potest tali manerie responderi: quòd habitaculũ & fortilitium quæ in principio sunt in Ægypti maritima facienda, de lignamine ac sextoriis solummodo construentur, eò quòd paludes & aquæ erunt tobur habitaculi & fortilitii prædictorum. Ita quòd cum præfati Ægyptii auferent aliquem ex ramis fluminis antedicti, propè quem Christiani habitaculum construxerint & fortilitium prædictum, repentè Christiani prædicti possent inde abire in suo nauigio cum suis omnibus paramentis, & ad aliam partem gradi quæ fructuosior eis & vtilior videretur: licet impossibile quasi sit quod ramum fluminis Damiatæ, ramumque Raxeti, ex toto auferre valeant infideles. Ita quòd per hunc modum cum auxilio Creatoris, Saraceni præfati magnum non possent inferre grauamen exercitui Christiano. Et quando hoc agerẽt, maius eis damnum & grauamen iucumberet quàm Christicolis antedictis. Tertiò, potest taliter responderi: quoniam Capitaneum decet & oportet esse prouidum in omnibus & prudentem, ne defectu suæ prudentiæ ac prouidentiæ immineret periculum Christianis: hoc est ne pergat cum nauigio, neque mittat sursum per flumẽ in magno numero gentem suam, nisi priùs de conditionibus suorum hostium atq; statu habuerit, & susceperit certa noua, ita vt cautè faciat, quod per ipsum cautè fuerit faciendum: nam vbi maius versatur periculum, ibi cautiùs est agendum. Et dato, quòd Capitaneus cum exercitu prælibato solummodo in Ægypti maritima viriliter se teneret, ipse suæ intentionis perficeret magnam partem, ex quo, vt super isto negotio benè agat, festinantiã nullaget: qui tenens hunc stylum, ordinem atq; modum præfatum, scilicet vt de suis hostibus, vt poterit, semper vera noua percipiat atque certa, cum Omnipotentis DEI auxilio, debet ad bonum finem & laudabilem peruenire.

CAP. III.

III.

De quibusdam exemplis, Cyri Regis Persarum: & de certis documentis pro exercitu Christiano.

ET est memoriæ commendandum, secundùm quod reperitur in scriptis: quòd *Cyrus* Rex Persarum atque Medorum, totius Orientis iam obtento imperio, caput ipsius Imperii capiendam Babyloniam obsedit, vbi cùm vnus militum suorũ fluuium *Gangen*, qui vnus de quatuor fluminibus Paradysi esse narratur, temerè pertransiret, a fluminis impetu est submersus. Quo casu contristatus Cyrus, volens vleisci in fluuium, in CCCCXL. riuos eundem fluuium subdiuisum ac deriuatum, vetularum etiam pedibus transmeabilem fecit. Simili quoque ingenio fluuium *Eufraten* per mediam Babyloniam fluentem à proprio aluco deriuauit, & sic vrbem illam, omnium vrbium potentissimam cepit anno M. CCCC. à fundatione eiusdem. *Annus à fundatione Babylonis 1400.* Vnde, si Soldanus Babyloniæ subdiuidendi flumen Ægyptium simile posse habet, prout egit præfatus Cyrus ex supradictis fluminibus, hoc ignoro. Sed posito quòd possit, & velit, & de prædicto flumine faceret illud idem, ob hoc nequaquam est obmittendum negotium transeundi ac capiendi terram in præfata Ægypti maritima vt est dictum, propter rationem quæ subsequenter poterit assignari: Quoniam, dato quòd Soldanus alueos dicti fluminis possit facere remoueri, ipse non poterit paludes nec lacunas aut stagna quæ sunt in Ægypti maritima dissipari facere, nec vllatenus vacuari: eò quòd aquis marinis replentur, quasi continuò, quas quidem lacunas, paludes siue stagna prædicta Christiani prædicti facere poterunt crescere in locis aliquibus hoc modo: videlicet quòd præfati poterunt in prædictis paludibus, lacunis vel stagnis aggeres longos facere, prout egerunt *Veneti* in guerra, quam cum *Paduanis* pro facto *Salinarum* aliquando habuerunt: vt in tertia parte huius secundi libri continetur. Qui quidem aggeres, habebunt portas bonas, & dum crescunt aquæ marinæ & effluunt habundanter, liberè eis absque regressu introitus præbeatur; ita quòd illæ aquæ cum aquis fluminis antedicti pluuialibus vnà simul continuò versus terram Ægypti destructæ remaneant in paludibus, & in aliis dictis locis: per quem modum dictæ aquæ crescere debent in locis præambulis congregatę, faciendo benè portas

& dictos aggeres custodiri, ne ab aliquo frangerentur. Intra quas paludes, lacunas, aut etiam dicta stagna, possent intromitti nauigia, vt videretur Capitaneo exercitus antedicti, ad læsionem & perniciem infidelibus inferendam. Et si per hanc viam & formam, dictum nequiret negotium executioni mandati, eget maiori numero equitum & peditum quàm egeret si prædictum flumen aptum & expeditum existeret, vt nunc temporis inuenitur: quam siquidem gentem equestrem & pedestrem, ad libitum Capitanei supra dicti exercitus, ad portum posset cum nauigiis ponere atque locum: & cum equitibus & peditibus ascendere possent ad Kayrum & Babylonem, per talem partem, quòd de Ægypti flumine antedicto nullum possent impedimentum vel obstaculum sustinere. Quæ quidem gens, iens cum illa præparatione quæ ibi foret necessaria pro dicto negotio exequendo, & perueniens vsq; Kayrum & Babylonem supradictas, ad ipsas obsidendas, rationabiliter cum auxilio IESV CHRISTI, debet dicti fluminis dominium obtinere, in faciendo ipsum labi quà voluerit ad libitum voluntatis. Quibus peractis & fine laudabili terminatis, spero in Deo, & in ipso fiduciam gero plenam, quòd terram Ægyptiam defendere non poterunt infideles, quin, vestrâ potentiâ mediante, Christiano cultui subiugetur.

IV. CAP. IV.

Continet de quadam quæstione quæ ponitur: vtrum Saraceni propter nauigiorum multitudinem, quam habent in flumine Nili, possent Christicolarum exercitui obuiare: & de solutione ipsius. Rubrica.

INsuper si quis vellet dicere, siue opponere: Saraceni habent magnam quantitatẽ gentis & nauigii, ita quòd possent cum gente & nauigiis suis in flumine Christianorum exercitui camporaliter obuiare. Ad hoc respondeti potest, & iam dictum est suprà: quòd populus Ægyptiacus modicum siue nihil valet pro armis, ita quòd de eis non esset aliqualiter dubitandum. Et si ponerent de suis equitibus in nauigiis & etiam populis Semy & Syriæ, quos habẽt vltra desertum, respondeo: quòd non debent esse apti ad hoc, quòd hæc gens non est in aqua siue in nauigiis vsitata. Et si quis vellet dicere, ipsi facient sibi venire de Saracenis Africæ, Hispaniæ, vel aliundè, qui essent marinarii, & gens pro armis. Ad hoc potest respondeti: quòd hoc longum esset eis: si tamen facerent de ipsis venire, gens ipsa vestra, per aptitudinem, industriam & probitatem quas ostendit in talibus, illos cum Dei auxilio, si se ad obuiandum ei exponerent, quod non est credendum, viriliter expugnarẽt, & ponerent in conflictum. Et de hoc, exemplum vobis exhibeo, quod *homines Venetiarum*, quando plures fuerunt in facto *Ferrariæ* non fuerunt vltra sex mille, & fecerunt illud quod vestra Sanctitas potest scire, & specialiter antequam caderent ad pœnas processuum Papalium: ita quòd si DEVS illos non iudicasset, sicut iudicauit per diuersas vias, eò quòd mandatis Apostolicis non paruerunt, & specialiter de valida & pestifera ægritudine, tantum damnum non subiuissent quantũ fecerunt: sed, *nulli est probitas nec potentia contra Deum.* Nam qui contra Ecclesiam se exponunt, contra Deum non est dubium se exponunt. Ita quòd per rationes suprà dictas sperari potest, quòd gens ipsa vestra in illis partibus contra illos sanctum obtinebit intentum.

CAP. V.

De prouisione, tutela, & proficuo nauigii exercitus Christiani.

BOnum est ad fortitudinem & securitatem exercitus quòd Capitaneus sit prævisus de ponendo gentem tantam super nauigium, quantam nauigium regere poterit: quia quantò Christianorum exercitus erit in minori loco, & magis simul, tantò fortior erit. Nam plus est attendendum ad qualitatem armati nauigii, quàm ad quantitatem. Mallem enim habere pauciores galeas benè munitas & de bona gente, quàm plures non sic. Est igitur eadem gens in pauco nauigio collocata, fortior tam ad defendendum quàm ad offendendum, quàm dispersa in pluri. Item est vtile quòd Capitaneus sit prævisus, quòd nauigium suum remigabile tam de mari quàm de flumine sit taliter aptum, ordinatum, & positum ad punctum, quòd sit agile atque velox. Nam vtilimum est, & ad magnam commoditatem &

secu-

ſecuritatem redundat agilitas & velocitas galearum per remos: & ſimile eſt de nauigio fluminis, quòd oportet ire ſurſum per flumina contra curſus aquarum per vim & per remorum ſuffragium: propter quod expedit quòd totum remigale illud nauigium pro minori ſit diſpoſitum ad *Terzarolos*: ſcilicet, quòd pro quolibet banco, ſint tres remigatores ſimiliter ad faciendum debitè facienda. Et licet ſpecificarum ſit ſuperiùs, quòd nauigiũ muniri debeat ex genere remigera, vt pro quolibet banco tres ſint remiges: nihilominus ſciendum eſt quòd in M.CCCXVI. anno Domini, probatum fuit per gentem Venetam de faciendo quod in galeis quatuor remiges pro banco remigarent: quę quidẽ experientia viſa eſt vtilis, tam pro nauigio quod benè regebat eos, quàm quia dextrè remigabant remiges antedicti: & quia nauigium ex quaterna remigatione pro banco, velociùs & celeriùs nauigabat, quàm ad *Terzarolos* tantummodo deputatum. Ex quo habito ſuper hoc diligenti conſilio cum illis qui talia probauerunt, ac etiam cum aliquibus ingeniatoribus, & magiſtris, & nautis, & per me ipſum conſiderans, inuenimus quòd ſanum & vtile ſit omninò, dummodo placeat conſilio Capitanei ſupradicti, quòd omnes galeæ & magnum nauigium aquæ dulcis quæ poſſint regere dictam gentem, taliter ordinentur, quòd in banco quolibet cuiusliber prædictarum, quatuor remiges remigare debeant, prout ſuperiùs erat ſpecificatũ: quòd pro minori, tres pro banco remigarent ex remigibus ſupradictis. Et tantò amplius, quoniam maiora nauigia dulcis aquæ erunt, vt ipſa fiant remigare de ſubtus atq; ſupra ſolarium pro minori ad *terzarolos*, vel etiam *quartarolos*. Quorum dictorum ſuperiùs, cauſa hæc eſt: quòd galeæ, vt dictum eſt, celeres ſint pro remis, quoniam qui fuerint in prædictis, erunt domini ſui; & ad ſuam inſtantiam poterunt cum hoſtibus prælium inchoare, aut eos vitare ſubitò quando volent. Ac ſunt pro vitando multa pericula, quæ propter maris procellas, poſſent eis abſque temporis diſtantia imminere; & præſertim pro tranſeundo *Parigia* dicti maris, quæ periculis quaſi nunquam carent, vt qui in eis fuerint dum tranſfretant, ad portum perueniant ſalutarem. Propter quæ omnia, videns & attendens multa bona commoda & tutelas quæ indè trahere poterunt nauigiorum homines, aſſerui, hæc eſſe ſi confirmandum placeret veſtræ Capitaneo Sanctitatis. Ideircò laudandum eſt & per conſequens conſulendum, ſi commodè fieri poſſet, quòd non ſolùm in nauigio quatuor remigent pro banco remiges; ſed quinque remiges ſi foret poſſibile in magnis nauigiis debeant remigare. De quo Capitaneus antedictus conſilium exiget, & exequetur quod ſibi melius videbitur faciendum, tam de galeis, quàm de nauigio aquæ dulcis. Sciendum quòd in M.CCXC. anno Domini, quaſi in omnibus galeis quæ transfretabant per mare, duo in banco remiges remigabant: poſtmodum perſpicaciores homines, cognouerunt quòd tres poſſent remigare remiges ſuper quolibet prædictorum, quaſi omnes ad præſens hoc vtuntur. Oh quod nemini debet videri graue, ponere remiges quatuor vel quinque, pro banco quolibet magnarum cuiuslibet galearum, poſtquam probatũ eſt. Nam benè inuenitur in ſcriptis, quoniam antiquo tempore Romanorum tres pro banco quolibet erant remiges remigantes. Reperitur etiam in *Vegetio* de re militari, vbi ipſe tractat de nauali bello, quod quædam nauigia quæ *Liburnas* appellat, antiquo tempore remorum ſingulos ordines habuiſſe; paulò verò maiora binos; alia verò idoneæ menſuræ, ternos vel quaternos ac quinos etiam ſorticbantur remigio gradus. Nec hoc cuiquam enorme videri aſſeritur, cũ in antiquis prælliis longè maiora referantur nauigia cucurriſſe, vt ſenorum etiam vel vltra aliquando ordine fuerint.

A. Dñi 1316.

A. Dñi 1290.

CAP. VI.

In quo continetur cuiusmodi formæ fore debeant nauigia, quæ ad tranſgrediendum mare vtilia poſſunt eſſe, vt Ægyptiæ terræ negotium laudabiliter compleatur.

ISte eſt modus & forma nauigiorum quibus pro vtiliori indiget negotium ſupradictum. Primò, quòd tranſeundo per mare *galeæ* à remis, & vaſa ligneа cum prædictis, ex forma circa quam fiunt nunc ad præſens Venetiis, ſunt penitùs oportunæ: ſcilicet tam galeæ groſſæ magna onera deferentes, quæ cum remis valeant ſe iuuare; quàm etiam galeæ quæ formam mediocrem habentes, bonæ & vtiles ſunt pro remis: nihilominus, ex forma alia galeæ ſimiliter ſunt habendæ,

quæ propriæ sunt factæ vt bonæ sint ad remos, congruæ & veloces. Quamuis istæ galeæ desuper nominatæ melioramentum posset aliquod susscipere & habere, & specialiter illæ quæ remorum auxilio perfectè valeant adiuuari. In quarum singulis vnum *castrum* circa medium esse debet: quod quidem castrum circa xx. pedum longitudinem extendatur: latitudinem autem tantam habeat supradictum, quantam habet galea in qua debet fieri dictum castrum: tantaq; etiam altitudine constituatur, quòd sub eo recti transeant super banca homines & armati. In prora verò cuiuslibet galearum fieri possent aliqua bellica instrumenta, vt consulerent exercitati in talibus & docti, *pertichetas* siue *furcatas* à pupe vsque ad proram circa latera cuiuslibet ordinando, iuxta id quod fieri cõsueuit. Similiter *Balistariæ* à capite bancorum in tanto numero, quantus necessarius & vtilis videretur. Quæ quidem Castra, pertichetæ, balistariæ, & bellica instrumenta sic debent fore ingeniis ordinatæ, quòd possint remoueri & erigi, secundùm quod fuerit oportunum. Ex quibus galeis aliquæ, quæ fuerint ex duabus formis maioribus antedictis, per pupes aperiri poterunt pro equis ferendis, prout vtile ac necessarium videretur. Ex *nauigio* verò *exermi* galeæ valdè magnæ necessariæ forent, pro ferendis victualibus, munitionibus, atq; equis dicto exercitui oportunis. Præterea nauigium est bonum pro victualibus antedictis, & lignamine deferendo, *Tarètæ*, quibus in Pera vtuntur nũc temporis Ianuenses, tam pro ferendo multa, quàm pro paucis nautis commodè se muniendo; quamque etiam vt velis extensis mare subitò transeant nauigando: cò quòd vasa longa ad *Orsam* incedunt melius, & lucrantur cum vento sibi contrario, quàm alia nauigia breuiora.

CAP. VII.

De nauibus quæ aptæ sunt ad conducendum victualia, & alia exercitui oportuna tam per mare quàm per flumina: ac de formâ modoq; nauigiorum aquæ dulcis, quæ sint vtiliora ad perficiendum negotium antedictum.

DVas autem naues quibus indigebit exercitus nominatus ad nauigandum per flumen, intendo potiùs deputari, vt velis extensis impetum inferant, frangendo pontes existentes in flumine, palatas etiam, & Catenas, quàm ob aliam iustam caussam. Inter alia aquæ dulcis nauigia, vt mihi videtur posse discernere, illud quo in Padi flumine homines potiuntur commodiùs & fructuosiùs cæteris cõprobatur, præcipuè *Plactarum* nauigia quæ per Padi flumen sunt ad ferenda mercimonia deputatæ: licet non tantum erigi debeant capita cuiuslibet prædictarum. Sed extensis in aqua dulci cornibus siue capitibus cuiuslibet earundem, debent fore eorũ corpora omnimodò longiora. Inter quas plactas, seu plactarum nauigia, tam magnæ aliquæ ad ferendos equos & ædificia esse debent, quantùm fieri possunt: habendo semper respectum quod benè valeant se iuuare, & idoneæ sint pro remis, ex vtroq; capite habentes *spadulam* & timones: ac etiam, exceptis pupe & prora cuiuslibet, fore debent procul dubio coopertæ, vt homines apti à remis ad remigationis officium deputati, ab insidiatorum conseruentur sagittis illæsi penitùs, & indemnes: collocando equos in fundis nauigii supradicti, ac desuper castrum supra castrum, vt oportet, artificialiter construendo; nec non & ferendo machinas in aliquibus prædictarum ad omnia sibi exercitia præparatas, sic & etiã tali modo, quòd ibi balistarii habiliter commorentur. Attendo semper quòd dictum nauigium, dicta castra, siue machinas benè regat: habendo præterea minora nauigia supradictis, ac postmodum præfatis minoribus magis parua, vt possint liberè introire abscissiones fluminum, si quæ factæ forent in locis aliquibus, vbi aquarum profunditas esset parua. Sciendo præterea quòd prædicta parua nauigia in multis oportunitatibus bona & vtilia possunt esse, & præcipuè ad magniorum nauigiorum custodiam & tutelam, vt inimicorum homines qui sub aqua nouerint enatare, nequaquam ingredi flumen possent: quemadmodum aliquando se miserunt ad Christianorum nauigium perforãdum: quanquam malè auderent hoc agere ac posse facere quod est dictum tam ob vehementem cursum aquarum qui nimium est velox, quàm ob caussam *Crocodillorum* qui reperiuntur in flumine supradicto. Indiget præterea dictus exercitus quòd ex istis nauigiis antedictis aliqua sint *incamatata*, seu *barbotata*

tali

tali modo quòd homines prædictorum non timeant lapides machinarum. Quæ nauigia in tanto numero computentur, quantus vtilis exercitui videretur. Sunt præterea dicto exercitui oportuna nauigia fortissima & magna, solummodo deputata ad machinas deferendas, quæ tam apta sint ad eorum obsequium exercendū prout pro illo negotio necessarium & vtile videretur. Et etiam ex prædictis nauigiis, tot ad defensionem ignis circumuoluta coriis ibi sint, quot necessaria videbuntur. Præterea dicta nauigia tam maris quàm fluminum, variis debent ad inimicorum terrorem fulgere coloribus & picturis, habentia confalones & vexilla in pupibus atque proris, cum pennoncellis positis in lateribus, prout decet. Et vt nihil deficiat negotio suprædicto, vt ad finem laudabilem perducatur ac optabile complementum, expedit, vt in omni exercitu & specialiter in aquali, tibiæ, tubæ, buccinæ, ceramellæ, & omnia musica instrumenta resonantia in immensum, supradictis nauigiis in magno numero deferantur, vt ipsorū sonitu ad pugnandum amicorum animi excitentur, lætificando se vndique, & terrendo perfidos inimicos.

CAP. VIII.

De diuersis armorum generibus, quibus tam ad sui defensionem, quàm ad hostium offensionem Christicolarum exercitus indigebit. Rubrica.

EST præterea oportunum, quòd arma, tam pro necessitate gentis exercitus, quàm ad defensionem sui, quamque etiam ad inimicorum læsionem sufficientia habeantur. Primò, est necessarium quòd quilibet homo armatæ prædictæ habeat *Zuppam* vnam aptam & dextram protinus ad ferendum. Secundò, quòd in maris nauigio tot *coratiæ* debent esse cum *collarijs* & *ferreis cyrotbecis*, quibus tota gens vel saltem duæ partes eiusdem commodè muniantur: quanquam nauigando per flumen, dictum nauigium coopertum, vt narratur superius, ex dictæ gentis medietate sufficienter valeat contentari. Tertiò, est necessarium in prædicto, quòd quilibet vir exercitus supradicti, *galerium ferreum*, aut alia quæque arma leuia, capiti habilia teneat & habeat pro seipso. Quartò, expedit tot esse clippeos in exercitu iam prædicto, quòd quilibet dictæ gentis suo clippeo, loco & tempore ordinato, vti valeat & habere: qui quidem clippei secundùm Careloniæ vsum facti, bonitati conueniant & etiam leuitati: cuius ratio est ista: quoniam si qua vice per terram ire fuerit oportunum, in eo aliquando nulla Corratia est ferenda: ac etiam, quia Saraceni sunt quædam gens qui apti sunt ad insultus quàm plurimos inferendos: ita quòd induendo coratiam, ac etiam subitò exeundo, magnum posset exuenti vel induenti periculum immineri, tum propter laborem qui in eius præiudicium generatur; tum propter ægritudinem, quam quis passus non de facili liberatur. Vndè sequitur, quòd si quis zuppelo, ferreo galerio, clypeo & collari cum dextro ferreo cyrotheca, dum tempus exegerit, fuerit communitus, potest sufficere ad reprimendam audaciam perfidorum: nihilo minùs quoddam super insignium leue quòd magnæ sit apparentiæ, ac calciamenta bona, & vtilia, totumque quod ad extinguendum ignem oportunum fuerit secum habens. Ex armis autem quæ offensioni sunt apta, *gladio* atq; ense eget. Primò, quilibet dictæ gentis, quorum artatores, ex prærogatiua *ferreo baculo* potiatur. Secundò, quòd quilibet *balistarius* duas balistas habeat, vnam alterā fortiorem: quā quidem fortiore vtatur in aliquo loco certo, à quo tunc temporis ipsum non oporteat remoueri: debiliore, per terram in itinere & regressu, dum ipsa indigeret. Tertiò, quòd dictum nauigium *ronconibus*, & *longis lanceis*, atque lanceis cum *rampinconibus* siue vncis in capitibus optimè fulciantur, & specialiter in prora cuiuslibet prædictorū. Quartò, quòd in quolibet nauigio *breues lanceæ atque iacula*, nec non & *lapides* absque numero fore debent in maxima quantitate. Quintò, decet in nauigiis antedictis habere *vncos ferreos*, cum cathenis ferreis colligatos, vt cum nautæ hostibus præesse se viderint, cum dictis vncis nauigia capiant, & ea discedere non permittant. Sextò, posset valdè vtile comprobari, quòd in quolibet nauigio dulcis aquæ, *balistæ grossæ a turno* cum suis munimiinibus portarentur; nec non *balistæ à pesarola*, tot quot vtiles viderentur Capitaneo dictæ gentis, & quarum dictum nauigium capax foret,

nequaquam occupando alios bellatores: & similiter in galeis vtile posset esse. Deceret etiã antedictum habere *sagittaminũ* numerum infinitum, & præcipuè ex eis quæ *falsadores* vulgariter appellantur. Septimò, indiget dictum nauigium tam ædificiis *balistarum silvestrarum* vel *spingardarum*, quàm etiam machinarum, & potissimè ex eis, quæ vt longiùs proiiciant, facta sunt penitùs forciora, id est, reforzata, cum omnibus quibus homines indigent ad ipsas exercendas. Octauò, est vtile atque bonum, vt in prora cuiuslibet magni armati nauigii, *lignum* quoddam longum ex vtraque parte ferratum suspendatur, quod ad percutiendum tam naues quàm nautas se habeat *quasi aries*, cum quo ciuitatis obsessæ mœnia conteruntur. Nonò, eget dictum nauigium *olulis calce plenis*, & etiam multis vasis molli sapone plenis: Inter quas olulas atque vasa sint aliqua instrumenta ferrea quæ *Triualgi* vulgariter appellantur, & etiam alia paramenta ad accendendum ignem, & etiam sagittandum loco & tempore oportuno, cum aliquibus aliis, vt consuleretur à sapientibus exercitus supradicti. Ex quibus omnibus armis antedictis oportet Capitaneum dicti exercitus generalem, habere & tenere, in maxima quantitate: eò quòd multa franguntur ex eis, abiiciuntur, ac manuali hominum vsu amittuntur.

Cap. IX.

Continet qualiter gens præfati exercitus à Capitaneo debeat ordinari: & qualiter victus distribuendus prædictis, bono modo & recto ordine impendatur. Rubrica.

PRæterea Sanctitati vestræ suppliciter refertur, quòd Capitaneus Christicolarũ exercitus, qui tũc erit vel dominus supradicti, à Sanctitatis vestræ gratia celsam suscipiat solicitudinem, prouidentiam & cautelam ad *ordinandum* præcipuè gẽtem suam: vt tam qui erunt ad stipendium nominati exercitus, quam etiam qui ob aliquam causam aliam residebunt in exercitu supradicto ab ipso Capitaneo seu domino per millenum, centenũ, quinquagenum, & decenum numerum ordinentur, vnicuiq; ipsorum numero conferendo præpositum siue caput, ac ipsis dando ordines debitos, prout industriæ suæ Celsitudinis videbitur expedire. Et non solùm quæ supra dicta sunt, iuxta se & in se idem habeat Christicolarum exercitus dominator; sed etiam solicitam habeat prouidentiam & attentam vt genti suæ *victus* ordinatè in omnibus tribuatur; videlicet tam illis qui receperint & habuerint stipendium in prædicto, quàm aliis quibus magnificentiæ suæ apparebit dignè iuxtà necessitatem eorum & indigentiam conferendus: ne præfatus victus furtiuè ac latenter surripi valeat genti suæ. Item, credo bonum & vtile ad conseruationem & promotionem armatæ, si Capitaneo eiusq; consilio videretur quòd in singulis galeis, vltrà communem distributionem, omnia necessaria pro illis qui sunt in armata, præcipuè pro victu & vestitu, venalia tenerentur, cum lucro tamen iusto: nullusq; alius tunc vendat, nisi per Capitaneum eiusq; concilium ad hoc fuerit institutus. Credentia verò in venditione rerum ipsarum, talis fiat qualem requirit conditio personarum: & postea cùm dabuntur stipendia, solutio plena fiat, ita quòd nullus decipiatur omninò, vel etiam possint pertributum vexari. Tota verò vtilitas quæ ex prędictorum venditione prouenerit, in communem vtilitatem armatæ plenariè conuertantur: nihilo minùs circa cætera alia, ordinem generaliter & specialiter assequendo. *Nam in armorum exercitio valet & excedit omnia rectus ordo.*

Cap. X.

De quantitate victus: & modo quem tenent Veneti distribuendo victualia suarum stipendiarijs galearum: ac de numero gentis, temporibus, ponderibus & mensuris: & de eo quòd rationabiliter valere potest.

IGitur est notandum, quòd qualibet die libra vna & dimidia *panis biscocti* cuilibet homini impartitur; triginta dies mensem quemlibet computando, annumque menses XII. quorum vnusquisque sit ex 30. dierum numero constitutus. Ita quòd quinque dies & quarta in anno supereminent de prædicto, connumerando annũ in quo currit bissextus cum aliis annis. Iterum est sciendum, quòd *sextarium* panis biscocti, ex LXXXX. librarum numero computatur: sed ex boni frumẽti sextario benè ex-

nè extrahuntur cv. libræ: Ita quòd superemineat sextâ particulâ vltra id quod imponitur à Venetis supradictis. Itaque exigit quisque à xc. libris sextarium, sextaria sex frumenti prædicti libras septem ac decem vncias & dimidiam pro toto anno completo, vt dictum est, constituto ex mensibus xii. & diebus quinque ac quarta. Quæ quidem sextaria libræ v.C. xlvii. & decem vnciæ & dimidia sunt omninò, quarum librarum sextariorum Venetorum quolibet *miliare*, sex *cantaria* de Apulia & de Neapoli comprobatur. Datur etiam stipendiariorum cuilibet, omni die mensura vna *vini*, quæ est quarta pars vnius libræ, quæ libra in septuagenarium multiplicata numerum perficit mensuram quæ *Bigontium* vulgariter appellatur. Istud verò Bigontium, in quartum numerum multiplicatum, *amphoram* vnam de Venetiis plenè complet: Quæ siquidem amphora vna *Veges*, & tertia de Neapoli approbatur. Ita quòd cuilibet homini pro toto anno, vt dictū est, vnum bigontium & libræ xxi. & quarta cum xvi. particula vnius libræ a Venetis impenduntur.

Datur etiam cuilibet prædictorum, vncia vna *caſei* omni die. Ita quòd per totum annum completum summatim sunt libræ xxx. cum v. vnciis, & quarta rationabiliter numeratæ. Dantur similiter in xxx. diebus cuilibet præfatorum, de *porcinis carnibus* salitis, tres libræ, & totidem vnciæ de prædictis. Ita quòd per totum annum completum summant libræ xxxix. & sex vnciæ, cum quatuor *fagijs* cuilibet prædictorum. Distribuitur etiam in die cuilibet ex stipendiariis antedictis *fabæ* vel alicuius alterius *leguminis*, quadragesima particula vnius *quartarolæ*, ad modum mensuræ Venetæ deputatæ. Et vt ex ea plena cognitio habeatur, sciendum est, quòd quatuor quartarolæ perficiunt vnam quartam, quæ quidem quarta vsque ad quartum numerum multiplicata vnum *sextarium* perficit Venetorum. Et tria sextaria de Venetiis sunt vna *salma* de Apulia, tam de legumine quàm etiam de frumento. Vnde quolibet anno, pro anno completo, vt dictum est, de legumine medium sextarium, & vnam quartarolam ac quinq; quadragesimas, & quartam quadragesimæ vnius quartarolæ habere debet homo quilibet ex prædictis.

De victu decem hominibus conferendo.

HOmines decem debent habere pro vna die sola libras xv. biscotti: Pro xxx. diebus v. sextaria: Pro xii. mensibus sextaria lx. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ lxxviii. cum nouem vnciis dantur eis. Supradicti volunt de vino libras duas & dimidiam, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, vnum bigontium cum v. libris: Pro xii. mensibus, bigontia xii. & libras lx. Ac pro quinq; diebus & quarta, libras xiii. & octauam. Suprascripti vncias xiii. carnium exigunt pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, libras xxxii. & dimidiam: Pro xii. mensibus, libras cccxc. Necnon & pro v. diebus & quarta, libras v. & vncias nouem exigunt antedicti. Item superius nominatis hominibus, pro vnica die solùm, decem vnciæ caſei conferuntur: Pro xxx. diebus, xxv. libræ: Pro xii. mensibus, libræ ccc. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ quatuor, cum quatuor vnciis & dimidia eis hominibus impenduntur. Hominibus antedictis, pro vna die tantummodo, de leguminibus, quarta pars vnius quartarolæ impenditur: Pro xxx. diebus, vna quarta & tres quartarolæ cum dimidia: Pro xii. mensibus, sextaria v. & decem quartarolæ: Ac pro v. diebus & quarta, vna quartarola & quarta pars vnius quartarolæ cum xvi. particula vnius quartarolæ, eisdem hominibus conferuntur.

De victu qui est centum hominibus conferendus.

CEntum homines, vt in naulgio competenter transeat vnusquisque, sextarium vnum & duo tertia sextarii, a nonaginta libris frumenti sextarium computando, debent habere in vnica die tantum: Pro xxx. vero diebus, sextaria l. Pro xii. mensibus, sexcenta: Ac pro quinq; diebus & quarta, viii. sextaria & libras lxxvii. & dimidiam, exigunt supradicti. Prædictis etiam hominibus xxv. libræ vini, pro vna die tantummodo conferuntur: Pro diebus xxx. bigontia decem, cum l. libris: Pro xii. mensibus, xxxii. amphoræ, cum libris xl. Necnon & pro quinq; diebus & quarta, vnum bigontium & libræ lx. *Fieta* vna vini similiter datur eis. Impenduntur postea hominibus antedictis libræ viii. & quatuor vnciæ caſei, pro

vnica die solùm: Pro xxx. diebus, libræ ccc. casei antedicti: Pro mensibus xii. *miliaria* tria: Nec non pro quinque diebus & quarta, libræ xliii. & nouem vnciæ casei, eisdem hominibus conferuntur. Exigunt supradicti libras x. & decem vncias carniũ, pro vnica die tantum: Pro xxx. diebus, libras cccxxv. Pro xii. mensibus, iii. M. & ix. C. libras: Nec non pro quinque diebus & quarta, libræ lvi. & x. vnciæ & dimidia dantur eis. Exigunt similiter antedicti, ex fabis, quartarolas duas cum dimidia, pro vnica die: Pro xxx. diebus, sextaria quatuor cum xi. quartarolis: Pro xii. verò mensibus, sextaria lvi. & quarta: Ac pro quinque diebus & quarta, quartas tres & vnicam quartarolam, & vnam octauam.

De victu mille hominibus conferendo.

Mille hominibus sextaria xvi. & libræ lx. biscotti conferuntur, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, quingenta sextaria: Pro xii. mensibus, sex milia: Nec non pro quinque diebus & quarta, sextaria lxxxvii. & libræ xlv. prædicti biscotti, eisdem hominibus impenduntur. Impenduntur præterea hominibus supradictis, tria bigontia & libræ xl. vini, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, amphoræ xxxi. & tria bigontia cum xl. libris etiam dantur eis: Pro mensibus xii. amphoræ cccxxi. bigontium vnum & libræ l. Ac pro quinque diebus & quarta, xviii. bigontia, præfatis hominibus conferuntur. Impartiuntur de caseo dictis hominibus lxxxiii. libræ cum quatuor vnciis, pro vnica die solùm: Pro xxx. diebus, ii. M. & v. C. Pro xii. mensibus, xxx. milliaria: Ac pro quinque diebus & quarta, libræ cccc. xxxvii. cum dimidia dantur eis. Exigunt supradicti cviii. libras & vncias quatuor carnium, pro vnica die solum. Pro xxx. diebus, iii. M. ccl. libras ex carnibus antedictis. Pro xii. mensibus, milliaria xxxix. Ac pro quinque diebus & quarta, libræ quingentæ, lxviii. cum ix. vnciis eisdem hominibus conferuntur. Exigunt homines antedicti pro vnica die solummodo, ex dicta faba vnum sextarium, & quartas duas, & vnam etiam quartarolam: Pro xxx. diebus, sextaria xlvi. & tres quartas cum duabus quartarolis: Pro xii. mensibus v. C. lxii. sextaria & dimidiũ. Ac pro quinque diebus & quarta, sextaria vii. & quartarolæ tres, & quarta particula quartarolæ, dictis hominibus impenduntur.

De victu decem millibus hominum. Rubrica.

Decem millibus hominum pro vna die tantummodò, clxvi. sextaria, cum lx. libris prædicti biscocti debent dari: Pro xxx. diebus, v. M. sextaria: Pro xii. mensibus verò, lx. M. sextaria: Ac pro quinque diebus, & quarta, dccclxxv. sextaria eisdem sunt hominibus conferenda. Dantur similiter supradictis amphoræ viii. bigontia tria, & libræ l. vini, p vnica die solùm: Pro xxx. diebus, amphoræ cclxvii. bigontia tria, libræ xxx. Pro xii. mensibus, amphoræ iii. M. & ccxiv. cum vno bigontio, & decem libris: Ac pro quinque diebus & quarta, amphoræ xlvii. & bigontia tria, cum xxxv. libris eisdem hominibus impenduntur. Exigunt isti homines antedicti, de caseo, libræ viii. C. xxxiii. cum quatuor vnciis, pro vnica die tantum. Pro xxx. diebus, milliaria xxv. Pro xii. verò mensibus, milliaria ccc. Ac pro quinque diebus & quarta, quatuor millia, & libræ cccl xv. eisdem hominibus erogantur. Dantur etiam prædictis hominibus pro vnica die solùm m. lxxxiii. libræ cum quatuor vnciis carnium prædictarum: Pro xxx. diebus, milliaria xxxii. cum quingentis libris: Pro xii. mensibus, milliaria cccxc. Necnon pro quinque diebus & quarta v. M. cum sex & octuaginta septem libris & dimidia, prædictis decem millibus hominum impenduntur. Exigunt etiam prædicti, sextaria xv. cũ quartis duabus & dimidia fabarum, pro vnica die tantum. Pro xxx. diebus, cccc. sextaria & lxviii. cum tribus quartis. Pro xii. mensibus, v. M. sextaria & m. C. xxvi. Ac pro quinque diebus & quarta, sextaria lxxxi. cum quartis tribus & quartarola vna & dimidia, dantur eis.

De victu centum millibus hominum conferendo.

Centum millia hominum, M. D C. L X V I. sextaria & libras l. dicti biscocti exigunt, pro vnica die solùm: Pro x x x. diebus. l. millia sextaria dicti panis. Pro xii. mensibus, sexcenta millia sextaria: Ac pro quinque diebus & quarta, viii. M. dcc l. sextaria dictis hominibus conferuntur.

Centum

Centum millibus hominum, amphoræ LXXXIX. bigontium quoque vnum, cum decem libris vini, pro vna die tantummodo conferuntur. Pro XXX. diebus, amphoræ II. M. DCLXXVIII. cum duobus bigontiis, & libris XX. Pro XII. mensibus, XXXII. M. & CXLII. cum tribus bigontiis, & XXX. libris: Nec non pro quinq; diebus & quarta, amphoræ CCCCLXXIV. dicti vini, dictis hominib. conferuntur. Et dictis hominibus VIII. M. librarum, & CCCXXXIII. libræ, cum quatuor vnciis casei, pro vna die tantummodo distribuuntur. Pro XXX. diebus, milliaria CL. Pro XII. verò mensibus, milliaria III. M. Ac pro quinque diebus & quarta, milliaria XLIII. cum DCCL. libris, eisdem hominibus impenduntur. Exigunt præterea homines antedicti, de carnibus salitis X. M. VIII. C. & XXXIII. libras cũ quatuor vnciis, pro vnica die solùm: Pro XXX. verò diebus, CCCXXV. M. Pro XII. mensibus, milliaria III. M. noningenta: Ac pro quinque diebus & quarta, milliaria LVI. cum libris octingentis LXXV. exigunt supradicti. Dantur præterea hominibus prælibatis CIVI. sextaria & quarta vna fabarum, pro vnica die solùm. Pro XXX. diebus, quatuor millia VI. C. LXXXVII. & dimidium: Pro XII. mensibus LVI. M. & CCL. Ac pro quinque diebus & quarta sextaria octingenta XX. & vna quarta, cum vna quartarola ex fabis eisdem hominibus conferuntur.

Modus distribuendi prædicta.

HÆc omnia supradicta per scribas galearum isto modo distribuuntur, hominibus iam prædictis. Primò ponderatur dictus *panis biscoctus*, & pro vno vel duobus aut pro tribus vel quatuor diebus, prout dictum est superiùs, datur genti, prout videtur quòd homines eum valeant meliùs custodire: licet vini ius suum cuilibet dictæ gentis, die qualibet impendatur. Secundò *caseus* per octo vel quindecim dies datur cuilibet homini prædictorum. Tertiò, *carnium salitarum*, ad rationem cuiuslibet hebdomadæ, nouem vnciæ cõferuntur, pro quolibet dictæ gentis, vt dictũ est: & eas taliter partiuntur, qui sunt ad tale ministeriũ deputati, videlicet quòd in diebus quinq; hebdomadæ diuidunt supradictas: quoniam die Dominicali dant tres vncias carnium cuilibet dictæ gentis, distributores præfati. Aliis verò quatuor diebus, vt die Lunæ, Martis, Mercurii atq; Iouis, diuidunt dictas carnes per dimidium illius quod cuilibet homini dictæ gentis contulerint die Dominicâ proximâ præcedente: quæ quidem carnes cum legumine coquinantur, quibus carnibus, licet tota gens quæ in galea est, eâ die de coquinatu habeant, non participat nisi medietas dictæ gentis. Alia verò medietas, carnes comedent in sequenti, nec cum eis participant qui comederant carnes in die proxima præcedenti, quamuis de coquinatu qui omni die semel fit, habeãt vt prædicti. Et isto modo tribus vicibus in hebdomada carnes habent, & quinque participant de carnium coquinatu. Aliis verò diebus, vt die Veneris atque Sabbathi, coquinatur *legumen*, & datur lixatum cuilibet homini dictæ gentis qui fuerint in galea. Et si contigerit casus quod infrà illos dies quibus carnes taliter dispensantur, alicuius festi vigilia magna foret, dictæ carnes, datis leguminibus, relinquuntur pro festo venturo proximo dictis hominibus conferendæ; & comedunt vt dictum est legumen, prout die Veneris & Sabbathi consueuerunt. Estque sciendum quòd quælibet galearum habet vnum *coquinatorem*, qui semel in die pro gente galeæ coquinare tenetur, qui etiam die qualibet legumen pro coquinando recipit à *Scribanis*, & diebus ad carnes propriè deputatis, carnes recipit à prædictis, causâ parandi pro sequenti die genti suæ galeæ, vt superiùs enarratur. Et ad accipienda prædicta & distribuenda ea, sunt tres homines deputati, quorum vnus in pupi ipsius galeæ, alter in medio supradictæ, tertius in prora moratur. Et aliquis naucleriorum cum eisdem tribus hominibus est, cùm recipiunt supradicta, vt dictæ gentis quilibet suam habeat portionem. Verùntamen distributores eorum aliquando cambiuntur: sed hoc verè quasi totum restat in comito, qui galeæ est rector, quod de victu dictum est, vt suam quilibet habeat rationem: & potissimè in Capitaneo vel domino totius armatæ, cui commissum est iustitiam faciendi. Et si quis quæreret. Potest ne gens ex hoc victu commodè pertransire? Respondeo quòd potest competenter, cum ad sufficientiam panem ad edendum recipiant à prædictis; sic & tali modo atque manerie, quòd tempore oportuno restringunt & conseruant dictum panem distribuendum cuilibet

dictæ gentis in xv. vel xii. vncias omni die. Et etiam ego fui in armata in quatione dabantur nisi nouem vnciæ cuilibet prædictorum: sed illud est vltimum extremorum: sed cessante necessitate, loco & tempore, fit vel de denariis vel de aliis rebus à dominis restitutio supradictis hominibus dictæ gentis: quanquam dicti homines ex proprio stipendio emant loco & tempore vinum & victum vt eis videtur & placet, ad suum libitum voluntatis, dum accedunt ad locum in quo possunt recipere supradicta. Tempore verò quadragesimali, loco carnium atque casei, alius victus illius pretii recipitur à prædictis.

De pretio pro quo victualia debeant rationabiliter reperiri.

IN primis quidem expedit vt monetæ Venetæ paruæ notitia habeatur. Valet enim *grossus* Venetus de argento, paruos *denarios* Venetos xxxii. Ita quòd septem grossi cum dimidio, xx. *soldorum* paruorum summam perficiunt: & xx. soldi grossorum Venetorum ad summam xxxii. *librarum* paruorum ascendunt: & sic de singulis, numerum augmentando. Panis itaq; biscocti ponatur quòd sextarius ponderis xc. librarum, valeat soldos paruorum xxxii. & dimidium, libra quælibet denariorum quatuor & tertii erit valoris. Vult vnus homo in die vna prædicti panis biscocti libram vnam & dimidiam, quæ valet, sex denarios & dimidium: In xxx. verò diebus, pro xlv. libris biscocti, soldos xvi. & denarios paruos tres: In xii. quoque mensibus, pro vi. sextariis panis biscocti, soldos sex grossorum & grossum & paruos quatuor. Vini amphora ponatur quòd etiam pro libris xv. & soldos xv. habeatur, qui numerus Venetorum grossorum, soldi ix. & grossi x. & denarii quatuor est paruorum. Valebit bigontium dicti vini libras tres, soldos xviii. & denarios nouem paruos: & hac ratione libra vini, xiii. denariorum cum dimidio erit valoris. In die homini quarta libræ, quæ valet denarios tres, & octauas tres cuilibet elargitur: In mense quoque, grossi tres & denarii quinque & quarta sibi dantur: Pro xii. verò mensibus, soldi tres grossorum, & grossus vnus, & xxxi. denarii ministrantur. Carnium salitarum miliare, ponatur l. libras denariorum paruorum valere, qui numerus xxxi. soldi grossorum & tres grossi existit. Vult quilibet secundum hanc rationem, in die quolibet, vnciam vnam & *trentesimos* nouem carnium, qui denarii vnius & quinti cum dimidio valoris existit: In mense autem, pro xxxix. vnciis grossum & denarios septem paruos: In xii. verò mensibus, xxxix. libræ carnium sibi dantur, quæ grossorum xiv. & denariorum xx. sunt valoris. Casei quoque milliare, computetur libris quinquaginta. Vult vnusquisque die quolibet, casei vnciam vnam: valet enim denarium vnum: In xxx. verò diebus, pro libris duabus cum dimidia, denarios xxx. In xii. mensibus, pro libris xxx. & sol. xxx. qui grossi xi. sunt & quarta. Fabarum sextarius, ponatur quòd grossorum xii. & dimidii sit valoris. Valebit xvi. particula, quæ quartarola nuncupatur, denarios xxv. Vult quilibet in die quadragesimam partem prædictæ quartarolæ, quæ valet quinque octauas partes denarii vnius: In mense, denarios xviii. cum denarii vnius dimidio atque quarta: In xii. mensibus, soldos xviii. & denarios paruos nouem, qui sunt grossi vii. denarius quoq; vnus. Quapropter expensæ vnius hominis tam de pane quàm de vino, carnibus salitis, caseo, atque faba, in die quolibet, ad xii. denariorum, & quatuor quintorum vnius denarii summam ascendunt: In xxx. quoque diebus, grossi xii. In xii. verò mensibus, soldorum grossorum xii. summam perficiunt. Ita quod habito respectu ad sextam partem panis biscocti, quæ vltrà quam posuerimus exindè perficitur, & etiam ad id quod de furfure perficitur, & considerando commodum atq; dextrum, quod fauente Domino, reperietur in loco prædicto, computando expensas nihilominus pro factura, mihi videtur, quòd pro pretio antedicto, præfata rationabiliter debeant reperiri. Et quia aliarum rerum rationem misimus ampliorem, idcirco de quinque diebus & quarta, qui de anno vltra xii. menses restant, non fecimus rationem.

CAP.

CAP. XI.

De numero nauigiorum maris, eorundemq; forma, quibus in principio egebit exercitus Christianus ad terram in Aegyptiaca maritima capiendam: & quomodo per Capitaneum debeant ordinari. Rubrica.

ET vt dictum negotium, Pater sanctissime, executioni mandetur, decet præfatum Capitaneum quando cessauerit, à partibus Occidentis, habere L. *galeas*, ex formis protinus antedictis. Hoc est galeas XX. ex forma magna quæ remis valeant se iuuare, ac XX. alias ex forma mediocri, nec non & decem galeas ex ea forma quæ remis aptæ perfectiùs adiuuantur. Verùm, si pro cõsilio capietur quod in quælibet galearũ quatuor pro banco remiges remigarent, cum superiùs narratum sit, *in cap. 5.* sunt solummodo necessariæ XL. galeæ, tali modo ac forma diuisæ, sicut in *21. istius quartæ partis capitulo* reperitur: forma quarũ galearũ hæc est. Primò vnaquæq; ipsarũ, quæ de maiori mensura & forma sunt, longa XXIII. passibus & duobus pedibus debet esse. Secundò in ore, quælibet prædictarũ aperta XV. pedibus cum dimidio esse debet. Tertiò, in superficie debet esse alta septem pedibus & tribus digitis, habens de fundo nouem pedes & dimidium. Quartò & vltimò, in capite proræ debet nouem pedum & dimidii habere altitudinem: in pupi verò, decem pedum cum dimidio debet existere altitudo. Earum verò quæ de secunda forma debent existere vel mensura, XXIII. passibus & duobus pedibus, vnaquæque fieri debet longa: In cuius ore XX. pedum, & tertii debet fieri aperta: & alta debet existere septem pedibus & duobus digitis, vsque tres in cooperta: debetque habere de fundo nouem pedes & dimidium: Ac IX. pedum cum dimidio habere debet in capite proræ altitudinem; in pupi autem, altitudo X. pedum cum dimidio debet esse. Tertiò forma minorum galearum finaliter, & mensura hæc est: Nam quælibet prædictarum, XXIII. passuum & vnius pedis longitudinem debet habere: In ore autem, XIV. pedibus & dimidio debet esse aperta: In coopertura verò, sex pedum & dimidii altitudinem debet habere: ac de fundo, nouem pedes cum dimidio: ac IX. pedibus alta debet esse in capite proræ; in pupi habeat solùm decem. Verùmtamen, vt remiges galearum ad *quartarolos* melius valeant remigare, & præcipuè qui fuerint in maioribus ad *quintarolos* remos, & maximè pro gente benè regenda est vtile, quòd galeæ sint aliquantulum ex maiori forma, maiores quàm superiùs sit narratum: & quòd fiant ex multò meliori lignamine, & melius *pironadæ*, ac sint ligatæ, & specialiter pusticæ pro sustinendo laborem melius & impetum remigandi, nauesq; duas cum decem taretis quibus Ianuenses vtuntur in Constantinopoli & in Pera, quæ *Galatæ* antiquitus vocabantur. Bonum etiam & vtile videretur, supra id quod dictum est, habere quinque galeas valdè magnas, ad onera deferenda in itinere & regressu, remis inermes, pro gente sua portanda, suisque equis & victualibus deferendis, nec non & ferendo lignamine, alioque munimine dictæ gentis. Qui omnes feliciter ad Ægyptiorum maritimam cum gaudio & lætitia gradiantur, ibique, vt est narratum superiùs, terram capiant viriliter & audacter: ferendo secum ad faciendum nauigium, lignamina præparata, vt ad nauigandum per aquas dulces, quæ in parte reperiuntur prædicta, opportunum est & necessarium dictæ genti, & vt fit in aliis aquis dulcibus quæ sunt in partibus Occidentis, vt dictum est. Quæ quidem taretæ, & quinque galeæ valdè magnæ, paratæ sint semper pro itinere, & regressu, ad onera deferenda quæ dicto fuerint exercitui oportuna, manentibus præfatis L. galeis vel XL. cum dictis duabus nauibus, in exercitu cum nauigio præparato ad nauigandum per aquas salitas, & dulces superiùs nominatas, vt inimici Catholicæ fidei per aquas dulces & salitas terreantur ab exercitu Christiano vehementiùs & lædantur. Re verâ qui à primo anno in antea habitationem in Ægypti maritima, ceperint, vt est dictum, & dictus exercitus nauigium aquæ dulcis habuerit competenter, prædictæ XX. galeæ magnam formam habentes erunt transferendæ pro rebus necessariis dicto exercitui apportandis, vt per alia inermia nauigia transferuntur.

CAP. XII.

De tempore, ordine, & industria incidendi lignamina ad nauigia facienda, & ad conseruandum prædicta, & vt fiant velociora, & maximè ad remos nauigium communitum.

ET ad hoc vt in fabricando nauigium supradictum, nullus reperiatur defectus, ob quod dictus exercitus damnum aliquod, ac impeditionē aliquam pateretur, diligenter petii & quæsiui ab illis qui circa talia rationabiliter debent esse instructi, propter vsum continuum quem exercent in faciendo de nemore amputari lignamina, & ex eis nauigia fabricari. Dicunt quippe communiter & concordant, quòd *lignamen* nullo modo debet de nemore amputari mense Martii nec Aprilis, in quo tempore humor *incipit in arboribus habundare: sed tempore Iulii & Augusti*, & maximè Nouembris, tempore & Decembris dictum lignamen perfectiùs est abscidi quàm in alio tempore, quod in anno valeat reperiri: & à Luna xv. vsque ad xxii. nihilominus abscidatur. Et dato quòd ipsum nauale lignamen abscidatur tempore supradicto, dicunt non statim ex eo nauigia fabricanda; sed priùs per tabulas secandum, & per tempus aliquod dimittendum vt valeat desiccari: quòd si ex viridibus lignis vel tabulis nauigia construantur, desiccato eorum naturali humore, tabulæ non remanent ita clausæ, & aquam sic integrè prohibere non valent: & cùm facta fuerit tempestas in mari faciliter dissuuntur, secundùm vulgare dictum: Id est, stupa faciliter recedit de medio tabularum: quo vix aliquid nauigantibus periculosius esse potest: *suntque ad motum pigriora nauigia.* Sed licet hæc vera sint, vtilius tamen est tabulis ac lignis adhuc viridibus & quasi semiplenè siccis, grosso modo ædificare nauigia: & postquam desiccata fuerint, tunc strictè asseres componantur, & totum nauigium ad formam debitam reducatur: quia hoc modo, vt aiunt experti, lignamina tam ad nauigia, quàm ad nauigandum meliùs adaptantur & disponuntur. Nam ligna viridia faciliori modo elaborantur, & in opere componuntur: & in duplici commissione asserum, fortior & solidior fit commissura quàm in simplici, eò quòd prima est quædam dispositio ad secundam. Et ad conseruationem & sustentationem armati rēmis nauigii, vt velox fiat, ipsum indiget multo sepo: præsertim nauigium galearum per mare transeuntium, hoc modo. Primò omni spatio duorum mensium in æstiuo tempore, pro maiori, dum intensior est calor; triumque mensium in hyemali, semel *bruscentur*, vrantur & reparentur ex eo quòd præfatæ galeæ tunc temporis indigent reparari: atque sub fundis extrinsecus *palmizentur* vsque supra ad aquam, secundùm quod cuique ipsarum fuerit oportunum. Cuius quidem sepi, quælibet galearum v. C. libris indiget omni vice pro dicto ministerio adimplendo, accinctè cuiuslibet prędictarum C. libræ sepi præfati sunt mense quolibet conferendæ. Cæterùm elapso mense, qualibet hebdomadâ, postquam dictæ galeæ fuerint palmisatæ, volùenda est in latus aliquando dextrum, aliquando sinistrum quælibet prædictarum, vt manibus sub fundis extrinsecus cum porcinis cutibus detergantur: tali quidem manerie atque modo quòd sepum non abiat à prædictis. Suntque bis in anno calefatizandæ & reparandæ per ordinem antedictæ galeæ, cum inermi nauigio transeunte per mare ad onera deferenda. Iterumque nauigium aquæ dulcis, vt sit velox, & conseruetur vt superiùs est narratum, calefatisari, & reparari, ac etiam de sepo palmisari oportet, prout vtile & necessarium diceretur: Pro certo sciendo, quòd nauigium in aqua dulci meliùs conseruatur quàm etiam in salita; nec à *vermibus biscialibus* suscipit læsionē: ac etiam in aqua salita labente, per dictos biscíales vermes potiùs nauigium deuastatur, & citiùs suscipit ipsos vermes, si in eadem residentiam fecerit, quàm in aqua salita quæ cursu aliquo non mouetur. Cui siquidem nauigio si contingeret quòd sepum deficeret supradictum, defectu cuius dictæ galeæ palmisari nequirent, vt superiùs continetur, oportet tergi fortiter & taliter nauigia supradicta, quòd cappę ac herbarum limacium ex toto ab ipsis auferatur: quod in mense totiens fieri expedit, quotiens necessarium videretur. Estque similiter præsciendū, quòd quod libet nauigium, eget vt teneatur ad manus, & procuretur de ipso magis æstiuo tēpore, quàm hyemali: quoniā in æstate citiùs deuastatur. Vndè omissâ viâ quâ potest deuastari nauigiū, tenenda est illa quâ potest nauigiū conseruari, ad dictum negotium exequendum,

quendum,& ex qua nauigium fiat velox. Et si dictum nauigium tunc non foret vllatenus oportunum ad aliquod operandum, oportet ad illius conseruationem in posterum, in locum pertrahi coopertum, vt ipsius læsio vitaretur iuxta consilium Principum & Communium loco & tempore indigentium antedicto : qui locus vbi dictum conseruatur nauigium *Arsena* vulgariter appellatur. Sunt etiam quædam aliæ rationes ad dictum nauigium conseruandum, licet diu per ipsas nequiret dictum nauigium conseruari: scilicet quòd prædictum ad solem maneat,pluuiam, atq; rorem.

CAP. XIII.

De aliis nauigiis, quibus indigebit exercitus præfatus ad ferẽdum victualia & alia oportuna pro Crucesignatis venturis; & de locis & eorum nominibus: de ordine qualiter victualia prælibata de locis præfatis extrahi poterunt & haberi: Rationabiliter etiam ostendendo quòd nauigium istud, vt proprium sit Ecclesiæ Sanctæ DEI nec oportunum nec vtile comprobatur. XIII.

ET quanquam hęc omnia, quæ narrantur superiùs, debitum principium sortiantur & medium, expedit etiam, beatissime Pater, ad ipsius executionem negotii, aliud nauigium, præter illud de quo facta est mentio in capitulo præcedenti : quoniam non per principium & medium laus acquiritur ; sed per finem laudabilem & felicem, initium & medium commendantur. Quod quidem nauigium ferat victualia, lignamina, & alia necessaria genti prefatę, in magna quantitate, pro Crucesignatis venturis, vt superiùs est narratum. Vt Agareni, qui dudum in vltramarinis partibus Christicolas impugnarunt, absq; defectu aliquo celeriter conculcentur, atq; absorbeatur nequitia colentium Machometum. Et cùm expressum sit aliquid ex alio nauigio quàm de illo quod superiùs est narratum, nequaquam intelligendũ est, quòd ipsum in multo magno numero computetur, nec etiam quòd prædictũ sit ad proprium Curiæ ministerium deputatum. Et ex hoc potest ista ratio assignari. Nam si *Cretensis Insula*, virtute superni præsidis concedente, in eo statu in quo nunc ad præsens permanet, gubernatur, poterit fieri & tractari cum Venetis, quod frumentum & segetes alias quibus nõ indigent in Insula supradicta, Sanctitati vestræ pro prædicto exercitu hilariter conferant & gratanter, vt exindè ad Ægypti maritimam transferantur: tantum frumenti & segetum, si egerent dicti Veneti, eis in *Apulia* impendendo, quantum vestræ Beatitudini duxerint in prædicta Insula conferẽdum. Quod quidem in vtilitatem cederet Venetorum indigentium supradictis, eò quòd dicti Veneti dictum frumentũ & segetes Venetias ex loco magis apto conducerent & propinquo, prærogatiuam aliquam assequẽtes, si eis occurreret, dictus casus: cùm bonum frumentum de Apulia quicquam melius valeat quàm Cretense, quoniam ex eo efficitur farina, ex qua melior panis fit, & in maiori progreditur quantitate quàm etiam ex Cretensi. Possent etiam haberi ex dicta Insula satis vini, & multum casei, cum paruarum bestiarum numero valdè magno, ac cum lignamine, specialiter comburendo; nec non & palcæ : ac etiam magnus numerus ex *cornibus Stanbechinis* pro faciẽdo arcubus balistarum. de quibus omnibus supradictis, verificè dici posset quòd ipsa in Ægypti maritima quasi forent : tam propè Cretensem Insulam est sita. Poteritq; præterea ex Insulis *Aiupelagi*, dũ modo à Turchis non fuerint deuastatæ, vltrà id quod residentin præsenti, haberi multa copia bestiarum, grossarũ etiam & paruarum, cum lignamine, & paleis ad dictum exercitũ deferendis, prout de lignamine Cretensis Insulæ suprà dixi. Præterea ex Insula *Melo*, quæ similiter est de prædictis Insulis Aiupelagi, multæ molæ possunt haberi, siue multi lapides ad molendum, qui sunt etiam valdè necessarii & vtiles pro negotio exercitus antedicti. Et si vestræ Clementiæ complaceret, quòd Capitaneus exercitus prælibati cum Turchis, qui morantur in Turchiæ maritima, curialiter se haberet, & ipsos amicabiliter pertractaret, & specialiter cum aliqua parte illorum, quæ à *Clandeloro* vsque *Macrum* dominium plenum tenent : eò quòd exindè, pro pecunia, prout spero in altissimo Creatore, sinerent gentem Capitanei supradicti lignamen extrahere, atq; picem, cum magno numero cuiusliber generis bestiarum ad Ægypti maritimam deferendo. Nec non & ex *Insula Cypren si* germinante, vt consueuit facere aliquo tempore, affluenter, multa seges cum vino & bestiis vel animalibus, tam paruis quàm magnis, & sale ad exercitum transmittendis haberi posset etiam congruenter. Quæ quidem Insulæ atque terræ, satis iuxta

Ægypti maritimam sunt propinquæ. Præterea ex Insula *Nigropontis* & ducatu similiter *Athenarum*, ac etiam ex *Amorea* haberi poterit lignamen cum multis aliis rebus recentibus, dicto exercitui oportunis. Item ex *Blachia* haberi possent frumentum, aliaq; pinguedo. A portu *Amiro*, portuq; *Mithriade* atque *Lade* in magna quantitate, si ad statum reduceretur pristinum, eò quòd ipsa consumpta fuit à Comite Brenensi, dum societatis Catelanorum dominium obtinebat. Præterea ex terra quam *Græci Constantinopolitani* tenent nunc ad præsens, haberi possent lignamen, ferrum, & seges, cum alio refrescamento in magna quantitate: & non solùm exinde: sed etiam ex *Mari Maiori*, ex parte Septentrionis, haberi poterunt bladum in magna quantitate, sepum, & coria boum, & alia necessaria multa. Eodemq; respectu ex terra *Despoti* arta:, & ex terra *Valonæ* atq; *Durati*, ac etiam ex terra *Seruiæ*, trahi poterit lignamen in maxima quantitate, aliaq; pinguedo, & præsertim lignamẽ quercinum, cum cætero numero bestiarum. Nec non de Regno *Siciliæ*, ducatu *Apuliæ*, & *Capuæ* principatu, multa seges, multumq; vini & olei, cum salitis carnibus & caseo, ac fructibus arborum affluenter. Quæ quidem omnes terræ, præter Mare Maius ex parte Septentrionis, satis Ægypti maritimæ sunt propinquæ: propter quæ rationabiliter dici potest, quòd dum ille ordo seruabitur, qui fuerit obseruandus, dictus exercitus magno nauigiorum numero non egebit, quoniam qui cum prædictis nauigiis nauigabunt, dictas prouincias visitantes, sæpissimè ire poterunt & redire. Ac de quadam terra quæ *Signa* dicitur, aliisque locis Sclauoniæ, multùm lignaminis cum salitis carnibus trahi poterunt & haberi. De *Venetiis* autem ferrum absque dubio, & lignamen præcipuè de larice, & abeto, & sextoria meliùs extrahentur, quàm ex aliqua parte mundi: quæ quidem omnia sunt valdè vtilia, & dicto exercitui oportuna. De *Marchia* quoque *Anchonæ* ac *Romandiola*, multum vini extrahi poterunt, & pinguedo. In quorum quidem loco quolibet principali, qui vestrorum fidelium dominio gubernatur, si vestræ placuerit Sanctitati, conueniet quendam habere factorem, siue factores, qui emant quæ fuerint dicto exercitui oportuna, nauigia continuè naulizando. Et non solùm in hiis partibus fieri hoc oportet; sed etiam *Pisis*, *Ianuæ*, in *Prouincia*, ac in aliis locis multis prout vestræ videretur beatitudini faciendum. Et dum à vestra non procederet Sanctitate, quod in prædictis terris & locis factores existerent supradicti, posse nihilominùs ordinari quòd quàm citò mercatores ad Ægypti maritimam applicarent, tam subitò facta foret expeditio & solutio prædictorum. Et si de vestræ existeret beneplacito Sanctitatis, quòd vtrumq; eorum executioni plenariè mandaretur, prædictum negotium maiorem vtilitatem susciperet, celeriusq; sine dubio complementum. Via siquidem inueniendi factores, qui sint idonei atque boni ob istud negotium oportunum, est satis euidens atq; clara. Hoc est, quòd in qualibet istarum terrarum maritimarum, quas fideles inhabitant Christiani, illi quibus vestra Sanctitas commiserit dictum negotium exequendum, inquirant, petant, ac inquiri & exigi faciant diligenter, qui sint homines bonæ fidei & famosi, diuites, ac similiter sapientes, nec non & qui consueti fuerint in talibus, vt prædictum negotium postulat & requirit, ex quibus eligi debeant antedicti, quot esse necessarii videbuntur in negotio supradicto. In aliis verò terris & partibus in quibus gentes non inuenirentur similes antedictis, ex prædictarum partium hominibus transmitti possent in tanto numero ad easdem, quantus illis, quibus vestra commisit Sanctitas, & necessarius videretur, & vtilis ad dictum negotium exequendum: Sciendo pro certo, quòd si dicti factores boni fuerint, prout poterunt reperiri cum Omnipotentis auxilio, dictum negotium finem optimum assequetur, prouidendo antedictis, prout idoneum & congruum videretur. Addendo etiam cum præfatis, edictum hoc in loco quolibet ex prædictis: quòd *Quicunq; ad vestræ Sanctitatis exercitum vellent ferre victualia, & lignamen, aut alia quæq; forent securi, gradi valeant & redire ac etiam permanere, à vestro deuoto quolibet & fideli*. Oportet iterum tractare, & à vestra Sanctitate facere ordinari, quòd lignamen, & victualia, aliaq; munimina quibus dictus exercitus indigeret, trahi possent ex terra qualibet atque loco, ad Ægypti maritimam deferenda, ablq; vllo datio seu etiam thelloneo, dictis terris & locis permanentibus communitis eo, quod eis foret tunc temporis oportunum. Indiget præterea dictus exercitus, ad securitatem eorum scilicet & cautelam, quòd in prædicto loco Ægyptio, vbi fuerit exerci-

exercitus prælibatus, tantùm milii congregetur, & etiam recondatur, quòd efficiat circa sextariorum C C. M. Venetorum, quæ quidem circa LXVII. M. salmarum de Apulia numerantur: eò quòd milium per longum spacium temporis conseruatur, & necessitate vrgente vesci posset præfatus exercitus milio supradicto: quod quidem miliũ habetur, secundùm quod ostenditur in præsenti, ex tertis Maris Maioris, à parte Septentrionis, meliùs quàm ex partibus aliis. Videretur etiam magis vtile magisq; cõsentaneum rationi, quòd nauigium quod necessarium fuerit vltra illud inerme, quod specificaui vestræ superiùs Sanctitati pro ferendis, quæ dicto fuerint exercitui fructuosa, natulo potiùs admittantur, quam proprium sit Curiæ supradictæ. Cuius ratio est aperta: quoniam patroni nauigii seruentiores siue promptiores sunt in propriis eorum negotiis exequendis, magisq; soliciti & fideles, quam essent in eis quæ ad commune bonum ipsius Ecclesiæ pertinerent: propter quod non est timendum, quòd, cum auxilio IESV CHRISTI, dictus exercitus aliquem defectum nauigii patiatur, quia dum hoc fuerit relatum auribus mercatorum, pro percipiendo fructu, ipsi nauigia fieri facient affluenter.

CAP. XIV.

In quo ostenditur qualiter ad Ægypti maritimam transfretando, ipsius claritas, & aëris bonitas cognoscuntur: & qualiter bonitas ipsius aëris comprobatur ex auellanis exemplum verificum assumendo: & de aquarum eiusdem etiam bonitate. Rubrica.

ACest bonum deniq; hoc scire, & specialiter in hac parte, vt inferiùs enarrabo: ad ostendendum propriè dictæ terræ Ægyptiæ aëris bonitatem: quòd quicunque voluerit ad Ægypti maritimam se transferre, tam ab Occidente quam à partibus Romaniæ, pro maiori parte ad Cretensem Insulam, à capite Orientis debent rationabiliter applicare: ibiq; signa recipiant scoliorum, quæ *Christiana* præsentialiter appellatur, vt in Alexandriam naitigent transitum cdpientes, quæ verò respiciunt se ad inuicem dictæ terræ, ad ventum Magistrum & ad Syrocum. Cæterùm propter aquarum discursus, qui ab Oriente, in Occidentem in eisdẽ partibus dilabuntur, oportet iri vsq; ad medium *parigij*, eundo quartam venti desuper à Syroco versus partem Orientalem: postmodum verò a medio parigii vsq; in Alexandriam nauigari rectè per Syrocum. Qui quidẽ transitus, *Parigium* nuncupatus, circa CCCCL. miliaria extimatur: licet quidam vC. miliaria transitum seu parigium fore asserant supradictum. Et cùm Cretensis Insula bono aere sit munita, sæpè tamen, qui prædictum parigium transeũt nauigãdo, quantò magis Ægypti maritimæ appropinquant, tantò vehementiùs respiciunt & cognoscunt *aërem* meliorari, transmutari, lucidari, & etiam clarefieri, cœlestem similitudinem deferentem. Et hoc est, quia in illa Ægypti maritima satis hyemali tempore pluit communiter, & etiam temperatè: licet infrà terram, vt apud Kayrum & Babyloné, ac etiam inde sursum, minimè nisi tantum pluere consueuerit, quòd terra valeat aliquantulùm humectari. Ex quo credendum est protinùs & videndum, quòd aër Ægyptius, propter huiusmodi temperiem, bonus sit absq; dubio & perfectus; prout ex *auellanis* exemplũ verificum sumi potest. Nam dum in Ægyptum ipsæ deferuntur, quæ rancedinem in se habent, vel fuerint aliquantulũ deuastatæ, bonæ fiunt, vel multùm procul dubio emendantur, propter ipsius aëris bonitatem. Hoc præterea cognoscendo quòd in ipsa Ægypto aquæ reperiuntur in habundantia meliores, quàm in mundo valeant reperiri: & quę ex eis vtilior comprobatur, propriè obtinet officium digerendi. Ob quod non est dictum negotium modo aliquo deserendum, quin pro acquirenda terra præfata, & de infidelium manibus extorquenda, fiat quòd potest fieri, & fuerit faciendum, vt qui DEI cultum eiusdemq; Ecclesiæ cupiunt totis desideriis adimpliare, ipsa potiantur in statu pacifico & tranquillo.

CAP. XV.

Est cuiusmodi conditionis debeant fore gentes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stipendium admittendæ, causa istius negatiui finiendi. Rubrica.

PRæterea quòd præfata gens Ecclesiæ Sanctæ stipendium receptura, istius debet esse conditionis, & status: videlicet, quòd primò sint *comiti & nauclerij*, qui

benè nouerint ducere nauigium, atque conducere per aquas dulces & salitas. Iterumque gens quæ nauigium à remis munire valeat habundanter, eò quòd ex ipsa gente semper superfluant homines in nauigio, & exercitu iam prædicto: ne propter multa accidentia quæ possunt imminere, multotiens dictum nauigium ob defectum *gentis à remis* in munere remaneant vllo modo: habendo etiam *scribas*, quos in exercitu esse decet tam ad scribenda & distribuenda victualia, quàm ad arma deferenda quotidiè dictæ genti, & alia oportuna, atq; *marangones* lignaminis in magno numero. Inter quos multi recipiantur *magistri*, multiplicis ingenii possessores; nec non etiam *calefatos* in tam magno numero, qui possint facere & tenere paratum totum, id quod dictum nauigium tunc temporis indigeret. Et vt facti seriem vestræ breuiter aperiam Sanctitati, oportet in prædicto exercitu *fabros* siue ferrarios esse tales, qui sint idonei ad exequenda omnia ferramenta, quæ dictum nauigium & exercitus exigeret facienda: nec non & magistros in qualibet arte, qua præfatum nauigium possent & exercitus adiuuari. Residuum verò gentis, qui *pedites* fuerint, *balistarij* & *lanceary* esse debent, vt tam per aquam quàm per terram audacter se adiuuent, & viriliter Christianæ fidei deprimant inimicos. Et vt dictum negotium effectum debitum sortiatur, oportunum est, quòd in armamento præfato aliqui sint *Prælati*, ac *Fratres Prædicatores* & *Minores*, tamque etiam de *Heremitarum* ordine quàm *Carmeli*, nec non alii clerici seculares, à quibus dicti exercitus populus instruatur doctrinis, & bonis moribus informetur: vt ad obsequium Omnipotentis Dei, suiq; penitùs verum cultum, ab eisdem Ecclesiæ Sacramenta indigentibus rationabiliter ministrentur.

Cap. XVI.

De modo & manerie renouandi gentem exercitus antedicti: & de ægrotantium habitaculo in prædicto, & prouisione cunctorum: ac etiam de mulieribus quæ matrimonialiter viris extiterint copulatæ, ac earum viduitate, eorumdemq; hæredibus: nec non de prouisione cæteris facienda.

XVI. Præterea oportet quòd in armata Ecclesiæ supradicta, quæ exiuerit à loco & partibus Occidentis, continuè probis viris & belligeris eiusdem status & conditionis, vt dictum est superiùs in capitulo præcedenti, impedatur *stipendium* nunquam deficiens, cupientibus recipere antedictum, qui cum inermi nauigio ad nuncupatum exercitum transmittantur, ac etiam cum alio nauigio quàm poterunt citiùs absque mora. Nam in exercitibus, æqualibus, pereunt multæ gentes, tum propter bellorum discrimina; tum propter aquarum vsus, propter quod sæpissimè submerguntur; tum etiam propter labores intolerabiles, quos die noctuq; continuè patiuntur, ex quibus debilitantur, ægritudini subiacentes. Ac est possibile quòd dicta mora vel situs, aliquibus gentis huiusmodi displiceret. Vnde per hanc viam & modum dicta Christicolarum gens recentari poterit, & etiam innouari: quod erit valdè vtilimum, nec constabit propterea multò pluri. Et stipendium atque victus, qui dabuntur stipendiariis, tales sint quòd possint ducere curialiter & honorificè vitam suam; & pro ipsis fideliter purâ mente possint mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, suoq; Capitaneo dicti exercitus obedire, & præcipuè comitis, naucleriis, aliisve quibus commissum fuerit victualia dispensare, vt nullam habeant materiam, propter lucrum aliquod, nocendi, nec inferendi aliquod detrimentum populo exercitus supradicti. Et si quis, vel si qui ex dictis comitis, naucleriis, atque aliis victualia impensuris, aliquid victus vel stipendii vllatenus vsurparent, postquam haberent stipendia satis bona, taliter punirentur, quòd eorum pœna transiret ad alios in exemplum. Et isto modo deprimeretur malitia detractorum siue defraudatorum vsurpantium aliena, & defenderetur debitum impotentum, ita vt præfatus exercitus tamdiu absque molestia permaneret, quamdiu vestræ Beatitudini complaceret. Verùmtamen, præfatis hominibus exercitus iam prædicti, victus talis est, pro mittori, à distributoribus conferendus, qualem suscipiunt homines, qui ad stipendium super galeas Venetas gradiuntur: vt dictum est in decimo capitulo partis huius. Præterea necessarium est, vtile atq; bonum, quòd primum habitaculum quòd fiet in terra per supradictum exercitum, ad infirmorum refugium deputetur *ægrotantium* in eodem: ibi eis cuncta necessaria impendendo, quæ ad animarum

suarum

ſuarum ſalutem pertineant, & ſuorum corporum ſanitatem. *Mulieres* autem, quæ tunc temporis in dicto exercitu commorantur, viris ſuis matrimoniali fœdere copulatæ, vt homines, percipiant victum ſuum. Et ſi aliqua ex eis, vir cuius decederet, legaliter proponeret in viduali habitu permanere, continentiam ſeruatura, ſimiliter recipiat ſupradictum: nec ei prædictus cibus vel victus vllatenus auferatur. At ſi quis in obſequium venerit eccę ſupradictæ, qui foret in exercitu iam præfato, deuergens à potentia corporali, ſuum victum ſuſcipiat iuxta ſtipendium quod habebat dum corporis viribus fungebatur: habendo ſemper reſpectum vt fraus & dolus nullatenus committantur, eò quòd multi homines libenter euadunt, vitant pericula & labores. propter quæ omnia præuiſionem habere valdè conſonat rationi: cuius vxori & genitis, ſi præfatus, vitâ corporeâ priuaretur, naturæ debitum exoluendo, vel aliis, qui exiſterent ad ſeruitium ſupradictum, tantum eis à prædictis diſtributoribus impendatur, quo prædicta vxor & geniti, ac alii iam prædicti, donec aſcenderint ad ætatem adultam, valeant enutriri: quorum mater ſi extremum diem clauderet, vt ordo exigit naturalis, priuſquam infantuli ſupradicti fortitudinem adoleſcentiæ potirentur, ab eis quorum intereſt exercitum gubernare, liberaliter admittantur, & ponantur in loco, vbi bonitatem aliquam valeant edoceri, vt docti prædictam; etiam bonis moribus informati, dum per gradus adoleſcentulos ambulabūt, mereantur ex ſcientię virtute, operibus acquiſitis, cōgruè regere vitam ſuam, recipientes expenſas, interim & habentes, prout ſuperiùs eſt narratum. Ex quo ſpero in DEO, qui eſt omnium in ipſo credentium & ſperantium vera ſalus, quòd ſuâ clementiâ, & veſtrorum virtutibus meritorum, ſic veſtram Sanctitatem dignabitur illuſtrare lumine veritatis, quòd ex eis vſq; ad finē, de die in diem, dictæ Terræ Sanctæ negotia ſuccedent proſpera & iocunda.

CAP. XVII.

De locis & partibus vndè haberi poterūt boni nautæ, pro nauigiis aquæ dulcis, & aquæ ſalitæ etiam gubernandis, Rubrica.

NImirum, Pater Sanctiſſime, ſi quærerent aliqui, vel quærere peroptarent, in quo loco poſſet inueniri tam magnus *nautarum* numerus ad nauigandum per aquas dulces, & etiam per ſalitas, qui pro ferendis armis eſſent idonei & boni ad bellandum viriliter per vtraſque, huic petitioni poſſet breuiter reſponderi: videlicet quòd à loco & à parte, vndè ſupradicta fiet armata à Sanctitate veſtra, nautæ concurrent, ſalitis aquis idonei, ex aliis partibus Chriſtianorum ad illam, vbi ſtipendium conferetur. Ita quòd pro conducendo nauigio, & ducendo quocunque fuerit oportunum, per ſalitas aquas nauigantium numerus habebitur habundanter. De nautis quippè, qui per aquas dulces nouerunt optimè nauigare, veſtræ Sanctitati duxi humiliter exponendum: quòd à *mari* videlicet *Adriano*, per plurimas terras *Foro-Iulij*, *Marchiæ Tarriſinæ*, & per multas etiam *Lombardiæ*, quaſi per omnes, atque *Romandiolæ*, per aquas dulces & ſalitas poteſt iri cum nauigio vſque ad dictas terras, vel propè loca ſine dubio ſupradicta. Nam circa prædicta flumina, quæ dulcedinem ſemper habent, ac propter cauſam ipſorum, infiniti nautæ habitant & morantur in prouinciis iam prædictis. Præterea veſtra Sanctitas dignetur memoriæ commendare, quòd in præfatis prouinciis, ac etiam iuxta ipſas, multa ſtagna reperiuntur & lacus: & ſpecialiter *lacus Benacus*, à quo labitur flumen *Menzum*, quod *Mantuæ* lacum facit lacus *Liſeus*, qui eſt in Epiſcopatu Brixienſi; lacus *Mergotij*, ſeu lacus Maior dictus, ob magnitudinem ſuam; lacus *Comi*, lacusque *Logani*: eſt etiam & vltra Alpes in Alamania lacus *Lucernæ*, ac lacus *Conſtantiæ*, qui ob magnitudinem ſuam, à circumſtantibus mare Almenicum appellatur; nec non & in Burgundia lacus reperitur *Loſannæ*. Suntq; ſimiliter alii lacus vel ſtagna, iuxta quæ pro armis habitant boni nautæ, & audaces mirabiliter ad bellandum: & in tanto numero nautæ ſunt, & morain contrahunt in prædictis locis prædictarum prouinciarū, & aliis cæterarum, de quibus nullā diſtinguitur in præſenti, quòd maior numerus inueniretur nautarum, qui per aquas dulces ad nauigādum ſunt apti, & pro armis belligeri atque probi, multùm plus quam numerus ſupradictus. Et quanquam in prædictis ſtagnis & locis in quibus ſunt lacus vel la-

XVII.

cunæ, reperiantur homines ſupradicti, nihilominùs tamen in pluribus aliis locis Chriſtianorum infinita flumina, lacunæ, ſiue lacus & ſtagna reſident valdè magna, & maximè à parte Septentrionis, circa quæ diuerſarum habitant gentium nationes, quæ per aquas dulces nouerunt optimè nauigare, ex quibus poſſet veſtra Sanctitas ſe munire, & oportunum negotium fidelium Chriſti, cum eiuſdem auxilio, verſus Ægyptios ducere ad laudabile complementum.

CAP. XVIII.

De nautis habitantibus in extremitatibus Alamaniæ, qui boni & vtiles rationabiliter eſſe debent, ad conſulendum & præſtandum ſuffragium ad prædicta.

XVIII. LIcet multa hucuſque de hominibus, qui pro armis iuxta ſalitas aquas & dulces viriles habent animos & audaces, generaliter & ſpecialiter Sanctitati veſtræ duxerim exponenda, adhuc quædam pro vtilitate & commodo atque bono dicti expediendi negotii, vel indigentiæ ſupradictæ, eſt veſtræ memoriæ commendandum. Hoc ſcilicet, quia in Alamaniæ partibus variæ habitant gentium nationes, quæ valdè forent vtiles & neceſſariæ ad muniendum negotium maritimæ de Ægypto: & ſpecialiter *Tremartij*, qui habitant in extremis partibus maritimæ Archiepiſcopi Bremenſis; nec non & *Friſones*, qui deorſum habitant à Wasfallæ prouincia propè mare: ac etiam gentes de prouincia *Dulandæ* ac *Sylandæ*, qui morantur deorſum verſus mare de comitatu *Gelleræ* atque *Cleuæ*. Cuius ratio iſta eſt: quoniam gẽtes iſtæ debẽt eſſe bonæ ac vtiles pro oportunitate prædicta, propter habitacula, quæ habent in Inſulis vel lidis marinis, & propè magna flumina commorantur, quæ per ſuas deſcendunt prouincias ſiue contratas: ob quam cauſam prædicti ſcire debent per dulces aquas & ſalitas, optimè nauigare, ſic quòd ab eis ſanum deberet conſilium, & optimum auxilium inueniri. Sunt autem in *Holſatia* & in *Sclauia*, vbi perſonaliter affui, notabiles multæ terræ, iuxta flumina aut ſtagna multis pinguibus habitatoribus affluentes: *Aniburg*, ſcilicet, *Lubec*, *Viſmar*, *Roſtoc*, *Xundis*, *Guſpinal*, *Sectin*: de quibus trahi poſſet copia multa bonæ gentis: & non ſolùm indè, ſed de Regnis *Datiæ*, *Suetiæ*, & *Norueciæ*: cùm in eiſdem multæ ſint habitationes, tam in maris littore, quàm in Inſulis conſtitutæ, quibus Marinariorum robuſtorum & animoſorum ſuppetit multitudo, quos omnes non dubito fore vtiles ad negotia memorata: ſuntq; per illud clima multæ aliæ prouinciæ ſeu terræ ad hoc accommodæ, quæ hîc non nominaliter inſeruntur. Ex quo laudo & conſulo, cum reuerentia quanta poſſum, veſtræ Sanctiſſimæ pietati, quatenus aliqui ex illis gentibus, & non ſolùm ex eis, ſed aliis ſimilibus ex diuerſis Chriſtianorum nationibus, vndecunque habeantur in aliqua quantitate, qui ad expediendum negotium de Ægypto, mittantur cum ſupradicto exercitu, ſanum & bonum conſilium impenſuri: cùm plures nautæ Catholici circa partes Oceani maris, quàm Mediterranei commorentur. Iam ego præſens capitulum conſumaueram, & ecce per mare de Venetiis ad portum *Cluſæ* in Flandriam, cum galeis armatis veniens, ibi à fide dignis accepi, & pro parte oculis meis vidi, quòd maritima Alamaniæ, in qua dictus portus exiſtit, valdè noſtræ maritimæ Venetæ eſt conformis: inueniq; illius terræ indigenas fore fortiſſimos, & in armis ſtrenuos, pleroſq; eorum marinarios, aliosq; ad terram fodiendam, quorum vſus ſatis neceſſarius exiſtit, induſtrios atque aptos, & aliàs pecunia abundantes; & quod laudabilius eſt, deuotionem habere per maximam ad negotia Terræ Sanctæ: Qui vt credo ad recuperationem terræ Ægypti, optimè cum Venetis conuenirent: ſicut olim, in illo Paſſagio quando Conſtantinopolis, *Comitem Flandriæ* aliosq; de Francia & Burgundia Barones, & nobiles, ac *Marchionem Montis Ferati*, cum Venetorum auxilio capta fuit, iidem Alamani cum eiſdem Venetis & prædictis aliis ſe laudabiliter confirmarunt. Quamobrem etiam inter prædictos Comitem, Barones & nobiles ex vna, & eoſdem Venetos ex altera parte, magna tunc amicitia contracta fuit, quam felix memoria tranſmiſit hinc indè etiam in hæredes: Nec immeritò, quia iam dictâ ciuitate acquiſitâ, & dicto Comite iam mortuo, licet pluribus intermediis ſucceſſoribus, tandem domino Balduino tunc adoleſcente in Conſtantinopolitano Imperio ſuccedente, admodum vtiliter tractatum, & iureiurãdo firmatũ fuit de filia *Imperatoris Exagorarum*, viri in illis

partibus

partibus, tunc temporis magnifici & potentis, eidem adolescenti in matrimonium copulanda, per quam parentelam dictus Balduinus conscendebat ad magna, eiusque Imperium non modicum firmabatur. Promittebat enim Balduino Imperator prædictus, sua gente, suisq; expensis propriis recuperare terram totam Imperii Romaniæ, quam prædecessores amiserant in partibus Occidentis: tunc Barones sui timentes, quod postquam Balduinus suum firmasset Imperium, ne procederet cõtra eos, propter * offensam magnam quam in prædecessorem ipsius commiserant, dolosum sibi dederunt consilium, vt videlicet filiam Imperatoris Exagorarum, quamuis formosam valdè, renueret, & filia domini *Iohannis*, tunc Regis Ierusalem, reciperet in vxorem. Qui dolosâ calliditate non visâ, illius affinitatem contraxit, executioni mandans consilium inconsultum: fuitq; per eosdem Barones denique dictus *Io.* de Constantinopolitano Imperio coronatus. Ex præmissis autem Exagorarum Imperator quam plurimùm prouocatus, filiam suam in coniugem dedit Imperatori Græcorum, partium Orientis, qui ambo tali affinitate coniuncti contra Balduinum & Venetos terrâ mariq; exercitibus præparatis, deuictisq; eorundem Balduini & Venetorum vrbibus propè in ibi, & ferè fortilitiis vniuersis, ei solùm vrbis Constantinopolis mœnia remanserunt: quem & tam diu generis huius afflixerunt, vt filium suum, *Philippum* nomine, quibusdam burgensibus Constantinopolitanis coactus fuit, pro certa quantitate pecuniæ obligare: qui dictum puerulum, securioris custodiæ causâ, Venetias postmodum transmiserunt: & nonnulla palatia sua, plumbo cooperta nobiliter ab antiquo, discooperire, & plumbi vendere cooperturam, & alia plura agere, vt viuere posset, Augustæ inconuenientia dignitati. Prædicti verò Veneti, toto dicto tempore quo Imperator idem Balduinus tantæ paupertatis, & hostilium incursuum pressus iacebat ærumnis, prædictam ciuitatem, expensis & stipendiis tantum ipsorum propriis, vsq; ad ipsius perditionem ciuitatis, tum proprio interesse, cum intuitu huius amicitiæ defensarunt. Perditâ verò Constantinopoli, Veneti per xxx. annos & vltrà, ad recuperationem ipsius fideliter laborarunt: super hoc requirentes solicitè quasi omnes Reges & Principes Occidentis, specialitet *Alfonsum* Regem Castellæ, cum quo nihil extitit executioni mandatum. Tandem cum Siciliæ Rege *Karolo primo*, super hoc societatem fecerunt, & ligam: qui propter amissionem Siciliæ intendere non potuit ad prædicta. Nouissimè verò cum Comite *Karolo de Valois*, societatem fecerũt, propter mortem vxoris, ad quam Imperii hereditas pertinebat: sed parùm aut nihil ex hoc extitit adimpletum, quamuis iidem Veneti interim, nunc soli, nunc sociati, ad recuperandum dictum Imperium, prædictis Græcis, pluries guerram mouerint atque bellum. Ex prædictis itaq; apparet affectuosum amorem inter *Theotonicos* & *Gallicos*, qui in prædicto fuerunt Passagio, eorumq; heredes ac *Venetos* extitisse contractum. Conuenienter igitur gentes maritimæ Alamaniæ superiùs memoratæ, possent per terram venire Venetias, & cum Venetis transfretare. Et si aliquæ gentes debent simul benefacere, debent Alamani cum Venetis, cùm multi eorum Venetiis cõuersentur, & in armatis Venetorum sumantur, & benè se habeant, multique Venetiis cum vxoribus & filiis commorentur. In gente verò prædicta, scilicet Theotonica aliquid corrigendum reperio, quia cùm ipsi sint magni comestores, vtpote de regione frigida oriundi, timendum cauendumq; foret, si ad calidam venerint regionem. Vlteriùs, propter magnam deuotionem, grandemq; voluntatem transfretandi quam habent, & quia sunt homines ad hoc apti, possent in tanta multitudine transfretare, vt in ipsis cupido aliqua insurgeret dominandi, ex quo posset scandalum non modicum suboriri, præcipuè cum *Veneti velint socios, & non dominos* obtinere. Verùm Capitaneus generalis, dante DEO, erit probus & sapiens, cum maturo consilio poterit in prædictis remedium debitum adhibere.

* *Hanc autẽ offensam, cuiusmodi offensa ideirò in præsenti opere noluit explicare, quia ad huius operis materiam non spectabat. Verum considerans quod ex hoc aliquod bonum exemplum posset posteris exhiberi, cogitauit vt negotii series in libri huius margine scriberetur. Fuit itaq; inter Constantinopolitano Imperio, quidam Baro magnus & Nobilis, cuius antecessores fuerant de Burgundia oriundi, hic cuius dexteram nobilis & magnæ filiam adnodum speciosam sponsauerat, promittens & volens eam firmiter recipere in vxorem. Imperator vero Constantinopolitanus Henricus nomine, frater Balduini imperatoris, vt iuuenis temerarius videns ciuitatem vacuam ciuibus, eam inuasit, omnibus grauia inferendo. Hic idem mater tractauit vt filiam sibi in matrimonio copularet. Mater autem quodam materno affectu, volens potius Imperatorem generum, quàm Baronem, Imperatoris voluntatem complexit. Baro autem ex hoc prouocatus, non modicum, nocturno tempore cum parentibus & amicis violenter in Cæsaris palatium introiuit, eiusdemq; socrum cepit, & vt mari fecit submergi, ac Imperatricem nasi proprietate mutilauit. Ecce quàm paruus ignis, quam magnam sylua incendit! Ecce quam ob causam, Henrico mortuo, nulla de tanto excessu facta fuit iustitia, vel vindicta. Balduino eandem in Imperio succedente, Barones qui in talibus consenserant, non immeritò timuerunt. Et sic postea fuerunt prætacta negotia, vt in præsenti opere est descriptum.*

CAP. XIX.

De crucis prædicatione: de variis generibus hominum armatorum, quibus exercitus indiget supradictus, ad dictam terram Ægyptiacam conquirendam.

XIX. ET cùm prædicta gens per Sanctã stipendiata Ecclesiam, terrã capiet in Ægypti maritima, & habebit habitaculũ in prędicta, ac tenebit illum stilũ & ordinem, qui superiùs continentur, eritque pro muniendo se, tam de victualibus & naugio, quàm aliis dictæ genti armigeræ oportunis, tam pro eis, quàm pro alia gente magna quæ ventura foret ad subsidium supradictæ: tunc temporis vestra poterit Sanctitas vniuersis CHRISTI fidelibus, qui habitant in mundi climatibus vniuersis cum solemnitate maxima Crucem facere prædicari. Verum tamen interim, si vestræ Beatitudini complaceret, bonum esset & vtile quòd in ista Crucis prædicatione, iste stylus teneretur & ordo: vt per omnem viam bonam & modum, totum & quicquid in recuperando pecuniam posset tractari, fieret absq; longa temporis tarditate, tam à Principibus & Baronibus, quam à communitatibus ciuitatum: quanquam etiam à personis singulis exigendum, præsertim ab illis, qui vsi fuerunt bonis Ecclesiæ & vtuntur, suntq; similiter pro vtendo, tam Clerici quàm Layci, si qui forent ad hoc Sanctum negotium exequendum. Et ratio ista patet: quoniam si homines Crucesignati deberent, vt est dictum, ad Ægypti maritimam transfretare, nequaquam sufficerent ad ipsa exequenda, quæ fieri oporteret in Passagio antedicto. Quoniam in præfato passagio *comiti & naucleriꝰ* in magno numero necessarii sunt habendi, quarum alii per aquam dulcem, aliique per salsam bene noscant naugium ducere, ac prouidè gubernare. Quod quidem naugium *remigibus* eget in magno numero sibi aptis: cùm remigare sit quidam actus, siue exercitium laboriosum, per quod remigatores laborem quasi intollerabilem patiuntur. Vndè nullus ad talem laborẽ assumptus, posset illum sustinere, nisi ei solueretur omninò ad illud solùm recepto exercitium & electo. Exigitur etiam ibi esse *balistariorum* bonorum numerus valdè magnus: licet inter bonos & minus bonos, magna prærogatiua & differentia cognoscatur: quoniam boni balistarii balistas tendunt fortes, & longè iaciunt spicula siue tela, & inferunt magnos ictus, & impetuosè feriũt & vulnerant & occidunt, tarò frustrà iacula facientes, ex quibus ictibus pauorem inimicis inferunt & terrorem. Balistarii verò imbeciles & non docti, totum contrarium faciunt: nam non possunt tendere balistas nisi debiles, & perdunt spicula, & si eos ferire contingat, ictus faciunt debiles, de quibus aduersarii reddũtur intrepidi, & vigorem suscipiunt, & contra tales insurgunt audaciùs. Et idem posset de *lanceariis*, & *iaculatoribus* dici quasi. Eget adhuc dictus exercitus, vt est dictum, multarum *arcuum operatoribus* & magistris, qui haberi non possent, nisi pecuniã mediante, eò quòd sunt gentes pauperes; nec essent ex eis, qui, licet vellent, acciperent signum Crucis ob penuriam supradictam, & quamuis forent ex eis aliqui, non tamen essent in tanto numero, quanto dictus exercitus indigeret: ex quibus omnibus hominibus prælibatis necessarium esset valdè quòd aliqua certa pars ad terram fodendum optimè forent apti. *Ex equitibus* meditandum est taliter & credendum, quòd multi ex eis nobiles atq; probi pro assumẽdo Crucis signaculo apti forent, ac pro veniendo ad negotium supradictum. Sed pro certo eis imponi non posset rationabiliter talis ordo, pro mandatis Capitaneorum exercitus adimplendis, qualis si essent ad Ecclesiæ stipendium deputati. Et non solùm in hiis nobilibus accideret quod est dictum; sed etiam in ignobilibus dictæ gentis: cùm gentes Crucis signaculum assumentes, ad suæ libitum voluntatis, itinetis & regressus libertate sedulà poriantur. Vndè reuerenter loquor & recordor vestræ Sanctissimæ Pietati, quòd si quis vellet Crucem assumere, & transfretare propriis sumptibus, mihi vtilius videretur quòd illud quod ipse posset expendere personaliter cum exercitu Ecclesiæ transfretando, dare Ecclesiæ, seu illi, qui ad hoc esset per Ecclesiam deputatus, vt indè stipendiarios soldicaret: concedendo sibi propterea illã indulgẽtiam, quæ vestræ videretur Beatitudini cõcedenda: nam *soldati* meliùs mandatis Capitanei attẽdent & obedient, quàm Crucesignati. Nã si Capitaneus fuerit circũspectus, & vt creditur, & ordinatus, & gens sibi commissa obediẽs fuerit siue gẽtes impossibile quasi erit, quòd eius intentio & propositum sinistretur. Et quando gentes sibi

com-

commissæ, vel pars ipsarum obedientiam non seruarent, facilè posset inobedientia talium sinistrum non modicum & periculum generare. Prouideat ergò indè prouidentia vestra, sicut nouerit prouidendum.

CAP. XX.

De numero hominum, quo eget vnaquæq; galea vt ipsa congruè muniatur: ac eiusdem officiis, misteriis, tempore, stipendio: & de sumptu victus ac stipendio CCC. equitum. Rubrica.

SVnt autem necessarii ad vnam galeam congruè muniendam CCL. homines, XX.
qui per tale, vt narrabo, stipendium & officium sint diuisi. Primò, indiget quælibet galearum *vno Comite*, cui omni mense XV. soldi grossorum rationabiliter conferuntur. Secundò, indiget octo *nauclerijs*, quorum quilibet septem soldos grossorum & dimidium recipiat omni mense: qui omnes ascendunt ad numerum LX. sol. grossorum. Tertiò, expedit, quòd in qualibet prædictarum foret semper vnus *marangonus*, & vnus similiter *calefatus*: sed propter necessitatem & vtilitatem exercitus, recipiendi sunt duo marangoni ac duo etiam calefati, pro qualibet galearum: pro stipendio supradicto dictorum naucleriorum, qui mense quolibet ascendunt ad soldorum grossorum, triceſimum numerum Venetorum. Quartò, expedit, quòd in qualibet galearum duo resideant *scribani*, qui distribuant dictũ victum, loco & tempore, dictæ genti quæ fuerit in galea: ac alios duos *scribas*, qui arma custodiant, & conferant cuilibet dictæ gentis: pro stipendio, septem soldos grossorum & dimidii, qui numerum soldorum XXX. grossorum perficiunt omni mense: Qui quidem Comitus, nauclerij, cæteriq; scribani, marangoni, ac etiam calefati, nullum aliud lucrum præter stipendium quod suscipiunt facere valeant, vel per se vel per alios facere fieri in galea, nec aliquem trabutare vllo modo vel ingenio, ex pacto expresso supradictum stipendium assequentes, sub pœna omnium suorum bonorum, & similiter personarum. Quintò, expedit, quòd in qualibet galearum, *coquinator* vnus pro soldis grossorum quatuor omni mense, causâ coquinandi die qualibet, genti dictæ galeæ, in qua fuerit collocatus. Sextò, quòd sint ibi *baliſtarij* L. quorum quilibet quinq; soldos grossorum recipiat omni mense: qui numerum CCL. soldorum grossorum perficiunt omni mense. Inter quos sint quatuor tubatores, tibiciines, tibiatores, & qui sciant *nacharas* pulsare, tympana siue tamburla. Ac sit ibi etiam quidam alter ex hominibus prælibatis, qui teneatur dictæ galeæ remos erigere & aptare. Septimò, expedit quòd sint ibi decem *portoladi* ad bancha pupis cuiuslibet galearum, pro soldis sex grossorum, quilibet omni mense: qui summatim soldi grossorum sunt LX. Octauò, expedit quòd ibi sint XX. *portoladi*, qui ad bancha sequentia pupis remigent, dum est locus, pro soldis quinque grossorum, quilibet omni mense: qui summatim sunt soldi centum grossorum. Nonò, quòd ibi sint XXX. *proderij*, pro quinque soldis grossorum quilibet omni mense: qui summatim sunt soldi grossorum Venetorum CL. Decimò, quòd ibi sint CXX. *remigatores*, omni mense pro soldis grossorum quatuor vnusquisque: qui summatim CCCCLXXX. soldi grossorum. Sunt indifferèter omnes CLXXX. inter portolados, proderios, atq; remiges, qui omnes remigare tenentur, dum mandatum receperint remigandi: ex quibus galea ex remis ad terzatolos erit benè & congruè communita. Vndecimò, expedit, quòd duo homines ad stipendium pro decem soldis grossorum, & dimidio, mense quolibet ad libitum Capitanei vel domini armatæ prædictæ; similiter admittantur pro illo negotio exequendo, quod magis vtile & necessarium pro exercitu fuerit faciendum. Summa per totũ gentis, qui ad galeam expediunt muniendam, est CCL. hominũ, vt est dictum: qui pro stipẽdio antedicto volunt LX. libras Venetorum grossorũ, mense quolibet, absq; victu. Ascendit stipendium quod hominibus vnius galeæ pro XII. mensibus erogatur, ad illum numerum, quantus inferiùs ostenditur. In primis debet recipere Comitus grossorum libras IX. Item naucleriı octo, debẽt habere libras XXXVI. Item scribæ quatuor, libras XVIII. Item marangoni duo, libras IX. Item calefati duo, libras IX. Item coquinator vnus, soldos grossorum XLVIII. Item baliſtarii L. libras CL. Item portoladi decem, libras XXXVI. Item portoladi XX. libras LX. grossorum. Item proderii XXX. libras XC. Item remiges CXX. libras CCLXXXVIII. Item duò homines ad

beneplacitum Capitanei vel domini, libras XII. & ſoldos XII. groſſorum debent præcipere. Summa per totum ſtipendium prædictæ galeæ, eſt DCCXX. librarum groſſorum, pro XII. menſibus, abſq; victu, quæ valent VII. M. CC. florenos: duos ſoldos groſſorum quemlibet computando.

De ſtipendio decem galearum pro vno menſe, & numero gentis, qui fuerit in prædictis. Rubrica.

Comiti X. ſeptem libras & dimidiam groſſorum exigunt pro vnico ſolo menſe. *Nauclerij* LXXX. libras groſſorum XXX. Item XL. *ſcribæ*, libras XV. Item *marangoni* XX. libras VII. & dimidiam. *Calefati* XX. libras VII. & dimidiam. *Coquinatores* decem, ſoldos groſſorum XL. *Baliſtarij* VC. libras CXXV. *Portoladi* C. libras XXX. groſſorum. *Portoladi* CC. libras L. groſſorum. *Proderij* CCC. libras LXXV. *Remiges* M.CC. libras CCXL. *Homines viginti*, qui ſciant ingenia conſtruere, vel aliud facere ad libitum Capitanei, libras X. & dimidiam exigunt omni menſe. Summa omnium prædictorum eſt IIC. librarum abſq; victu, quæ aureorum valent VI. M. florenorum, vt dictum eſt.

De ſtipendio quod datur, pro XII. menſibus hominibus, qui in decem galeis fuerint ſupradictis.

ITaq; ex præcedenti oſtenditur ratione, quòd omnes homines antedicti pro XII. menſibus ſummatim libras groſſorum conſtant VII. M. & CC. quæ aureorum valent LXXII. M. florenorum.

De ſtipendio quod hominibus LX. *galearum pro vno menſe ſolummodo erogatur.*

DAntur itaque XLV. libræ groſſorum *Comiti* L. X. *Naucleriis*, CCCCLXXX. libræ CLXXX. *Scribis* CCXL. nonaginta libræ. *Marangonis* CCXX. & *calefatis* totidem, libræ XC. *Coquinatoribus* LX. libræ XII. tribuuntur. *Baliſtariorum* tribus milibus, libræ VII. C. & L. *Portoladis* primis, libræ CLXXX. groſſorū. *Portoladis* M.CC. libræ CCC. *Proderiis* M. VIII C. libræ CCCCL. *Remigatorum* VII. M. & CC. libræ M. CCCCXL. groſſorum conferuntur pro vnico ſolo menſe, & ſuprafcripti ex omnibus, vt dictum eſt. *Homines* CCXX. qui ſint pro magiſtris, vel pro alio, ad id quod complaceret Capitaneo deputatis, ad hoc perficiendum negotium, exigunt LXII. libras groſſorum, percipiendo, vt dictum eſt, decem ſoldos & dimidium groſſorum in menſe, pro quolibet, vnuſquiſq; vnus aliũ adiuuando. Numerus hominum LX. prædictarum galearum eſt in ſumma XV. M. talium & qualium pugnatorum. Summa omnium prædictorum eſt, quod exigunt omni menſe libras groſſorum III. M. & VI. C. quæ aureorum valẽt XXXVI. M. florenorum, ſoldos duos groſſorum ſingulum computando, vt dictum eſt.

De ſtipendio quod datur pro XII. *menſibus hominibus, qui fuerint in ſupradictis* LX. *galeis.*

EX ſuprafcripta igitur ratione oſtenditur euidenter, quòd ſtipendium XII. menſium, quod LX. galearum eſt hominibus conferendum, in ſumma eſt librarum groſſorum XLIII. M. & CC. quæ aureorum valent CCCCXXXII. M. florenorũ, vt ſuperiùs eſt oſtenſum. Qui quidem homines antedicti, prædictarum omnium galearum, ex ſoldo CXX. libris groſſorum, qualibet die conſtant: quæ M. CC. florenos aureos quippe valent.

De ſtipendio CCC. equitum & eorum famulis.

TRecenti equites, habentes duos famulos pro quolibet ex prædictis, qui pro armis congruè ſint inſtructi, ad rationem ſoldorum CCCC. groſſorum, quilibet cum famulis antedictis: qui CCCC. ſoldi groſſorum, CC. de auro florẽi ſunt numero computati: non habendo reſtaurationem equorum, niſi in equitatione contingeret, vel in naufragio ipſos mori. Pro menſibus XII. librarum groſſorum VI. M. exigerent ſibi danda: quæ quidem numerum LX. M. florenorum perficiunt, qui dicti equites ſummatim menſe quolibet cum ſuis famulis exigunt VC. libras groſſorum, quæ valent de auro V. M. florenos. Oſtenditur igitur ex prædictis quòd

præfati

præfati equites, XVI. libris, & ſoldis XIII. & denariis quatuor groſſorum, die qualibet deconſtabunt: quæ valent CLXVI. florenos & groſſos XVI. ex hiis, qui ſuperiùs nominati ſunt. Vndè verificè dici poteſt, quòd quilibet ex militibus antedictis cum famulis, de quibus fecimus ſuperiùs mentionem XIII. groſſis, & IIIC. Venetorum, die qualibet deconſtabit. Conſtabunt per totum annum prædicta XV. milia talium & qualium pugnatorum cum CCC. militibus prælibatis & famulis prædictorum librarum groſſorum XLVIII. M. & CC. quæ ſunt de auro CCCCXCII. floreni: ſoldos duos florenũ quemlibet computando. Eſt itaq; vtile ac neceſſarium dictæ gẽti armigeræ ad cautelam ſui ipſius, quòd aliquis vel aliqui ex *prælatis, clericis ſecularibus, fratribus prædicatoribus, minoribus*, ac *heremitis*, & *fratribus Carmelitanis*, atque aliis alicuius alterius ordinis, vt dictum eſt, eſſent in dicto exercitu vel armata vt videretur placere veſtræ prouidentiæ Sanctitatis, vſq; ad numerum centeſimum ex omnibus antedictis, qui victum perciperent, vt de aliis eſt narratum: quorum quidem omnium prædictorum helemoſinæ & oblationes, ſibi à populo conferendæ, pro ſtipendio computentur. Ita quòd ſummatim per totum totius librationis victus XVI. M. librationum totius prædictæ gentis ipſi victus & librationes conſtãt: vt in capitulo de conferendis vel diſtribuendis victualibus eſt dictum, ad XII. groſſos ſinguli ex prædictis DCCC. libris groſſorum: quæ ſunt de auro VIII. M. florenꝰ. Summa per totum annum hæc eſt, quoniam conſtant omnes librarum groſſorum IX. M. & DC. quæ ſunt de auro XCVI. M. floren. Summa pro toto ſtipendio atq; dictis hominibus diſpenſando per XII. menſes tantum hæc eſt, quoniam gens præfata librarum conſtat groſſorum LVIII. M. & etiam octingentis; quę ſunt de auro VC. & nonaginta quatuor milia flor. Eſtq; nihilominus prævidẽdum, qui homines ex numero dictæ gentis ſcient facere quòd ad fodiendum terram fuerit oportunũ, quiq; etiam tenebuntur. Nam vt boni valeant reperiri, exiget ex prædictis vltrà antedictum ſtipendium quilibet omni menſe groſſos XII. pro minoti: qui pauciores M. minimè eſſe debent, & ſciant benè fodere, vt eſt dictum. Ita quod ipſi conſtant in anno, libris groſſorum VIC. quæ ſunt de auro VI. M. floren. Item pro victu vel libratione *hordei* dandi *equis*, quorum quilibet debet habere ſextaria quatuor prædicti hordei, omni menſe, quæ vna ſalma & tertia de Apulia ſunt: quæ aſcendunt ad numerum quatuor M. & DCCC. ſalmarum, quæ ad rationabile precium conſtabunt IV. M. & VIIIC. floren. de auro, empto vno floreno de auro qualibet prædictarum, & in Ægypti maritima portata finaliter & conducta. Itẽ *paleæ* quibus equi ſuperiùs nominati, & homines pro ſuis lecticis indigent faciendis: ac pro *lignis* in armata vel exercitu comburendis, habendo reſpectum ad homines & nauigium armatæ, quos habet Capitaneus antedictæ, cauſa mittendi pro dictis paleis atque lignis, conſtabunt de auro III. M. & CC. flor. Item prouiſiones quæ faciendæ aliquibus de armata præfata à domino Capitaneo videbuntur, in anno conſtabunt de auro II. M. florenis. Summa ſummarum hæc eſt, quoniam omnia ſupradicta ſeriatim, vt ſuperiùs eſt narratum, conſtabunt de auro DC. M. florenis, quiq; ſumma librarum ſunt LX. M. Venetorum groſſorum, abiq; prouiſione Capitanei, quæ talis erit qualis veſtræ placuerit Sanctitati.

CAP. XXI.

De quibuſdam declarationibus, & commemorationibus, ac ſupradicta armata ordinibus & cautelis. Rubrica.

ET quanquam facta ſit mentio in capitulo præcedenti de armata LX. galeatum, non tamen intelligendum eſt, quòd gens armatæ præfatæ in eiſdem LX. debeat collocari; ſed in L. ſi ad *terzarolos* pro conſilio capietur, quod galeæ ſolummodo fulciantur. Et ex reſiduo dictæ gentis, tam peditum quam equitum, debeat inerme nauigium, quod dictum eſt in XII. capitulo communiri. Cæterùm ſi caperetur pro conſilio quòd galeæ armarentur remis ad quatuor pro banco, quod aliquando eſt probatum, & laudabile poteſt eſſe, vt eſt dictum, conſulendum eſt, ac etiam faciendum quòd prædicta gens tota in XL. galeis, & prædicto nauigio non munito decenter poneretur: hoc eſt, quòd prædictæ galeę XX. ex magnis, ex magna forma, portabũt & regent benè vltra homines CCCC. aliæq; ex media forma galeæ XV. portabunt & regent benè CCC. homines: aliæq; galeę minores quinq; portabunt & re- XXI.

gent à CCLX. hominibus, vsq; ad CCLXX. rationabiliter. Quarum quælibet galearum pro minori CC. habebit remiges & XX. stando pro banco quolibet remiges quatuor ex prædictis: ac ex huis aliquos dimittendo, vbi fuerint dimittendi. Et quia in parte superiori facta est mentio solùm de XII. mensibus anni, & non quinq; diebus & quarta, tam de stipendio quam de victu, ratio est ista. Primò, quia victus positus est ad tam rationabile precium atq; magnum, quòd prædicti XII. menses, taliter ordinati pro toto anno possunt sufficere habundanter. Alia ratio de stipendio est ista: quia cùm cõmune Venetiarum eisdem stipendiaris XXX. dierum computet omnẽ mensem, nihilominus speciales homines, qui Venetiis armant ex pacto expresso, ex XXX-III. diebus faciunt omnem mẽsem. Et si dicti armatores vltra suum terminum per duos dies steterint aut tres, non soluunt ex huis duobus diebus aut tribus, stipendiariis prælibatis: & similiter agit commune Venetiarum in hac parte. Et idcircò habendo respectum, quòd stipendiarii supradicti Sanctæ matris Ecclesiæ, non solùm per menses eidem sunt necessarii, sed etiam per annos, quoniam si ad rationem stipendii XII. menses pro vno anno poterunt in hoc Sancto computari obsequio, computabuntur si vestræ videbitur Sanctitati: quamuis in beneplacito Capitanei semper consistet licentiare homines, & tenere, vt suæ placuerit voluntati. Quoniam, faciendo comparationem, *homo rixator in exercitu* in quo fuerit, est tam reus, quemadmodum vnus proditor: quia vnus rixator totum exercitũ subitò potest subuertere, & ad nihilum provocare: super quo decet Capitaneũ supradictum magnam habere prouidentiam & cautelam. Est præterea quoq; notandum, quòd dum armata cessauerit ab Occidẽte, & arripuerit sibi iter, oportet per multos menses hominibus stipendium erogare, vt de propriis domibus trahi possint melius & haberi, & vt ex toto, quod eis pro præsenti tempore necessarium fuerit & futuro, valeant se fulciri: recipiendo de pecunia cõferenda, illam securitatem videlicet & cautelam, quæ haberi possent à recipientibus & requiri. Postmodum verò, de mẽse in mensem succursum præbendo prædictis, donec in Ægypti maritima collocati fuerint ordinatè. Quibus postmodum completo stipendio prædictorũ, poterit dari continuò dictum stipendiũ de tertio in tertiũ mensem: faciendo non solum inquisitionem generalem quotidiè omni mẽse, sed etiam specialem, prout in ligno munito nocte qualibet fieri consueuit. In qua quidem inquisitione, ea pœna deficientibus inferatur, quæ videretur eisdem hominibus conuenire.

Prædicti CXX. homines, qui debent esse ad beneplacitum Capitanei, debent esse ita diuisi, si placuerit supradicto. Rubr.

Primò duo *Admirati*. Secundò, sex *probi homines* à quibus consulatur eidem. Tertiò, quatuor *Masarij*, qui præsint victui vel scribanis. Quartò, duo *sepraſtantes*, vel super sedẽtes armis. Quintò tres *Medici Physici*, & totidem *Chirurgici*. Sextò, quinque magistri *prothi*, & *ingeniarij marangones*. Septimò, quatuor *fabri* magistri prothi. Octauò, duodecim magistri ad faciendum *falsadoria* atq; tela. Nonò, quinq; *corazarij*, & etiam qui sciant facere arma capitis. Decimò, quindecim magistri prothi *remarij*, qui sint deputati non solùm ad remos, sed etiam ad faciendum astas lancearum, & dardorum, & aliorum quæ forent necessaria in prædicto exercitu, pertinẽtia ad officium eorundem. Vndecimò, decem *taciſores lapidum* viuorum, tam pro faciẽdis caueis subterraneis, quàm aprandis lapicidibus ad machinas oportunis, & cæteris quæ dicto exercitui essent oportuna. Duodecimò, decem magistri *ad faciendum baliſtas*, qui sint ex melioribus, qui poterũt reperiri. Tertiodecimò, XX. homines tubatores, tybicines, tybiatores, & qui sciant *nacharas* pulsare, tympana & tamburla, & aliqua alia genera dulcia mulicorum, vt sunt *violæ, cytharæ & rotæ*, vt magis vtile videretur. Summæ verò residuum, vltra centum est XX. homines, vt est dictum, qui ad alia deputentur, vel prædictis huis centum hominibus famulentur. Et cum facta sit solùmodò mentio, de dispensando & conferendo de XVI. M. libris rationum in capitulo præcedenti, habẽda est tamen præuisio, quoniam appropinquante vel prætereunte anno postquã hæc supradicta gens in Ægypti maritima, terrã ceperit, & ibi fuerit collocata, diuersarũ illuc concurrent gentiũ nationes causã inhabitandi proximus partẽ illã, præcipuè tamen quia de victu vel liberatione sibi non dubitant subueniri, & ex residuo & misterio suo ducere vitã suam: qui omnes vtiles, & necessarii valdè essent, tam pro custodia fortilitiorũ faciẽda, quam etiam pro seruitiis impen-

impendendis hominibus exercitus antedicti; & ex his omnibus quæ ipsi exercitui necessaria & vtilia viderentur. Et per hunc modum gens stipendiata, quasi tota, vel magna pars, in nauigio stare poterit, ad damna & detrimentum hostibus inferenda, & ad custodiam maris, fluminum, ac etiam stagnorum. Demum vestræ prouidentiæ sanctitatis respiciet quid fuerit peragendum, committendo vestro Capitaneo, quæ super his & aliis peragendis, vestræ placuerit sanctitati.

CAP. XXII.

De Industria faciendi arma: & potissimè de construendis machinis & balistis; quæ alongè machinent & balistent: ac de industria & cautela perficiendi totum quod spectare dignoscitur ad prædictas. Rubrica.

ET cùm generaliter & particulariter specificatum sit superius & narratum, quæ gens est in hoc Sancto negotio oportuna; & quicquid est in prædicto nauigio exigendum; & de armis aliquid dictum fuerit similiter, quæ sunt necessaria in prædicto: licet non tantum ad plenum quantum mihi videtur fore dicendum: Idcircò aliquid tangam, quam potero breuiter de prædictis, cum aliquorum ingeniatorũ consilio sapientum: nihilominus quicquid dixero cum emendatione solertium prædicti exercitus enarrabo: & incipiam isto modo. Primùm quòd *arma defensibilia* leuia decet esse, vt in eis homines bene valeant se iuuare, & etiam quòd defensibilia sint in tantum in quantum fieri poterunt supradicta. Secundùm, quòd arma quæ deputata fuerint ad *lædendum*, talia similiter fore debent, quibus vti bene & habiliter valeant pugnatores. Et licet in prædicto negotio duo sint armorum offendibilium genera oportuna, scilicet ad feriendum cum talio siue puncta, vt superius est expressum: tamen maius inferunt periculum inimicis magisque nocent etiam antedictis, quæ cum punctis fuerint ad feriendum propriè deputata, quàm illa quæ ad abscidendum sunt absque punctis: quibus duobus sapientes dicti exercitus vti præcipient bellatores, quæ pro gente armatæ prædictæ sibi magis vtilia videbuntur. Cæterùm; præ cæteris est memoriæ commendandum, quòd ex longinquo offendere suos hostes, rursus est hostibus forsibus, quàm eos offendere de propinquo. Et ideò vtile comprobatur, quòd omnes maneries tam machinarum quam balistarum grossarum, quæque etiam aliarum fiant lontanariæ, atque tales quæ in tantum à longè trahant, in quantum ad trahendum longiùs fieri poterunt supradictæ. Circa quod exequendum, multùm decet ingeniatores & sapientes exercitus antedicti, acuere mentem suam: quoniam si sagittamen tam lapidum, machinarum, quàm telorum longiùs trahitur, quàm sagittamen hostium sagittetur, reuera dici potest, quòd illa pars, cuius longiùs trahitur sagittamen, ab altera prærogatiuam obtinet valdè magnam. Nam si Christianorum sagittamen, peruenire poterit ad exercitum Paganorum, quorum sagittamen peruenire non poterit ad exercitum Christianum, potrò dici potest, quòd ex hoc Christiani victoriam reportarent, vel terram & plateam obtinerent continuò super hostes. Et si quis argueret hoc modo, Infideles trahent se anteriùs, & taliter exercebunt, quòd sagittamen suum gentem fidelem exercitus *fautiabit*: Huic argumentationi potest taliter responderi, quòd ex hoc semper prærogatiua aliqua remanet Christianis, quoniam multò majores erunt ictus quos sagittamen machinarum inferet ac balistarum fidelium IESV CHRISTI, quam sagittamen infidelium prædictorum, qui non erunt à Christiano exercitu tam longinqui. Ex quo faciendum est, vt superius est expressum, totum & quicquid fieri potest, pro habendis bonis ingeniatoribus, ac bono lignamine & perfecto, præsertim ad faciendas pericas atque genas caplatum machinarum, arque balistarum arcus, pro hac prærogatiua penitus assequeda. Et ad hoc, vt quod superius est narratum ingeniatores præfati causam habeant melius faciendi, aliquod præambulam inchoabo. Et dicam prius de machina communi, ad hoc vt inter machinam communem, & machinam lontanariam, quæ sit differentia cognoscatur.

Ad communem machinam faciendam.

DEbent *coxæ* machinæ antedictæ tanto in *solis* fore amplæ, quanto alta est prædicta machina in *castello*, ac debet prædicta machina desubtus esse aperta

in ſoliis, inter duas coxas, tertiâ parte minus: hoc eſt, ſi prædicta machina altitudine XXIV. pedum extenditur in caſtello, altitudinem in ſoliis ſexdecim pedum debet prædicta machina poſſidere. Diuidunt magiſtri *perticam* machinæ ſupradictæ, à *fuſo* capſæ vſq; ad ſummitatem ſuprematn, per quintam & per ſextam: & ponitur fuſum prædicti caſtelli inter quintum & ſextum, videlicet, quòd ſi prædicta pertica eſt lõga longitudine XXX. pedum, à fuſo prædictæ capſæ, vſq; ad ſummitatem, quintum illud eſt ſex pedes, & illud ſextum ſuperiùs nominatum, quinque cernitur fore pedes. Qua de re, ponitur fuſum dicti caſtelli, à longè quinque pedibus & dimidio à fuſo capſæ ſuperiùs nominatæ.

De machina lontanaria conſtruenda. 10

DEbet poni prædictum fuſum caſtelli ſolùm ad quinque pedes perticæ, ſi erit pertica longitudine XXX. pedum: ſcilicet ad ſextum perticæ, menſurando à fuſo capſæ vſque ad ſummitatem perticæ. Et debet poni in hunc modum; videlicet, quòd lineetur pertica per medium, & à latere dictæ lineæ verſus latus *manuettæ* poni debet fuſum capſæ, tangendo ipſam lineam medii & ab alio latere tangendo ipſam eandem lineam medii fuſum caſtelli: debentque ſtringi latera *tibiarum* verſus fuſum machinæ ſupradictæ, ſuper quod recolligetur *mantum* pedibus duobus, aut plus aut minùs, ſecundùm quod machina foret maior ſiue minor, ad hoc vt fuſum magis deſubtus veniat, vt prædicta pertica 20 tantò magis veniat ponderata. Et debet fieri maior capſa, & longior quæ fieri poteſt à Magiſtris: quia quantò onus baſſius eſt, tantò ipſa melius ſuppinatur; & quantò ipſum eſt maius, tantò expellit amplius, ac etiam magis longè, & maius pondus: propter quod tantò debet fieri fortior machina ſupradicta, capſa, pertica atque fuſo. Ac debet eſſe in medio benè lumbata dicta pertica, & quaſi à parte anteriori abſcidens: ac capſa bonum debet habere gamelum, quod capſam impellat verſus exteriorem partem. Et quantò machina maior eſt, tanto eiicit maius onus, trahitque altiùs atq; longiùs antedictũ. Et quantò lapis altiùs trahitur atq; longiùs, tantò impetuoſiorẽ ictum infert penitus & maiorẽ. Et ſi quis vellet conſtruere machinã lontanariã, in nauigio poſſet facere ſolia ſuper latus, ac facere perticã ita magnã, quòd 30 ipſa vſq; ad ſuperfundum nauigii perueniret, & facere quòd canale ſuper fundũ dicti nauigii reſideret, & capſa veniret quaſi vſque ad canale. Quæ quidẽ machina tota, totumq; nauigium fortiſſimè debent fieri, quoniam ipſa proiiceret talem lapidẽ, & tam longè, quemadmodum faceret machina tam magna, vt exigeret talis pertica, in terra. Eſt præterea quoque ſciendum, quòd proiicere machinarum rectè & longum, & in conferendo eis pondus in lapidibus totum conſtat, vt requirit machinæ magnitudo, ac quantitas contrarii ponderis dictæ capſæ, & in faciendo lapides antedictos rotundos: ac etiam conſtat in ferro capitis perticæ, quod tenet *faccam caſolæ*, in faciendo ipſum retortum, ſecundùm quod homines volunt in altum 40 proiicere, ſiue longum. Pro quibus omnibus magiſtri & ingeniatores prædictæ armatæ acuent mentem ſuam vtentes machinis ſupradictis.

De baliſtis lontanariis faciendis.

AD faciendum *baliſtas*, tam de ligno lontanarias, quàm de cornu, boni magiſtri, bonumq; lignamen in talibus exiguntur: tamen quę perfectiores exiſtunt, inueniuntur de cornu, quæ conſtituuntur mediante collã de cornibus atque neruis. Quæ quidem baliſtæ de cornu, valent melius in contrata ſicca, quàm in humida: & baliſtant magis à longè, tempore frigido, quàm in calido: vt plurimùm eſt expertum. Arcus verò baliſtarum, de ligno fiunt, de quodam ligno quod *Naſſus* vulgariter appellatur: & melius quod valeat inueniri, in Inſula Corſica inuenitur, 50 quamuis in multis aliis partibus repertiatur de bono: quod verò lignum oportet abſcidi de nemore eo tempore, vt dictum eſt, de alio lignamine amputando. Si autem *arcus* baliſtarum de ligno, in longitudine protenduntur, & impedimenta ſint plicati, maiorem aſcenſum ſuſcipiunt, & expellunt vlteriùs tela ſua. Verùm ſemper intelligi debent hæc talia menſurate. Eſt enã vtile, cauſſa de longè baliſtandi, quòd ſint *cordæ* baliſtarum ſubtiles, in tantum quòd poſſint tenſionis, & extenſionis baliſtæ violentiam tollerare: vndè oporteat eas eſſe de bono canabi congruè labo-

laborato. Reſtat prętereà longinquũ trahere baliſtarum, in ſagittamine ſupradicto. Vndè oportunũ eſt quòd fiant *ferra* telorũ, ac *aſtæ* ſimiliter prædictorum, tales quæ conueniãt vnà ſimul & cõueniant, cũ baliſtis: nec non & oportet quòd aſtę dictorũ telorũ optimè impennentur, quoniã ipſæ pennæ multũ iuuant ad directè & longè propoſitum ſagittandi. De manubriis verò dictarum baliſtarum, quæ *teneria* nuncupantur, *nucibus* & *claubus* prædictarum modicum faciam mentionem: quoniam omnia quæ dicta ſunt ad perficiendum prædicta, bona & perfecta procul dubio eſſe debent, tam arcus baliſtarum, quàm alia quæ pertinent ad prædictas, ponendo bonum lignamen in opus, & miſerum comburendo. Expedit etiam dari tendentibus baliſtas validas *crocherum* bonorum auxilium & largorũ, pręſertim quòd à parte poſteriori ſint ampla crocha præfata, & quòd prædictas baliſtas tendentes vtantur prædictis crochis tam tendendo quàm etiam baliſtando: eò quòd conſuetudo magnum vim confert hominibus ad tendendum, quia vſus in naturam conuertitur, ſecundùm conſuetudinem approbatam. Cæterùm illas baliſtas tam corneas quàm ligneas oportet per baliſtarios cuſtodiri præcipuè à ſole, pluuia, & à vento, nec non & rore: & quòd ipſæ baliſtæ cooperiæ continuò teneantur, niſi in tantum in quantum ad operandas prædictas, dicti baliſtarii egerent obſequio prædictarum; & quod in nauigio quilibet baliſtator ſucco operta & loco baſſo, locum ſibi habeat deputatum, vbi quilibet baliſtam ſuam, dum commodè fieri poſſet ſuſpenſam teneat, vt eſt mos. Eſt prętereà quoq; ſciendum quòd validiores baliſtæ tenduntur cum duobus pedibus, quàm cum vno: & ſecuriùs eſt pro baliſta: & idcircò in loco vbi baliſtarii firmiter commorentur ad inſidias inferendas, tam in nauigio quàm in terra, in aliqua certa parte debent vti continuò baliſtis à duobus pedibus, & de aliis, vt de armis in octauo capitulo eſt narratum. Poteſt prætereà fieri quòd hæc eædem baliſtæ tela poſſent trahere quæ *muſchettæ* vulgariter appellantur: ſed rectæ baliſtæ quibus iſtæ muſchetæ propriè deputantur, ſunt baliſtæ, quæ *baliſtæ à pectoribus* nuncupantur: de quibus omnibus periti exercitus facient fieri, & præcipient eis vti quibus baliſtandi exercitum committentur, præcipuè illis, quæ pro Chriſtianorum armata magis vtiles videbuntur. Similiter & de aliis baliſtis groſſis facient illud idem, vt in prædicto octauo capitulo eſt narratum. Propter quod, ſanctiſſime Pater mi, benè Capitaneus Sanctæ matris Eccleſiæ debet ſtudere ſuper dictis ædificiis conſtruendis, tam machinis quàm baliſtis, cum eo toto quod ad ſuum officium indiget excquendum, & ſpecialiter pro faciẽdo eas lontanarias, vt eſt dictum: quia quando in illa parte fuerint, vbi dicta ędificia fuerint oportuna ad dictum officium peragendum, multum ab hoſtibus timebuntur, qui eorum terrore vel metu, eis plateam vel campum concedere compellentur.

CAP. XXIII.

In quo continetur qualiter ſtipendiarij Sanctæ matris Eccleſiæ, poſtquam terram in Ægypti maritima ceperint, antequam ad dictum locum perueniant homines Cruceſignati, poterũt cum eorum galeis & lignis, ſchiſmaticos & infideles affligere, ac ipſis inferre damna quàm plurima & iacturas. Rubrica, Rubrica.

CÆterum antequam homines Cruceſignati, vel quibus ſolutum fuerit ex recuperatis denariis Cruceſignatæ, prout in antedictis capitulis continetur, ad locum Ægypti ſe transferant ſupradictum, reuerenter ac humiliter cum fide & deuotione id exponere cupio ac commendare veſtræ Sanctiſſimæ pietati, quòd per præfatam gentẽ quæ ſtipendium receperit à Sancta Eccleſia ſupradicta, hoc eſt, ex xv. M. peditum & ccc. Sequitibus, qui ad Ægypti maritimam greſſi forent, ac cum illis qui erunt illorum cauſa, in illis fieri partibus poterit ſupradictis: ſcilicet quo cõtinuo poterunt galeas & vaſa lignea communire, quas ad cuſtodiam maritimarum terrarũ, quæ ſubditæ ſunt Soldano, poterunt deſtinare, ne ad præfatas terras vllum nauigiũ appropinquet: ac ad damna & infideliũ detrimenta morantiũ in maritimis antedictis, atq; aliorũ infidelium propinquorũ. Sed à prædicto anno in antea quo prædictą gẽs in prędicta Ægyptiorũ maritima caſtra metata fuerit, ac habitaculũ fecerit, vel aliquod fortilitiũ inexpugnabile in prædicta, in quo ſecurè cũ ſuo nauigio cõmorantes, adhuc xx. galeæ armatæ poterũt; & annuatim tẽpore cõgruo prędictas mittere foras extra exercitũ iã prædictũ; videlicet ab *Aprilis* medio vſq; ad *Octobris*

medii cõplementum: super quas galeas pro minori numero sint v. M. peditũ armatorum, ac CL. equites in prædictis, qui frequenter terras marinas visitent Soldano subditas & scrutentur; ac quoque aliorum infidelium propinquorum, vt Regis *Tunisii, Turcorum*, atque *Græcorum* schismaticorum, vt eis melius apparebit. Et ex hoc verificè dici potest, quòd, velut ferrum domat metalla omnia, molit procul dubio atque secat: Sic & istæ galeæ, vel prædictarum homines galearum, erunt vt domẽt, affligant atque conculcent prædictarum terrarum schismaticos, & cæteros infideles, qui extra ciuitatem vel castrum siue fortilitium poterunt inueniri. Et quòd id quod narratur fieri possit, ista est ratio assignanda: quoniam tales galeæ, vt esse poterunt supradictæ, effigiem venti gerunt; ac tempestati, & fulgori subitò venienti-bus, poterunt comparari, maximè terræmotui: cùm de galeis tam bene ad remos aptis paratisque, gente sollicitâ & sagace nemo possit citiùs noua ferre, quàm homines prædictarum, propter iter magnum quod facient nauigando. Nam dum infideles ipsas fore in Syria cogitabunt, se prædictæ inuenient in Turchia. Et certè dici potest, quòd *Mare, maius est nemus, quod in mundo valeat reperiri.* Nam dum prædicti homines qui super galeis fuerint iam prædictis, ad aliquam partem inuadendam, seu etiam transcurrendam volent & cupient subitò se transferre, infra tantum spatium, vt ita loquar, maris pelagus introibunt, quòd nequaquam ab inimicis fidei Christianæ detegi poterunt, donec sol fuerit in Occasu. Qui quidẽ homines pòst in nocte, habitâ in die terræ notitiâ, tali modo facient iter suum, quòd antequam noctis tenebræ totaliter euanescant, ad partem venient atque locum, quò proposuerint velle gradi, ibique descendent de galeis tam pedites quàm equites super terram vt eis immediatè videbitur faciendum: tali modo scilicet, quòd infideles prædicti, siue Græci schismatici, de prædictis nullatenus habuisse poterunt certa noua, facturi postmodum id cum armis, quod Deus iuxta eius gratiam voluerit erogare. Ac iterum esse potest, quòd dictæ galeæ nocte aliquã peruenirent ad scolium siue Insulam nauigantes, tam specialiter pro recentibus aquis habendis, quàm hac intentione vt maneant in absconso, vt perfidi Agareni vel schismatici villam possent habere linguam vel certitudinem de prædictis, vt exindè postmodum eis videbitur ad suum libitum voluntatis nocturno tempore ad terras infidelibus subditas transmearent, atque facerent per modum alium quo superiùs continetur. Ita quòd per has vias superiùs nominatas, aut per alias occultas, vt in factis armorum requiritur, & gens istarum galearum atque lignorum domabit, afficiet, & etiam conculcabit hyemali tempore ac æstiuo, taliter infideles dictarum maritimarum ac schismaticorum earũdemq; : quòd summâ necessitate ex illis terris marinis partem magnam exhabitare ac relinquere compellentur, aut ea facere, quæ vestræ placuerit Sanctitati: absque eo quod dictum est, & dici poterit atque fieri, quòd à gente vestræ Sanctissimæ pietatis transmissa per Ægyptiorum flumina atque alia nauigante, inferri poterit supradictis. Ita quòd, Diuinâ gratiâ fauorante, qui sitierunt & sitiunt sanguinem Christianum ipsius gladio necabuntur, ab altitudine superbiæ in humilitatis foueam declinantes. Ast qui ob suum schisma à Sancta Romana Ecclesia recesserunt, ipsius potentiâ & virtute ac ipsius gladio persequente, schisma suum penitus derelinquent, semitam veritatis, quam eorum prædecessores hoüerant, humiliter imitantes.

CAP. XXIV.

De quibusdam præuisionibus, ordinibus & cautelis, quæ sunt ad naualem exercitum oportuna. Rubrica.

XXIV. ESTQ; nihilominùs præsciendum, quòd inter hostiles exercitus, per marina æquora, in nauigiis transeuntes, ita fiunt *insidiæ*, quemadmodum inter terrestres exercitus fieri consueuerunt, qui quidem ex improuiso inuadentes terrent aduersarios, & de facili eos vincunt: & similiter fit in mari. Quoniam post aliquas Insulas seu punctas fiunt insidiæ, vt pugnatores marini ex improuiso in hostes subitò irruentes, faciliùs eos vincant propter quod oportet Capitaneum antedictũ semper antè exercitum duas habere galeas ex melioribus & velocioribus, aptis remis, pro itinere & regressu, vnã alteram præcedentem, quæ cunctas vadant detegendo Insulas ac punctas & scolia perscrutando: apud quas si quòd aduersum ex supradictis infi-

diis

diis inuenirent, secum teneant & habeant certa signa, quibus dictus exercitus vel armata, quæ facienda fuerint instruatur, vt præuidere sibi valeat & cauere. Et si accideret, quòd *exploratrices galeæ* dicti exercitus Christiani, galeis hostium obuiarent, quæ quidem in tanto numero viderentur, quòd per exercitum Christianũ possent hostiliter impugnari immediate: ipse Capitaneus fieri præcipiat certa signa per exercitum Christianum à suis exploratricibus signo habito & recepto, per quæ singuli ex prædicto exercitu cognoscant quid agendum sit, quidue similiter deuitandum: hoc est, quòd quilibet locum exigens propriè deputatum, tam à dextra parte, quam etiam à sinistra, gradiatur iuxta ordinem sibi à domino erogatum. Quorũ Capitaneus vel etiam *Admiratus*, aciem extensam ordinet, ad vel ad instar elypei, siue lunæ, aut per modum alium, vt sibi melius apparebit, præcipiens castra & arma bellica præparari, vt prædictorum vsus requirit & postulat ad prælium inchoandũ. Quibus paratis, & iusto ordine conseruatis, ipse Capitaneus antedictus, seu Admiratus exercitus antedicti, gentem suam quiete aduersus hostes, & suauiter precipiat remigare. Verumtamen si prædictus Capitaneus siue Admiratus præfatus, vellet extra dictam aciem relinquere cum vno *flendali*, quartum vel quintum numerum galearum, quæ postquam certamen fuerit vtriusque exercitus inchoatum, ab incauto rotare possint & aggredi galeas hostium prædictorũ, à pupibus vel à lateribus prædictarũ, aut præbere suis auxiliũ vbi magis extiterit oportunũ, facere potest hoc ad maiorem indulsiam & cautelam: quoniam in talibus quantò aliquid cautius agitur, tanto minus periculum tolleratur. Estque similiter quidam modus ad inuadendum aliter dictos hostes, videlicet quòd galeæ velis protensis, galeas hostium inuadant viriliter & audacter: quem modum, cùm periculosus existat, minimè vt fieret commendarem, nisi lucidissima prærogatiua & maxima videretur: quanquã aliqui iam fuerint exercitus qui ex modo præambulo obtinuissent pugnam, vt creditur, si ad certandũ taliter perrexissent: prout inter *Ianuenses* & *Venetos* in Armenia exiit apud *Achacium* manifestum. Nam pro maiori parte Venetorũ galeæ maximæ erant & fortissimæ, & etiam oneratæ ad impetum inferendum, bonumq; venum habentes de pelago veniebant. Galeæ verò Ianuensium prædictorum, minores & debiliores galeis suorum hostium existebant, quæ propè terram morantes tenebãt proras paratas vel *armizatas* in contrariũ dicti venti, atq; omnes vna simul *frenellatæ* inuicem & ligatæ; habebantq; pontes, quibus ab vna galearũ in alteram ire poterãt homines & redire. Eratq; modus alius pręliandi ad deprimendam per Venetos Ianuensiũ potentiã, & finaliter expugnandã, videlicet quòd Veneti antedicti, nisi eos nimia *festinantia* impulisset, quæ aliquando licet prosit, obest multũ in multoties antedicta, potuissent ex suis accipere aliquas galearũ, aut nauigia alierũ, in quas ignem potuissent imponere, & succensas ad proras galearũ hostium mittere supradictas: ob quã manerient seu modũ, oportebat dictum Ianuensiũ hostilem exercitũ diuidi, & finaliter separari propter quod artificii Venetis, Diuino iudicio non obstãte, Ianuenses debebant de iure succũbere, & cedere locũ pugnæ. Sed Veneti qui habebant circa vicesimũ octauũ numerum galearũ, dum assisteret inimicis, deposuerũt vela, prostrauerunt q; ea, & quasi minimè collegerunt, antequã ad hostes pergeret remigando, postmodumq; insultũ Ianuensibus intulerunt: propter quod quædã ex Venetorum galeis, ob ventum flantẽ vehementer, & mare quod ipsius cõmouebatur impulsu siue causã etiã vtriusq; recto aggressionis tramite ferientes latera proris galearum hostiũ, præbuerunt se opponentes inter galeas suorũ hostium, quæ xxii. erant numero cõputatæ, & vt iã diximus præparatæ, & suarũ reliquum galearũ. Ita quòd medietas earunde, nec suis conferre auxiliũ, nec hostibus dãnum inferre potuit, interpositis antedictis. Ex quo fuerunt Veneti, captâ maiori parte suarũ galearũ deiecti, & à Ianuensibus debellati, anno M. CCXCIII. mensis Martii. Per quæ quippe modũ, quasi simile, apud *Curfolã* in Sclauonia fuerũt expugnati Veneti supradicti: & non modò hæc, verùm etiã suis oculis in oppositum Solares radios assumpserunt, habẽdo *Ianuenses* prædicti circa sexagesimũ, *Veneti* verò, circa nonagesimũ numerũ galearũ: excepto q; Ianuensiũ prædictarũ cõrpora galearũ, Venetis erãt membra, & in eis gens in pluri numero collocata. Ad propositũ redeundo, dicimus, q; cauere debet Capitaneus, vel Admiratus exercitus antedicti, vt antequã cũ hostili exercitu plurimat prælium inchoare, cũ suis omnibus, præbeat tergа Soli, cuius radios suscipere p aspectũ magnũ præstat pugnantib. periculũ præliando. Nã hoc patuit per *Pysanos*, qui dum apud quendã locũ, qui *Meloria* dicitur, *Ianuenses* peterent debellandos, ob festinantiã

A. DE. 1293.

propugnandi & nimiam voluntatem, Solis radios non vitantes, qui eorum in pugna continuè oculos verberabant, ab hostibus deuicti fuerunt, & finaliter debellati. Vnde aperte videtur quòd Sol vna ex causis fuerit propter quam Pysani perdiderunt bellum; & Ianuenses terga Soli præbentes, lætam inde victoriam reportarunt.

A. Dn. 1282. Quod circa annum à Natiuitate Domini *Milleſimum, ducenteſimum & octuageſimum ſecundum* vel *tertium*, menſe Auguſti, aſſeritur accidiſſe: centibus Pyſanis galeis circa nonaginta, & Ianuenſibus circa centum. Prætereà eſt neceſſarium & vtile dictæ genti, quòd dictæ galeæ ſint tali modo & manerie *frenellatæ*, quod dum aduerſus hoſtiles proceſſerint pugnaturę, de facili ſtringant ſe inuicem & coniungant. Ita tamē quod gyrones mittant in frenella remiges prædictarum, ne aliqua ex galeis hoſtilibus, intra fidelium galearum aciem, ſe figere valeat vllo modo: fiatq; ex parte Capitanei antedicti, ſeu etiam Admirati, ſub priuatione vitæ præceptum, quòd caput pugnatorum cuiuslibet galearum, debeat mandatis Capitanei obedire; nec, quam diu certamē durauerit, & impoſitus fuerit ſibi finis, ceſſare audeat à prædicto. Et cuncti qui de prædicta armata docti fuerint exercitio baliſtandi, alii ad tendendum, alii ad ſagittandum, & alii de cæteris ad tegendum, prout vnuiſcuiuſque aptitudo requirit, ſint per ordinem deputati, ſecundum quòd melius & vtilius videretur: nec etiā ſibi à locis traditis & præfixis, bello nondum fine impoſito, ſub prędicta pœna ſe audeat abſentare. Item quòd in prædicto exercitu vel armata circa quatuor *ſtendalia* ſemper adſint pro parte Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deferēda, quæ galeis meliùs cōmunitis, prout videretur Capitaneo, conferantur. Qua quidem tunc temporis erigantur, cùm modus vnius exercitus aduerſus alterum accipitur feriendi: quoniam magis rutum eſt pro exercitu Chriſtiano, quàm ſi ad certandum iret præfatus cum vnico ſolo tantum. Et ſi caſus accideret quod infidelium vel ſchiſmaticorum exercitus in tanto foret numero, quòd ei obuiare nequiret exercitus Chriſtianus, ſi ipſe euaſerit, & fugam ceperit à facie ſupradicti, nulla ei verecundia imputatur: cùm in armorum exercitio, aliquando fugiendi, aliquando perſequendi, vſum talem requirat ſagacitas peritorum. Naim hoc agunt *Tartari*, qui magnam partem mundi hactenus vſurparunt. Ob quod oportet Capitaneum vel Admiratum exercitus Chriſtiani facere ſignum quoddam, ac in acie galearum ordinatè pergere, vt dictū eſt, præcipientes ſolummodo ſuper aggredientes ſuos vndiq; ſeparari, & præſertim baliſtarios totius exercitus Chriſtiani, vt ſuperuenientibus & appropinquantibus inimicis agant quod in tali fuerit negotio peragendum. Eſt prætereaq; ſciendum, quòd ſpicula euadentium ſeu tela, fugiendo ſauciant inimicos, quorum tela, fugiētes lædere nequeunt perſequendo. Ob quem modum, diuino remoto iudicio, rarò incurret periculum exercitus Chriſtianus, dummodo galeæ ita ſint idoneæ, vt eſt dictum. Qua de re ſi galeas noſtras inſequi contingeret galeas hoſtium prædictorum, habenda eſt præuiſio & cautela: ſcilicet, vt ex præfatis, leuiores à lateribus inſequentes, & ſe vrgentes, propinquiùs inimicis baliſtent, & præfatos ſaucient, vt eis meliùs apparebit. Eſtq; neceſſarium, vtile, atque bonum, quod quamdiu prædictus exercitus in nocte moraretur in mari, quælibet galearum vel vaſculum ex prædictis, ferat aliquod *ſuperſignum*, quale ſibi à dicto Capitaneo impendetur, vt ſi qua galea extranea vel vaſculum ligneum, dictum introiret exercitum, ab aliis cognoſcatur. Et ſi quā nocte armata in portu aliquo permaneret, ex dictæ armatæ galeis aliqua vel aliquæ in mari, non ente eo tempore procelloſo, debet vel debent ad totius armatæ cuſtodiam permanere: nec ob hoc, per aliquam galearum prædictæ armatæ bona eſt cuſtodia omittenda. Iterumque in die, dum in portu ſeu apud pūctam aliquam armata reſidet ſupradicta, eiuſdem Capitaneus generalis, ex dictis galeis ad cuſtodiam deputatis, cuſtodes debet mittere ſuper terram, quærentes ex propinquioribus locis & altioribus ſummitatem, vt mare diſcooperientes vndique atque terram, armatam ſuam clarè valeāt intueri: ad quā ſi gentem conſpicerent modo aliquo acceſſuram quæ armatæ obeſſe præſumerent antedictæ, galeis dictæ cuſtodiæ facerent certa ſigna, ob quæ præfatæ ad armatam ſubitò accedentes, deferant ipſa noua: vt non ſolùm dictorum ab incauto armata fidelium, ab aliquibus cuntibus vel tranſeuntibus offendatur, ſed etiam à prædicta offendi valeant inimici. Vnum tamen non eſt vllatenus omittendum, videlicet quòd circa aquam, quæ eſt ad portandum gentibus exercitus conferenda, ſpecialis cura & diligens

gens teneatur: eò quòd aquâ bonâ carentes multi iam exercitus perierũt. Nec non & ligna pro coquinando in armata præfatâ sunt similiter requirenda, cùm absque eis dicta nequiret armata commodè sustentari. Multasq; alias præuisiones dictum Capitaneum decet habere, ordines, industrias, & cautelas, quas longum foret scribere & narrare: licet pro maiori parte circa facti substantiam sint narrata. Et idcircò vtile est & bonum, quòd prædictus Capitaneus secum habeat probos viros, qui consueti & instructi fuerint circa negotia supradicta.

CAP. XXV.

Continet descriptionem Riperiæ marinæ Soldano subiectæ, & propriorum nominum de mariuis, terrarum, portuum ac Insularum, Succarum, & milium, quantò differunt vna ab alia: & similiter partium terrarum Regis Tunisii, quæ quidem cum prædicta Riperia confinia participant. XXV.

A *Caramela* vsque in *Alexandretam*, quindecim milia esse dicuntur, versus Syrocum per Meridiem nauigando. Caramela verò est in confinibus terrarum Regis Armeniæ ad præsens; & similiter dicta Caramela confinium Soldani participat. Ab Alexandreta ad *Prebonelum*, versus Garbinum per Meridiem nauigando, sunt decem milia, & plus etiam dici potest. A Prebonelo ad *Rasaganizir*, nauigando inter Meridiem & Garbinum, milia sunt decem. A Rasaganziro ad focem *fluminis Soldini*, nauigando per Syrocum versus meridiem xx. milia computantur; & hęc est *Astaria* montanænigræ. Et in Camerata à medio miliari in mari Soldini, vsq; ad vallem quæ dicitur *Tandera*, milia sunt decem, per Garbinum etiam nauigando. In valle præfata portus est. A Soldino vsque ad *Polleinum*, per Garbinum versus Occidentem nauigando, millia sunt xx. A Polzino vsque ad *caput Gloriatæ*, sunt milia xx. nauigando per Meridiem versus Garbinum. A Gloriata in vsque ad *Laoyssam*, id est, Liciam, millia sunt decem, nauigando per Syrocum. Laoycia seu Licia bonum portum habet ad catenam, qui quidem portus habet introitum à Magistro, in cuius ore, in introitu versus Magistrum vna turris est: dicta autem Gloriata, bonum habet operimentum seu parauegium à partibus Tramontanæ. A portu siquidem Laoycæ ad faucem *fluminis Lenæ*, per Meridiem nauigando milia sunt decem. A dicta verò fauce ad Vallaniam, millia sunt quinque, versus Syrocum per Meridiem nauigando: Vallania parauegium est bonum, & operit vsque Magistrum. A Vallania vsque *Mergatum*, castrum fortissimum, millia sunt quinque, per Meridiem nauigando.

Ista est Astaria Siriæ, quæ Riperia maritima, seu, littus maritimum nuncupatur.

In primis à Mergato vsque ad ciuitatem *Anteradum*, nauigando per Meridiẽ versus Garbinum, millia sunt xx. A dicta autem ciuitate Anterado ad *Gloriatam* præfatam, per Septentrionem nauigando, sunt milia quadraginta: dicta quippè Insula ciuitatis Anteradensis, bonum habet portum à facie quæ est versus terram; & potest ibi stari versus caput Septentrionis ad Prodẽses; & ab omnibus partibus potest introitus dici portus: qui quidem portus à terra firma, per duo milliaria verè distat. Ab Anterado olim nobili ciuitate, vsque *Tripolim*, nauigando inter Meridiem & Syrocum, millia sunt xx. Tripolis autem bonum habet portũ, & super dictum portũ intrando per quatuor milliaria insulæ sunt plures quę *Recini* nomine potiuntur. Et si quenquam venire contigerit ad portum supradictum, sinat stare cunctas Insulas à Meridie, & tantâ ab ipsis Insulis elongetur distantiâ, quãta prodensis vnius & dimidii reperitur: postmodum verò per Orientẽ nauigetur per vnum miliare: deindè per Syrocum per duo milliaria nauigetur: & inueniet scolium, per quod fit portus, in quo fundum trium passuũ reperitur, & à longè vno prodense itur ad dictam Insulam. Infra verò terrã Tripolis supradictæ montes reperiuntur altissimi, super quos montes niues nunquã desinunt reperiri. A prædicta verò Tripoli vsq; *Nephyni*, per Garbinũ nauigando, millia sunt quinq;. A Nephyno autem vsq; ad *puteũ Conostabilis*, per Garbinum versus Meridiem nauigando, millia sunt quinq;. Dictus autẽ puteus bonum est operimentum seu parauegium capitis positi in mari. A dicto puteo ad *Boldronum*, milia sunt sex, per Meridiem nauigãdo. *Gibeletũ* portum habet pro lignis subtilibus cum catena. A Gibelleto vsq; ad *Beritum*, millia quindecim computãtur, versus Garbinum quartâ venti per Meridiem nauigando. In dicto capite versus Orientem quædam est ciuitas quæ nuncupatur Beritum cum vno castro, apud quod

bonum parauegiũ reperitur versus Orientẽ. Per vnũ milliare ad Græcum, duæ sunt Insulæ vbi portus existit: Verùmtamen, puncta cuiuslibet dictarum Insularum per vnum miliare debet à longè honerari. In introitu versus Græcum, dictum caput Beriti, habet *Saheti* Insulam, à qua per spatium xx. milium distat, per Meridiem nauigando: quę quidem Insulam portum habet & introitum à partibus Tramontanę, in quo potest quis ad Prodenses iuxta præfatam Insulam permanere. Ipse verò portus versus terram firmam, faciem suam tenet, cuius introitus à parte Meridiei paruũ fundum habet. Ac supra dictum Saheum, vna est montanea furculea seu mons, cui *furcæ Saheti* dicitur vulgariter eloquendo. A dicto autem Saheto ad caput *Scraphandini*, versus Garbinum quartâ per Meridiem nauigando, milia sunt decem. A Scraphandino verò ad ciuitatem *Tyri*, milla sunt quinq;, per Meridiem nauigando. Tyrus autem portum habet, & plura scolia ad Magistrum, quæ omnia dimitti debent à Meridie; & debet intrare quicunq; fuerit per Septentrionem, hoc est versus scolium nominatum quod est a partibus Tramontanæ, qui ab omnibus scoliis supradictis debet Prodensibus duobus & dimidio elongari; vel debet sibi cauere: quoniã in omnibus ipsorum scopulis fundum paruum protinus reperitur: & potest ibi stare ad Prodenses, quicunque fuerit penes muros prædictæ ciuitatis. Notitia supradicti Tyri talis est: quoniam quicunque de pelago venerit, furcas prædicti Saheti videbit quæ remanebunt sibi à partibus Tramontanæ; aliosq; montes magnos & altos qui dicuntur *Beligna* vulgariter, qui ei à Meridie remanebunt. A Tyro autem ad *caput Blancam*, milia sunt decem, versus Garbinum per Meridiem nauigando: quod quidem caput altum est; & supra dictum caput montes sunt aliqui valdè magni, qui *Bellinæ* ab incolis illarum partium nuncupantur. A dicto autem Capite ad ciuitatẽ *Acon*, millia sunt decem, versus Garbinum per Meridiem nauigando, donec quicunque peruenerit ad scolia quæ sunt super *casale Lambertum*, posteaq; declinet ad Meridiem versus Syrotum. A prædictis autem scoliis vsque ad ciuitatem Acon sunt infra mare vel in mari, circa tria milliaria plures siccæ. Acon autem portum habet, ibiq; vnum scolium faciens dictum portum, ad quod scolium Prodenses debent dari: ab Oriente autem *Turris* est *Muscarum*: & si quem venire contigerit ad præfatum portum, nauiget à longè à templo Sancti Andreæ per tria milliaria, propter siccam quæ est super Sancto Andrea, per rectum, donec viderit domum quæ fuit Conostabulis in Turre Muscarum; & tunc poterit facere viam portus: & cùm intrauerit dictum portum, nauiget in tantum intra prædictum, vt *castrum Cayphæ* siue *Porphyriæ* per medium pupis sui nauigii relinquatur, tenẽs dictam Muscarũ Turrem per mediam proram nauigii antedicti: & hunc modum tenendo, securè ire poterit intra portum. A prædicta autem turri vel sicca templi, vsque ad *locum Carmeli*, milia sunt decem, per Garbinum nauigando. Carmelum verò mons est altus & planus, supra mare & in mari, tanquam longam Insulam se ostendens: cuius montis caput quod est supra mare, versus Magistrum respicit, in cuius summitate vna est Ecclesia quæ *Sancta Margarita* vocitatur. A parte autem Septentrionis quædam sica est, quę per vnum milliare elongatur. A monte autem Carmelo ad *Castrum Peregrinum*, milia sunt quinq;, per Meridiem nauigando. A Castro peregrino vsq; ad *Cæsaream*, milia sunt xx. per Meridiem nauigando. A Cæsarea verò vsque ad *Arzuffum*, milia sunt xv. per Meridiem nauigando. Ab Arzuffo vsq; *Ioppen*, per Garbinũ nauigando, milia sunt decem. A monte autem Carmelo vsq; *Damiatã* nullus mons circa maritimã inuenitur, sed terra subtilis & plana, & habet rupes albas de fabulo. Infra terram sunt montes alti per Astariam gradiendo, qui *Ierosolymitani montes* appellantur: & omnes montes qui videri possunt vsq; Carmelum duplices sunt verè.

Hæc est maritima seu Astaria, quæ à Ioppen vsq; ad Damiatam protenditur.

IN primo à Ioppe vsque ad castrum *Beroardum*, versus Syrocum per Meridiem nauigando, milia sunt decem. A castro Beroaldo vsque *Ascalonam*, milia sunt decem. De Ascalona vsque *Gazaram*, xv. milia computantur, versus Garbinum per Meridiẽ nauigando. A Gazara verò vsque *Darũ*, milia sunt xv. per Garbinũ versus Meridiẽ nauigando. A Daro ad *caput Beroardi* milia sunt xxx. à capite pelagi Rixę per Garbinũ. A capite Beroardi in fundũ *Culfi Rixæ* per Syrocũ nauigãdo, milia sũt xxx. Ab illo capite à Meridie per Occidentẽ versus Magistrũ, milia sunt xxx. A prædicto verò capite ad *caput Staxi*, per Garbinum nauigando, xxx. milia computantur:

dictum

dictum Staxum Culfum eſt, quod circumuoluitur per ſpacium xx. milium. A Capite Staxi ad *Raſagaſaron*, verſus Garbinum per Occidentem nauigando, milia ſunt L. A Raſagaſaron vſque ad *Faramiam*, verſus Garbinum per Occidentem nauigando, milia ſunt xxx. A Faramia vſque ad *flumen Tenexæ*, milia ſunt xxv. per Occidentem nauigando. A flumine Tenexæ ad *Damiatam*, verſus Magiſtrum quarta venti per Occidentem nauigando, LX. milia computantur. Damiata ciuitas eſt, cuius flumen magnum eſt: quoniam fundum introitus fluminis ſupradicti, dum aquæ in deſcenſu fuerint, in minoti, circa ſex palmos poſſunt veraciter computari; quando verò aquæ ſunt plenæ, tunc earum fundum, circa palmos XI. altitudine extimatur. A ciuitate Acon vſque Damiatam per Garbinum nauigando, CCLXXV. millia computantur.

Iſta eſt Aſtaria quæ à Damiata vſq; in Alexandriam computatur.

PRimò à Damiata vſque *Burlum*, per Occidentem nauigando, LXX. milia eſſe dicuntur. A Burlo ad focem *fluminis Sturionis*, eſt pelagus quod eſt ſpatium XXX. milium, nauigando inter Occidentem & Garbinum: dictus verò pelagus eſt rotundus, & circumuoluit ſe milia per XXX. qui quippe pelagus antedictus habet faucem latam amplitudine quinque milium à Magiſtro. A fauce autem fluminis Sturionis vſque ad faucem *fluminis Raxeti*, ſunt milia XL. per Occidẽtalem verſus Garbinum nauigando: dictum autem flumen Raxeti magnum eſt, habens fundum decem palmorum aquæ, exiſtente præfato flumine in ſiccitate maiori: cùm autem aquæ præfati fluminis plenæ ſunt, XV. palmorum aquæ in fundo fluminis reperitur. A Raxeto autem ad turrem *Bolherij* ſeu Inſulam, ſunt milliaria XXV. nauigando per Occidentem. ſupra dicta Inſula duæ ſunt turres, propè quas bonum patuegium reperitur. Ab ipſa verò turre Boicherii vſque in *Alexandriam* ciuitatem, per Garbinum nauigando, XVIII. milia computantur. Cæterùm Alexandria ſupradicta, magna eſt ciuitas atq; pulchra, quandam punctam habens de foris, cuius confines quotidie à maris fluctibus inundantur: ſupra quam punctam eſt vna turris, quæ *Farum* communiter appellatur, ob quã habetur ciuitatis notitia ſupradictæ. Si quis verò venerit de Pelago ab Oriente ſeu à Græco vel à Septentrione, videre poterit dictum Farũ: ſimiliter & ſi venerit à Magiſtro, & dicta turris Fari videbitur quoddam vellum. Ipſa autem ciuitas duos portus habet: vnum ab Oriente, cui dicta turris Fari dominatur: & ſi quis venerit ad portum adhæreat ſcolio quod *Memon* vulgariter appellatur, exiſtens iuxta turrem quæ dicitur *Faurum*, & eat à longè à ſcolio ſupradicto, vno Prodenſe & eſt inter Meridiem ſicca vna; & poterit tenere Prodenſes ad Memon ſcolium ſupradictum. Alter verò portus Alexandriæ, eſt à parte Occidentali, in quo portu eſt introitus ab aſtaria quæ eſt à partibus Occidentis: cui Aſtariæ, ſi quis intrare voluerit dictum portum, debet penitus adhærere: cuius portus introitus eſt per canales. Ab Alexandria vſque *Acon* ſunt milia CCCCXL. per Græcum tertiâ venti verſus Orientem nauigando. Ab Alexandria vſque *Damiatam*, habetur fundũ tot paſſuum per quot quis diſtat milia à maritima prædictorũ: hoc eſt, pro quolibet miliari, fundus vnius paſſus aquarum reperitur. In fundo autem *fluminis Sturionis*, fundus coloris rubei reperitur, ſuper quo Sturione, plures palmarij ſunt dactilos producentes. Ab Alexandria ad *Turrem Arabum*, per Garbinum, milia ſunt XXX. A turre verò Arabum vſque ad *Gulfum Arabum*, per Garbinum, ſunt millia quinquaginta. A fundo verò Culfi Arabum vſq; ad *Karuberios*, per Magiſtrũ verſus Occidentem, ſunt millia XL. A Karuberiis ad *Creſpas albas*, per Occidentem millia ſunt XX. Notitia vero Creſparum albarum iſta eſt: quoniam per plures monticulos oſtenditur terra alba, & ſupra ſcripti Karuberii remanent à parte Orientali, vbi videbuntur plures archæ vaſtæ intra monumenta fracta, rupes albas: per duo milliaria verſus *Culfum Raxoriorum*, eſt quædam Inſula plana, quæ remanet à Græco ad rupes albas: quę quidem Inſula bonum habet portum, & habet ſex paſſuum fundum planum: & poſſunt Prodenſes dari ad Inſulam ſupradictam, anchoræq; verſus terram firmam poterunt impartiri. A dicta verò Inſula vſque ad *Culfum Raſoriorum*, millia ſunt XX. nauigando quartâ venti per Occidentem verſus locum qui *Beleze* dicitur. A Culfo verò Raſoriorũ, quò vſque ad *portũ Soldani*. CX. millia eſſe dicuntur. à Leuante quoque, & à Ponente: dictus autem portus retinet os ſtrictum, & ſimiliter cuſtoditur à Saracenis Soldani: in dicto verò portu magna largitas reperi-

tur, quoniam in eo multæ naues possent atque galeæ morari. A dicto autem Culfo vsque ad præfatum portum, nullum bonum statium reperitur, sed malus fundus, aspersus, contrata quidem plana, atque multæ siccæ reperiuntur. A portu quidem Soldani, vsque ad *Insulam Columborum*, sunt millia decem, inter Ponentem & Magistrum nauigando: dicta Insula distat in mari longè per vnum milliare, & intratur à Leuante & à Ponente: Os per quod intratur à Ponente subter aquam multas retinet siccas. Ipsæ verò dictæ siccæ faciunt portum ab astaria vsque ad prædictam Insulam: Os per quod intratur à Leuante est nitidum, & debet honerari Insula per dimidium vnius milliaris. A puncta autem Leuantis inuenies fundum decem passuum, & debet morari longè ab Insula per duos prodenses cum galeis. Et dicti scolii coopertum habent ab omnibus ventis, saluo quàm à Leuante qui incedit per Ripetiam. Dictæ Insulæ sunt planæ, quoniam non apparent nisi circa decem millia in mari: Sed cognitio est vnius Casalis quod est in astaria à capite Leuantis. Et si quem venire contigerit ad astariam per dimidium dictarum Insularum à marina, inueniet aquam dulcem. Ab Insula autem Columborum vsque ad *Punctam Rameda*, nullum bonum statium reperitur, nisi quòd crescunt montaneæ à marina à latere Insulæ per totam Barbariam. A puncta verò Ramedæ vsque ad *portum Salon*, xx. sunt millia, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum: & est bonus portus, & rectè bonum habet introitum. A portu autem Salon, vsque ad *portum Malsamarum*, xx. sunt millia, inter Ponentem & Magistrum nauigando. A portu verò Malsamar vsque ad *caput Luchi*, xv. millia esse dicuntur à Syroco & à Magistro: dictum caput Luchi est siccum foris per dimidium vnius milliaris. A capite verò Luchi, vsque ad *portum Trabuchi*, lx. millia rationabiliter computantur, nauigando per quartum Ponentis versus Garbinum: dictus portus vnam retinet siccam à capite Ponentis: & si quis occurrerit ad portũ manu teneat astariam Leuantis. A portu dicti Trabuchi, vsque ad Insulam *Patriarcham*, xl. millia esse dicuntur, nauigando per quartam Ponentis versus Magistrum. Ab Insula Patriarcha, vsque ad *caput Resaltini*, millia sunt xxx. à Syroco, & à Magistro: dictum caput, per dimidium vnius miliaris vnam siccam obtinet. A capite Resaltini vsque ad *Fauaram*, millia sunt decem, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum. A Faura, vsque ad *Forcellum*, decem sunt millia, nauigando per quartam Ponentis versus Garbinum. A Forcello, vsque ad *Carse*, millia sunt xx. à Leuante & à Ponente. A Carse verò vsque ad *Bonandream*, millia sunt l. à Leuante & à Ponente: dictus Bonandrea habet portum, qui cooperimentum congruè retinet ab omni vento, saluo quàm à Græco. A portu verò Bonandreæ, vsque ad *Insulam Sulsæ*, millia sunt xx. à Leuante & à Ponente: prædicta verò Insula statium retinet salutare. Ab Insula verò de Sulce vsque ad caput *Resalsem*, milia sunt lx. à Leuante & à Ponente. Ex parte verò capitis dictæ Insulæ in mare, dulcis aquæ quatuor flumina dilabuntur. A capite verò Resalsem vsque ad *Tolmetam*, millia sunt centum, à Græco & à Garbino: dicta Tolmeta super capite duos retinet paruunculos scolios. A Tolmeta verò vsque ad *Berniges*, millia sunt lxx. nauigando per quartam Garbini versus Austrum: dictus Berniges bonum retinet portum; sed quædam sicca reperitur à puncta dimidii dici: & si quem venire contigerit ad dictum portum, teneat astariam Leuantis.

CAP. XXVI.

Maritimæ contratæ cui Rex Armeniæ dominatur, à confinibus subiectis Soldano, ac etiam partibus Turchiæ à latere Septentrionis.

XXVI. A *Cramela* vsque ad montem *Caybo*, per Magistrum, xx. millia computantur. A monte Caybo ad *Laiacium*, per Occidentem versus Garbinum nauigando, spatium xv. milium computatur. A Laiacio ad *portum Pallorum*, nauigando inter Garbinum & Occidentem milia sunt decem. Laiacium portum habet & siccam vnam ante se, quæ scolium dici potest, ad quam quidem siccam prodenses figuntur, & ancoræ versus terram firmam. A dicto autem portu Pallorum, ad faucem fluminis *Malmistræ*, millia sunt decem, nauigando per Garbinum: Et notandum est quòd puncta dicti portus Pallorum debet per dimidium milliaris honorari: Et si ad præfatum portum quis accesserit, vnum inueniet ibi pallũ, quod super puncta

dicti

dicti portus Pallorum fixum manet continuè: & cauetat ſibi à pallo portus proximè antedicto. A prædicta autem fauce fluminis Malmiſtræ vſque ad *Malo* milia ſunt decem, verſus Magiſtrum per Occidentem nauigando. Malo portum habet, qui coram ſe duas habet paruunculas Inſulas, quę ſunt diſtantes quartâ milliaris à terra firma, & prodenſes tenentur ad Inſulam: ancoræ verò verſus terram firmam figuntur, vbi duorum paſſuum vſque ad tres aquarum profunditas reperitur. A Malo autem, quod eſt quoddam caſtrum, vſque ad faucem *fluminis Adenæ*, nauigando per Occidentem verſus Magiſtrum, millia ſunt viginti. A fauce fluminis antedicti, vſq; ad faucem *fluminis Tarſi*, millia ſunt xx. nauigando per Occidentem verſus ventum qui dicitur Magiſter. A fauce verò Tarſis vſque ad *Curcum* verſus, Garbinum verſus per Occidentem, xl. millia eſſe dicuntur: coram autem dicto curco, quædam Inſula inuenitur. A Curco autem vſque ad punctam faucis fluminis *Saleſſi*, millia ſunt decem, cum Garbino verſus Occidentem nauigando. A flumine verò de Saleſſo vſque ad *Lenam de Labagaxa*, millia ſunt decem, à Græco & à Garbino: dicta autem puncta de Labagaxa eſt valde plana, & in fundo ſunt arenæ, & paruam habet aquam in mari bene per vnum milliare. A Lena verò de Labagaxa vſque ad *portum Pinum*, millia ſunt xv. à Syroco & à Magiſtro: prædictus portus, bonum habet ſpacium, & bonum fundum retinet. A portu verò Pini vſque ad *portum Caualerium*, decem millia ſunt, nauigando per quartam Ponentis verſus Garbinum. Dictus verò portus, bonum habet ſtatium, & bonum retinet fundum. A portu autem Caualerio vſque ad *portum Prodenſalium*, xv. millia computantur, à Leuante ſimiliter & Ponente: dictus ſcolius habet ſtatium intus, atque magnum fundum retinet: & in dicto ſcolio ſunt quædam muralia, vndè illic propè eſt ſtatium. A Scolio verò Prodenſalium vſque *Sequin*, millia lx. eſſe dicuntur, per quartam Ponentis verſus Garbinum nauigando: in dicto verò Sequin, poſſunt anchoræ figi, & indè coopertam recipit à Ponente: ſimiliter habet vnum flumen quod labitur in mari. A Sequin vſque ad *Stallimuros*, millia ſunt viginti, à Græco & Garbino: in dicto verò Stallimuris, poſſunt ancoræ figi, & ſimiliter coopertum habet à Ponente. A Stallimuris vſque ad *Calandro*, xxx. millia computantur, à Syroco quoque & à Magiſtro; & bonum portum retinet. A Calandro autem vſque ad *Salmode*, xxv. ſunt millia, nauigando per quartam Magiſtri verſus Ponentem. A Salmade verò vſque ad *Anthiocetam*, xx. millia eſſe dicuntur, nauigando inter Ponentem & Magiſtrum. Ab Anthiocetta vſque ad *Caſtrum Lombardum*, xxv. millia computantur, per quartam Ponentis verſus Magiſtrum nauigando. A Caſtello autem Lombardo vſque ad *Candelorum*, decem millia ſunt, à Leuante ſiquidem & Ponente. Prædictus Candelorus ciuitas eſt portum habens, & facit ſibi operimentum vſq; Garbinum. A Candeloro ad *Scolium Sancti Fochæ*, xxx. millia computantur, nauigando inter Ponentem & Magiſtrum. A dicto autem Scolio Sancti Fochæ vſque ad *Sataliam ſenem*, millia ſunt xl. nauigando per quartam Magiſtri verſus Ponentem. A Satalia verò vetere vſque ad *Sataliam nouam*, quadraginta millia eſſe dicuntur, à Ponente & à Leuante. Item prædicta Satalia noua, eſt magna ciuitas, habens ſcolium antè ſe benè per octo milliaria foras in mari: qui quidem ſcolius propriè nominatur *Agiopendi*: & ibi bonum ſtatium reperitur. A Satalia quidem noua vſq; *Renathiam*, milliaria ſunt xv. dicta Satalia bonum & ſecurum ex parte terræ habet portum, in quem dilabitur quoddam flumen. A Renathia vſque *Cyprianas*, milliaria ſunt decem. Predicta Renathia bonum habet portum in Inſula, ex parte maris & terræ ſecurum: habetque aquam fluminis copioſe. A Cyprianis ad portum *Ianuenſem*, milliaria ſunt decem: portum ſecurum habet, dum à Turchis ſibi caueant illi de portu ex parte marina & terreſtri, qui portus in Plagia ſufficienter fluminis habet aquam. A portu Ianuenſi vſq; *Chipaſcum*, octo millia computantur: bonum portum & flume obtinet, tamen ſibi caueant à gente ex parte terræ. A Chipaſco vſque *Cambruxam*, millia ſunt ſex: bonum habet parauegium, & affluenter aquam: à quo portu quædam Inſula diſtat circa tria milliaria infra mare. A Cambruxa ad *Scolia de Childoniis*, milliaria ſunt decem, ſed parua: habet enim parauegium, & vbi ancoræ infiguntur: videtur tamen ſtatium timoroſum ex parte maris, quamuis à gente ex parte terræ poſſit eſſe ſecurum. A ſcholiis de Childoniis ad *Sanctum Stephanum*, milliaria ſunt tria: bonum habet portum, & in habundantia aquam; dubium tamen à gente ex

parte terræ. A portu Sancti Stephani vsque ad *Scolia Finighæ*, milliaria sunt quindecim: bonum habet portum in scoliis, & iuxta terram, qui aquam habet fluuialem; dubius tamen est ex parte terræ, distatq; ab eo quoddam Casale magnum infra terram sex milliariis: in montanis quoque vicinis tam Græci quam Turci faciunt mansionem. A Finigha ad *Sanctum Nicolaum de Stamiris*, milliaria sunt quindecim: bonumque habet portum ex parte maris securum; ex parte verò terræ, custodia est adhibenda: dictus portus os retinet strictum, aquamque dulcem in dicto ore scaturientem quæ in mare dilabitur. De Sancto Nicholao de Stamiris vsque *Caccabum*, milliaria sunt quinquet habet bonum portum; & in scoliis aquam cisternarum, & per oppositum portus est astaria; custodia tamen propter malam gentem adhibenda, ex parte terræ. De Caccabo ad *Insulam de Correntibus*, milliaria sunt xx. bonum habet parauegium securumque à gente ex parte terræ, & aquam vberrimè cisternarum. Ab Insula de Correntibus vsque *Ghyam* miliaria sunt quatuor: bonum habet portum, ex parte maris securum; dubium tamen ex parte terræ: in splagia verò fluminis habet aquam. A Ghya ad *Insulam Castri Rozi*, milliaria sunt xx. bonum habet portum, & aquam affluenter, nec dubitatur ex parte terræ; estq; portus iuxta astariam, & circumcirca sunt multæ siccæ. De castro Razo ad Insulam de *Polcellis*, milliaria sunt xv. ibiq; bonus est portus ex parte terræ securus; bonam tantum aquam non habet: infra dictam Insulam & terram firmam sub aqua tribus pedibus magna sicca reperitur. A dicta Insula de Polcellis vsq; ad *Megradicum* sub Patra, milliaria sunt xv. bonum habet portum ex parte Orientis aqua tamen carentem; & ex parte terræ custodia est adhibenda. De Megradico ad *Perdichias*, milliaria sunt triginta: bonum habet portum, & aquam copiosam; nec dubitatur ex parte terræ. A Perdichiis ad *S. Nicholaum de Liuixo*, milliaria sunt quatuor: bonum portum retinet, aquamque affluenter, nec dubitatur ex parte. De S. Nicholao de Liuixo ad caput *Trachili*, sunt milliaria quinque: bonumq; habet portum, aquam in habundantia in Insula Cisternarum: nec dubitatur ex parte terræ. A Trachilo vsq; ad *portum terræ de Macre*, milliaria sunt xv. bonum habet portum, in cuius introitu, sub aqua circa duos vel tres pedes est quædam sicca; aquamq; habet potabilem in affluentia, nec ex parte terræ aliquatenus dubitatur. De Macre vsq; *Copin*, milliaria sunt decem: bonumque habet portum & rutum, tam ex parte maris, quam terræ: aquam in Insula copiosè retinet cisternarum. De Copi vsque *Guiam*, milliaria sunt viginti: bonum portum habet, ex parte terræ securum, aquamque affluenter, tam in Insula quam etiam Astaria. A Guia vsque *Prepiam*, milliaria sunt decem: habet æstiuo tempore bonum portum, dum ex parte terræ securitas habeatur: Deinde intratur flumen quod septem pedum altitudinis habet aquam. Hocq; modo onerantur nauigia quæ deferunt lignamina in Ægyptum.

CAP. XXVII.

De Crucesignatis à S. Romana Ecclesia stipendiatis, cùm ad Christicolarum exercitum applicauerint, de Ægypto, quod Nili flumini debeat rationabiliter dominari. In quo etiam ostenditur qualiter Raxeti Insulam poterunt occupare: & de numero prædictorum, ac quanto poterunt decongruere: ostendendo præterea quod infideles rationabiliter Christi fidelibus terram Ægyptiacam relinquere compellentur.

NVnc autem inspiciendum est, meditandum perspicaciter, & credendum, quòd si in gens Crucesignatæ, vel qui solutionem receperint ex denariis Crucesignatæ receptis à Sanctæ Ecclesiæ fidelibus, prout superiùs continetur, quæ per Christianorum partes mundi prædicata fuerit vniuersas, ad locum peruenerint, vt est dictum, vbi Christicolarum exercitus in prædicta maritima castra metatus fuerit seriatim: qui exercitus paratum se inueniet, & in habitum, tam de nauigio, quàm de aliis necessariis, vt est opus, & genti armigeræ aquæ dulcis conuenit ac quæ terræ. Qui omnes indifferenter .l. milia peditum. & duo milia equitum reperiantur ad stipendium deputati: numerando in hoc prædicto numero xv. milia peditum & c c c. equites, qui in prima parte huius secundi operis continentur: sperandum est in Deo, & procul dubio confidendum, quòd cum auxilio eiusdem, nomine cuius geretur negotium suprædictum, indubitanter Nili fluminis dominium obtinebitur;

qui

qui si prædicto dominabuntur vel fuerint dominati, statim *Raceti* habebunt *insulam* cum quiete: quæ non modicum reputatur: & in qua fortilitium construere possunt subitò: & ad eorum libitum voluntaris ibi facere mansionem, vt eis videbitur facienda, & specialiter à superiori capite siue parte, qua Kayro propinquior est, ac etiam Babyloni. Itaque considerandum est, quòd propter immensum dextrum ordinem & virile brachium exercitus dictæ gentis Christicolæ, atque nauigii supradicti, satis breuiter totum residuum Ægyptiæ prouinciæ conquiretur, ac ratione præambulâ vestræ subiugabitur Sanctitati. Et si vestra Sanctitas minimè dignaretur tantum numerum congregare, quantus superiùs continetur, posset nihilominus pertrantire, ac ad finem bonum perducere dicti Ægypti negotium, cum x l. millibus peditum & mille equitibus, stipendiatis ita ordinatè, vt superiùs est narratum, ente præfato flumine Ægypti in eo statu in quo permanet in præsenti. Et si quis arguere vellet & dicere: *Tu forsitan meditaris Tartaros tibi fauere & suffragium commodare: fortè poterit esse quod contrary tibi erunt, quoniam magna ex ipsis pars conuersa est ad sectam perfidi Machometi. Qui videlicet Tartari in Ægyptum possent descendere, dictæ sectæ fauorem & subsidium impensuri. Sunt præterea Turchi, ac etiam alij Saraceni per Romaniam & alias vniuersas partes Orientales diffusi, qui eis similiter fauorem & auxilium erogarent: nec non Arabes, ac aliqui ex aliis de Africa Saracenis, qui omnes vel personaliter Ægyptijs succurrerent supradictis, vel eis fauorem & auxilium desiderent.* Huic petitioni potest taliter responderi: quòd cum DEI auxilio gente vestræ Beatitudinis in tanto numero existente, vt dictum est, cuius ordine ac minimine iam prædictis, ipsi, vt continetur superiùs, rationabiliter debent Nili fluminis dominari. Et si prædicti fluminis dominium assequentur rationibus supradictis, vel magnam partem dictæ terræ Ægyptiæ occupabunt, vel ipsam quasi totaliter dissipabunt. Ita quòd ex hoc sequitur, quòd quanto maior reperiretur Saracenorum numerus in Ægypto, tanto breuius & velocius laudabiliter dictum negotium finiretur, postquam terram custodire nequirent; nec eam taliter defendere, quin Christiani prædicti diuerterent & consumerent prælibatâ, eò quòd victualibus quibus infideles iam prædicti sustentari deberent, carerent omnino; nec aliundè in Ægyptum duci vel ferri possent victualia supradicta, propter rationes desertorum superiùs assignatas; nec per mare sibi vllatenus ferri possent, quoniam à vestra gente custodiam reciperet & tutelam; nec à parte superiori ipsius Nili, nec ex Æthiopia, nec etiam aliundè, in tanta quantitate victualium sibi posset subueniri auxilio, quanta prædicti Ægyptii indigerent. Ita quòd ipsos extremâ necessitate compulsos oporteret recedere, & ob famem relinquere dictam terram. Pro quibus omnibus & singulis suprascriptis, potest conspici satis clarè quòd terram Ægyptiam tueri nequeunt infideles, nec genti potenti vestræ elementiæ contrarie, ente præfato in tanto numero quantus est superiùs assignatus. Cui quidem genti vestræ si DEVS Omnipotens hanc dignetur gratiam impartiri, vt quod corde fideliter petoptabunt operibus exequantur: scilicet, vt Ægyptum capiant supradictam; prædicta gens vestra, nomine & vice Sanctitatis vestræ; tam immensum thesaurum ex ea extrahere poterunt, atque dextrum, quòd magnum quid esset exprimere & narrare; scilicet, tam de terra propria Ægypti, omnia terræ hasceutia percipient & habebunt, quam etiam ex omnibus aliis partibus, cursus & transitus mercationum omnium de India in totum auferent, facientes ipsas descendere per Ægyptum; vt exinde ad partes Occidentales, mercationes prædictæ commodè transferantur. Et cum suffragio, quod à vestra dabitur Sanctitate, tanta ibi gens poterit retineri, quòd non solùm Sancta Terra Promissionis, quæ diu extitit ancilla canibus, & tributaria Saracenis, per gentem vestræ Beatitudinis, DEO existente propitio, conqueri poterit violenter: sed etiam cæteri vndique infideles atque schismatici procul dubio subiugabuntur dominio Christiano, qui ad verum cultum nominis IESV CHRISTI, eorum semitas, nequitias & schisma totaliter delinquentes, velint, nolint, conuertentur, Christianorum gladio persequente. Et quando aliquis dignaretur velle perquirere diligenter, quanto possent prædicti equites & pedites rationabiliter deconstare si pugnandum atq; victus, cum aliis sumptibus, mense quolibet, atq; summa primi anni: Huic petitioni potest cum reuerentia responderi: quòd xxx. millia

hominum armatorum, *tribus florenis aureis* singulariter, mense quolibet deconstarent: qui summatim sunt in mense x c. millia florenorum. Præterea x. millia hominum, singulariter vnus alium adiuuando, in mense quinque florenos aureos deconstarent: qui summatim ascenderent l. millia florenorum. Victus verò omnium x l. millium pugnatorum esset in mense x x. millia florenorum. Præterea *equites* præfibari, cum stipendio, victu atque refectione, possunt singulariter deconstare x x x. millia florenis aureis quoquo mense: ita quòd summatim deconstaret in mense, aureorum x x x. millia florenorum. Nec non & pro *Ambaxiatoribus* ad Tartaros destinandis, cum muneribus ad ipsos deferendis, ac ad alias gentium nationes, cum aliis quoque expensis huiusmodi faciendis, possent deconstare in mense v. millia florenorum. Ita quòd per totum, mense quolibet, deconstarent aureorum c x c. millia florenorum: quæ quidem esset annuatim summa x x i i. vicibus centum & octuaginta millia florenorum: habendo semper, vt dictum est superius, bonam gentem. *Nauigium & lignamen* ad habiraculum faciendum, ac *arma* & alia paramenta pro exercitu conseruando, quemadmodum est narratum, pro hac gente signata principaliter signo Crucis, posset ascendere vsque ad summam c c. millia florenorum de auro. Præterea pro *Prælatis*, qui fuerint in exercitu, fratribus, clericis sæcularibus, & infirmis ac mulieribus, vt est dictum, entibus in præfato, & pro alienigenis quibus fuerit dispensatus, ac aliis expensis, ad exequenda large & liberaliter; quæ fuerint opportuna, primo anno forsitan expendentur c c c x x. millia florenorum, cum vbi dixerim de victu x l. millium hominum, in necessitate quinquaginta millibus hominum rationabiliter dari poterit de prædicto. Quæ quidem summa est per totum x x v i i i. vicibus centum millia florenorum, in primo anno. Verumtamen in anno sequenti, in quo sperandum est in DEO, quòd Ægypti negotium compleretur, prædicti homines cum nauigio, lignamine ac aliis paramentis non constarent vltra x x. duabus vicibus aureorum c. millia florenorum: propter multimodas rationes, quæ possent loco & tempore rationabiliter assignari. Ita quòd per totum in istis duobus annis deconstarent hæc omnia l. vicibus aureorum centum millibus florenorum: computando florenum, vt dictum est superius in prima parte huius secundi operis, soldos duos Venetorum grossorum: ad exequenda negotia supradicta bene & rationabiliter atq; largè.

CAP. XXVIII.

In quo quædam petitiones & argumenta contra Christicolarum potentiam opponuntur: videlicet quòd terra Ægyptia subiugata, quomodo terram Ierosolymæ atque Syriæ aduersus Soldani potentiam & Tartarorum ac etiam Infidelium cæterorum, Christiani sibi poterunt vsurpare: & de ipsarum solutione facta propter adiacentias Ierosolymæ & Syriæ antedictæ: nec non & de Tartarorum amicitia vendicanda. Rubrica.

xxviii. ET si quis dubitaret aut vellet quærere: Narratum est, secundùm quòd tuæ discretioni videtur, de modo & manerie, qui tenendi sunt ad terram Ægyptiam conquirendam: Sed quomodo *Terra Sancta* & *Syria* conquirentur, quæ sunt causa principalis, propter quam intendi debet huic negotio diligenter: de qua nulla fuit hucusq; facta nisi mentio generalis: & certum & notorium sit omninò, quòd in Ierosolyma atq; Semo & Syria nulla sunt flumina, lacunæ aut stagna alsqua, propter quæ dictum negotium ad finem bonum & desiderabilem duci posset, vt dictum est fieri de Ægypto? Posset ad hoc taliter responderi & dici: Cuiuslibet Christiani fidelis, pura debet fore intentio atq; nuda & principaliter negotio acquirendi penitus Terram Sanctam, ac valendi eam tenere in statu prospero & tranquillo: Et ideò dictum est, vt negotium ab Ægypti maritima inchoetur. Quoniam absq; ipsa, Terra Sancta conquiri nequiret vllatenus, nec teneri, nec à fidelibus in quiete pacifice possideri. Ad illud quod superius narratur, quòd in Ierosolyma nec in Syria nulla sunt flumina, nec stagna, nec etiam loca lacualia, vel lacunæ, quibus infidelibus inferri possit iactura aliqua vel grauamen, propter quas possent fi-

nalli-

naliter ſubiugari. Hoc non caret vllatenus veritate: ſed ibi mare penitus inuenitur, cui multum adiacent illæ prouinciæ ſupradictæ, quarum etiam ciuitates, vel in maris confinibus ſitæ ſunt, vel vicinæ confinibus ſupradictis: per quod quidem mare multum dicti negotii fieri poterit, inferendo grauamina inimicis. Et quanquam hæc poſſint fieri quæ narrantur, oportebit veſtram Sanctitatem nihilominùs bonam quantitatem militiæ retinere, ac pedeſtrem etiam bonam gentem: vt violenter poſſit Ieroſolymam & Syriam adipiſci; & nauigium maritimum, tam ad remos pro equis ferendis, quàm alia afferenda, quæ dicto exercitui fuerint opportuna. Nunc autem poſſet opponi, & in contrarium ita dici; Quantum numerum equitum & peditum oporteret in dictam Syriam & Ieroſolymam transfretare, vt valerent magno equitum poſſe ac peditum pugnatorum, qui fugati fuerint de Ægypto viriliter obuiare, qui in Syria & Ieroſolyma, ex vniuerſis infidelium partibus fuerint congregati, ac vniti fuerint, qui nunc habitant in prædictis; magnæque potentiæ Tartarorum, aliorumque Turchorum & Saracenorum, qui in Oriente & Africa commorantur, ſi veſtræ præſumpſerint potentiæ refragari. Ad hoc dici poteſt & verificè reſponderi, ac in ſecunda parte huius ſecundi libri pleniùs eſt narratum: quòd ſi Tartari ad Terram Promiſſionis & Syriæ hyemali tempore gradirentur, in æſtatem non haberent facultatem aliquam commorandi, propter intenſum æſtum, qui in illis partibus reperitur; ac propter defectum paſcuorum, quæ ibidem tunc temporis inuenire non poſſent ad paſcendum animalia eorundem. Et idem iudicium ſumi poſſet de Turchis, cæteriſque nationibus gentium, quæ venirent de Septentrione in ſubſidium dictæ terræ; & præcipuè ex eis, qui viuunt de animalibus, quemadmodum de Tartaris eſt narratum. Præterea quando Tartari, vel gens ab ipſis aliena ad Terram Promiſſionis accederent, præſtando fauorem & ſuffragium Saracenis, ipſorum acceſſus, magis eis in damnum quàm in commodum verteretur, quia ibi prædicti nihil aliud agerent, quàm terram conſumere & victualibus vacuare. Quibus peractis Capitaneus exercitus Chriſtiani, tanquam ſapiens, intuens ſuo loco & tempore peragenda, æſtiuo tempore ambularet ciuitates, & fortilitia erigendo, & ſpecialiter & principaliter, quæ iuxta maris littora jam fuerunt, ac eas bonâ gente pedeſtri & equeſtri optimè muniendo, qui inuaderent & currerent, loco & tempore, ſupra eos, quandocumq; de ſua procederet voluntate, & ex victualibus deſtruentes, in quantum poſſent prouincias prælibatas. Et ſi quis quæreret, quomodo inexpugnabilia fortilitia atque magna, quæ tenentur in Syria & Ieroſolyma à Soldano & à ſubiectis ſuis Saracenis expugnari poterunt & acquiri: Ad hoc ita poteſt breuiter reſponderi, quòd ex victualibus prouincias deſtruendo, extremâ neceſſitate compulſos, finaliter & breuiter oportebit eos relinquere terram & fortilitia antedicta, & ob famem abire de tertis & fortilitis prælibatis: quoniam à nulla parte poſſet auxilium ſibi dari, poſtquam Chriſtiani maris & Ægyptiæ terræ dominium obtinebunt; eò quòd Sancta Promiſſionis Terra & Semi & Syria, quas Soldanus præſentialiter detinet occupatas, ità iacent, ac ſunt taliter confinatæ: videlicet, quòd ab vnâ parte, vt dictum eſt, verſus Occidentem reſpiciunt, & prædictæ prouinciæ iacent ſupra mare; à duabus verò partibus, tam à Meridie, quàm ab Oriente ſunt deſerto circumdante valdè magno. Verùm tamen ſi quis exigeret. Eſt ne aliqua manſio in aliquo iſtorum deſertorum? Ad hoc poteſt taliter reſponderi: quod ſic eſt, præſertim in deſerto; cum terra Alapii terminat ſuos fines in quo habitant *Arabes*, qui *Beduini* vocantur, in *Beria* continuè habitantes, ſeu in locis campeſtribus, ſub tentoriis manſiones ſuas omni tempore facientes, & viuentes pro maiori parte ex beſtiis quas conducunt. Qui quidem ad currendum bonos habent equos præcipuè ac veloces, ſe tenebres aliquando parti Saracenorum de Babylone; aliquando parti communicant Tartarorum, cum quibus confinant, & maximè cum contrata Baldachi, cui prædicti Tartari dominantur. Præterea terra quam tenet Soldanus à parte Septentrionis, confines habet cum terra cui Rex Armeniæ dominatur; ac ſuper *flumine Aquæ frigidæ*, quæ confines habet cum Tartaris, vt narratur. Cuius terræ longitudo eſt à Septentrione, eundo per ſignum Meridiei; ac eius artatio ab Oriente in Occidentem extenditur: ac etiam omnia flumina, quæ reperiuntur in hac terra,

cui Soldanus nunc temporis dominatur, quasi per transuersum dictæ terræ, non per longum quotidie dilabuntur. Qua de re, nec Tartari nec aliarum gentium nationes præfatæ terræ, aliquod possent suffragium impartiri, nisi immensis laboribus, & Salmarum sumptibus valdè magnis. Et si quis exigeret ac dicere vellet: quomodo consumes tu Terram Promissionis & Syriæ, habente Soldano tantam gentis copiam ac tenente? tu nequaquam in bello campestri secum poteris hostiliter præliari. Ergò quomodo istæ ciuitates reædificari poterunt, & fortilitia erigi vel aptari, vt resistere valeas Soldani potentiæ, vt est dictum? Huic potest responderi taliter, atque dici: quòd postquam mare fuerit liberum genti vestræ, quæ nauigium sibi aptum habeat habundanter, in quo resideant gentes multæ, conducendo quò voluerint cum bona equitum quantitate, ac pedestrium pugnatorum, & ferendo eos ad terram super quam ad suum libitum descendere voluerint affectanter, non est vllatenus dubitandum, DEI suffragio mediante, quin satis possint securè gradi, & descendere super terram; eamque tunc viriliter hostibus subtrahendo, ac se taliter roborare, quòd antequam inimicorum potentia ad partem accederet in qua essent, forent taliter roborati, quòd ab ipsis nullum posset eis damnum incumbere nec grauamen. Eodemque modo possent in terram ponere gentem equestrem & pedestrem, quandocumq; suæ prudentiæ videretur, & currere contra hostes; & per hunc modum & viam, possent contratam destruere, & consumptioni mandare, vt victualia nequeant inueniri: quoniam maritima Terræ Promissionis & Syriæ, circa CCCC. potest milliaria extimari. Ita quòd multitudine gentis quam Saraceni haberent, nullo modo possent dictam maritimam custodire, nec tantùm ipsam defendere à fidelibus, quin præfati Christicolæ eam, vt dictum est, consumerent quando vellent. Ita quòd rationibus supradictis, & aliis quæ dici possent, & loco & tempore assignari, loquendo humiliter & deuotè, satis clarè & etiam manifestè videri potest, quòd acquisitâ terrâ Ægyptiâ, Ierosolymam, Terram Sanctam, & Syriam tueri aduersus Christianos nequeunt infideles, tenendo illum ordinem atque modum, qui superiùs est narratus. Et vt est ostensum de ipsis prouinciis iam prædictis, sic similiter ostendi potest de multis aliis terris & prouinciis, quibus infideles aut schismatici dominantur: super quibus potest talis ratio assignati: Quoniam quando vestra Sanctitas teneri præcipiet tam magnum nauigii numerum benè fulti ac protinùs apti remis ad ferendos equos; ac etiam aliud nauigium pro ferendis rebus aliis necessariis exercitui supradicto, & pro ferenda gente equestri similiter & pedestri, ad descendendum super terram ad libitum suum, dum facultas eis affuerit armatâ manu & animo virtuoso, veluti facultas vestræ affuerit Sanctitati, tam de illo quod trahetur à paterna vestra dominatione ex terra Ægypti, quàm etiam ex eo quod vestra Sanctitas poterit erogare, ex eo quod per vos trahi poterit, à vestris subditis & fidelibus, vt superiùs est narratum, nequaquam cum DEI auxilio, est vllatenus dubitandum, quòd, considerando vt iacet, & confines tenet supra mare totum *Imperium Romaniæ*, quod magnum quid est, tam illud quod occupatum est à Turchis, quàm id quod à Græcis schismaticis defensatur, ac ab aliis gentium nationibus, quæ sibi tenent subiugatam, & occupatam præfatam terram Imperii supradicti, quin vestra gens taliter ordinata, vt superiùs est narratum, cum nauigio supradicto, ipsam suæ subiugauerint potestati, vel eam consumptioni mandabunt. Quam ob causam satis breuiter in manus vestræ gentis incident incolæ dictæ terræ, & finaliter suo dominio se submittent. Et vt de Romaniæ imperio dictum est, sic de *Barbaria*, & de tota parte Africæ similiter dici potest. Eodemq; respectu, postquam Sanctitas vestra ex terra Ægyptia suum velle affuerit assecuta, in *mare Indiæ*, nauigium poterit intromitti, quod dominabitur illi mari, & illarum partium Insulas subiugabit, ac in terra firma terras maritimas existentes. Propter quæ omnia, satis manifestè videri potest, quòd Ecclesia Sancta DEI, per hanc viam citò potest redire ad statum pristinum in quo erat. Ita quòd ptes venerabiles Patriarchæ, vestri subditi & fideles, qui de prædecessorum suorum hæreditate priuati longo tempore extiterunt, redire poterunt, sedes suas pacificè possessuri, cum illis, qui in eisdem partibus sunt exempti, ac suffraganeis eorundem: scilicet venerabilis Pater dominus Patriarcha *Antiochenus*, Patriarcha *Alexandrinus*, ac Patriarcha *Constantinopolitanus*; nec non & venerabilis

Pater

Pater dominus Patriarcha *Ierosolymitanus*, propter loci sanctissimi dignitatem; ac etiam in Africa, ad sedem illam in qua fuit episcopus, venerabilis pater & excellentissimus doctor beatus *Augustinus*. Iterum poterunt visitari multa loca venerabilia atq; Sancta, vbi Sancti alii steterunt, & fecerunt aliquando mansionem: & præcipuè illa, quæ Domino nostro IESV CHRISTO, pro redemptione nostra suis sanctissimis pedibus placuit visitare, de quibus vestra Sanctitas suum posset in processu temporis desiderium adimplere. Et quanquam sit ostensum, quòd *Tartari* modicum possint resistere fidelibus IESV CHRISTI, nihilominùs reuerenter laudandum est, & per consequens consulendum, quòd si modo prædicto haberi posset amicitia prædictorum, secundùm quod in prima parte huius operis continetur, procurari debeat, sumptibus non parcendo: ac non solùm amorem & amicitiam inquirere Tartarorum; sed etiam eos cum omnibus aliis gentium nationibus incitare, quæ in hoc exequendo negotio necessariæ & vtiles viderentur. Nam *in armorum exercitio & bellorum, omnis securitas & omnis cautela, omnisq; prærogatiua, quæ dari possunt à prudentibus & sagacibus, requiruntur.* Pro quibus omnibus exequendis, tam arduis & fructiferis, nequaquam in prædicto negotio tam excelso, sumptibus aliquibus est parcendum: nec ipsi sumptus pro tam magno exercitio faciendo, Sanctam debent matrem Ecclesiam onerare, ob spem & fiduciam, quas quisq; fidelissimus Christianus habere debet & ponere in altissimo Creatore, vt ad tam finem laudabilem & beatum, vt dictum est, cum gaudio peruenire mereamur.

CAP. XXIX.

De quodam memoriali pertinente dominis, qui super factis armorum bellicis intendant sagaciter, & perspicaciter meditentur: & quibusdam notabilibus. Rubrica.

OMnes gratiæ & omnia dona à DEO descendunt, & sine ipso nullũ bonum est. XXIX. Et ideò homo nõ valet plus, nec scit plus, nec potest plus, nisi quãtũ est sibi datum & concessum à DEO. Pro certo rector & gubernator armorũ, multùm indiget *gratiâ DEI.* Primò, *sensu* prompto, cum magna *sollicitudine*: & sensus est, qui respicit ad bonum finem. Secundò, magnâ *largitate*, cum debito ordine. Tertiò, suos inimicos *non contemnere*: & intẽdere, & auscultare, atq; audire, cum magna diligentia, ea quæ sibi possunt esse nociua vel contraria. Quartò, *conseruare gentem suam*, & quàm minùs poterit periculo exponere: & bellum non recipere, nisi cum magna sua prærogatiua. Quintò, habere præuisionem omnium necessariorum, & maximè de *blado*: nam propter defectum panis, perdita sunt multa bona negotia. Sextò, diligere plus *homines* & cariores habere, quàm *res*. Septimò, vt quæstio ducatur per illam viam quæ discretioni vestræ magis videbitur vtilis, ita duntaxat, vt quæstio diffiniatur per causam propter quam incepta est. Octauò, aliorum compari; & vt non faciatis alteri quod vobis noletis fieri: & habere magnam prouidentiam & sollicitudinem, cuiusmodi & qualia nauigia in terra vestra recipiant necessaria. Nonò, non dimittere magna negotia propter parua. Decimò, considerare cum magna diligentia vestri populi conditionem: & quæ & quales gentes habitant in terra vestra, & maximè *esurientium quàm satiatorum.* Vndecimò, bonum initium & viuum & solidum, expectat bonum finem. Duodecimò, Plus amare bonum commune quàm proprium: propter hoc creuit Roma: & facere quod potestis, secundùm rationem & non quod possetis de facto. Tertiodecimò, Omnes benignè audire, & postea cum paucis diffinire. Quartodecimò, Remunerare bonos, & punire malos: propter hoc ampliatum fuit Imperium Romanum. Nam melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Quintodecimò, Ministros Sanctæ Ecclesiæ honorare, ac eos debitè reuereri: mercatores quoq; benignè recipere & tractare; & omnium gratiarum vobis concessarum & concedendarum DEO gratias reddere semper, laudare, & benedicere, AMEN.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
FILII DEI VIVI ET VERI: AMEN.

QVAEDAM NOTABILIA.

DISCRETIO, *mater est omnium virtutum; & indiscretio mater omnium vitiorum.*

Ingratitudo, *est ventus urens, deficcans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

Qui non habet caritatem, *nihil habet.*

Chrysostomus dicit: Sapientia *est, non eloquia* DEI *scire; sed secundum eloquia* DEI *viuere.*

Radix omnium malorum est cupiditas.

Nulla valet tantum virtus, patientia *quantum.*

Quid melius auro? Iaspis: quid Iaspide? sensus:
Quid sensu? ratio: quid ratione? modus.

Quando gentiles ad DEI Ecclesiam veniunt, vt fiant Christiani, inter alia DEI præcepta quæ leguntur, finaliter sic concluditur.

Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Primitus enim oportet, vt secundùm rationem ea, quæ sunt consideranda considerentur; deindè cum experimento certificentur, vt ratio per experimentum confirmetur, aut per verum exemplum. Audacia absque ratione, est tanquàm gladius in manu furiosi. *Legitur quòd dum Aristoteles monti appropinquaret, discipuli eius rogauerunt eum, vt diceret eis aliquod verbum sententiosum? Qui ingemiscens ait,* humiliatus in hunc mundum intraui, anxius vixi, conturbatus egredior, inscius & ignarus.

Vestræ Magnificæ potentiæ, à Domino DEO nostro concessæ; MARINVS SANVTVS dictus Torsellus, de Venetiis, se & suos humiliter & intimè recommendat.

INCI-

INCIPIT LIBER TERTIVS, EIVSDEM OPERIS, EX QVO SCIRI POTEST, QVALITER POSTQVAM PRÆDICTA TERRA SVBiugata fuerit dominio Christiano, ad DEI laudem, ac honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in bono statu, pacifico & quieto debeat retineri. Qui liber tertius per Prologum, partes, & capitula est diuisus.

CONQVISITA *itaque per gratiam Creatoris, terrâ Ægypti, Terraque Sanctâ Promissionis & Semi, ac Syriæ, in totum, vsq; ad* Aquas Frigidas, *vt in quarta parte secundi libri huius operis est narratũ, & Christiano dominio subiugatâ, quibus omnibus præsentialiter Soldanus Babyloniæ dominatur, prouidendum est, & similiter attendendum, qualiter prædictæ terræ de infidelium viribus conquisitæ teneri possint ad DEI laudem & gloriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem; omniumque fidelium Christianorum, habitantium in prædictis statum prosperum, pacificum & quietum, & nec non ad suorum corporum fructuosum, & salutem finaliter animarum. Verùmtamen in hoc opere, aliquando spiritualiter, aliquando temporaliter, aliquando vnà simul procedere proposui atque loqui, prout pertinebit ad facti materiam vel naturam. Et quoniam hoc perfici iam non posset nec executioni mandari, absque Omnipotentis auxilio, quod non solùm in magnis, sed etiam minimis negotiis implorandum est peragendis, quicunque hanc gratiam desiderat adipisci, oportet illum eam cum ipsius auxilio, suisque viribus omnibus impetrare: scilicet, Deum diligendo præ omnibus, in cunctis ei debitam obedientiam & reuerentiam exhibendo, prout in Euangelio Sancti Iohannis Apostoli & Euangelistæ veraciter recitatur*: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c. *Iterum per Psalmistam Dominus est loquutus*: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum qui eam ædificant elaborant. Et frustra vigilat, qui custodit eam, nisi Dominus custodierit Ciuitatem. *Ea propter, vt iam dicta executioni plenariè demandentur, & teneantur firmiter, vt est dictum, oportet eum in omnibus reuereri, & sibi debitam reuerentiam impartiri: vt per hunc modum & ordinem vnusquisq; fidelis DEO valeat propinquare. Præterea fatendum est similiter, & credendum, quòd pestes quæ descenderunt & à mundi principio vsq; nunc gentibus euenerunt, à DEO descendere sunt permissæ; & ab eo, vt creditur, sunt inductæ, aut in futura vita ob maius meritum impendendum: prout recitat Paulus Apostolus gloriosus*: Per multas tribulationes vos oportet ingredi regnum DEI: *&c. Aut sunt inductæ propter grauissima peccata & abominabilia, quæ in hoc mundo iugiter perpetrantur. Quòd autem aduersitates & miseriæ à DEO ideò inducantur, vt ab ipso in mundo futuro maius præmium impendatur, hoc est magis alicui speciale, quàm in populo generale. Et propterea pestes & tribulationes quæ genti vnius Imperij generaliter, seu alicui prouinciæ, vel alicui ciuitati eueniunt, ideò inducuntur, vt abominabilia peccata, & patrata scelera puniantur, prout*

Ioan. 14. 22. 23.

Psal. 126.

Act. 14. 21.

in Diuina pagina recitatur. Quoniam tempore Noë super vniuersam terram, inductum fuit aquarũ diluuium, superno Præside imperante. Similiter & tempore Loth, quinq; ciuitates crematæ, repentè ad terræ infima corruerunt. Et idcircò quia peccata sunt causa, ob quam diuersarum tribulationum genera, & pestium seu aduersitatum, inducta fuerunt, & continuè inducuntur, oportunum est, vitia & peccata tam carnalia quàm spiritualia euitare: cùm ex eis nullum bonum commodum trahi possit, nec aliquis bonus fructus. Et quia Terra Sancta dignior existit cæteris aliis ab ipsa distantibus, propter salutem humani generis, quam in ea Redemptor noster tanquam in terræ vmbilico voluit operari, valdè in maiori, quàm aliæ huius mundi, reuerentia est habenda. Eò quòd quisq; in ea, tanquam à DEO electa, tanto vehementiùs à peccatis abstineat ne DEVM offendat, quantò maiori Zelo à Domino est dilecta. Et vt meum intentum possim & propositum prosequi, aliquam partem cuiusdam operis, quod quidam probissimus vir, aliúque quàm plures super historiis Orientalibus *cõpilauit, maximè Terræ Sanctæ, quàm potero breuiùs in hoc meo intercludam opusculo, siue addam, ad maiorem euidentiam veritatis: quod non solùm ad Terram Sanctam tenendam, & Diuino cultui liberè conseruandam, erit industria & cautela; sed etiam ad acquirendam præfatam, Christianis erit sagacitas & doctrina. Nam dum res finem non fuerint assecutæ, cognosci non valent defectus quos res præfatæ primitus sustinebant: viso autem fine, manifestius & euidentiùs cognoscuntur. Narratâ proinde historiâ, videre poterimus ob quam causam Terra Sancta aliquando perditionis iugo subiacuit, aliquandò extitit Christiano cultui mancipata: propterea id quod super ipsius negotio est agendum, ad ipsam de infidelium viribus extorquendam, ac in posterum perpetuo retinẽdam, ex prædictis cognosci poterit clarius & videri, prout mihi Omnipotens DEVS Pater gratiam suam dignabitur misericorditer elargiri. Qui quidem liber distinctus est in partes xv. vt inferius annotatur.*

INCIPIT LIBER TERTIVS, EIVSDEM OPERIS, CONTINENS

INFALLIBILEM ET VERAM DOCTRINAM CONSERVANDI AC TENENDI & possidendi Sanctam Terram Promissionis, contra insultus infidelium quorumcunq;, postquam de manibus Saracenorum fuerit conquisita: habens partes quindecim.

PARS PRIMA CONTINET, QVAM VARIIS NATIONIBVS SVBIECTA FVERIT TERRA PROMISSIONIS: habens capitula XIV:

CAP. I.

Continet causas cur Terra Promissionis exposita sit omni nationi: & quare tam frequenter aut afflicti, aut electi de terra sint habitatores ipsius.

1. TERRAM Sanctam Promissionis omnigenæ incoluêre gentes. Communiter autem eam cunctis expositam, situs primò ostendit ipsius. In terræ enim habitabilis medio posita est, & quasi punctus circumferentiæ. Respondet Africæ, Asiæ & Europæ. Secundò hoc ipsum ostendit triplex opus in ea summi Opifícis, aspectum habens ad genus humanum: Opus videlicet Creationis, Redemptionis, & extremæ Discussionis. De quibus tactum est diffusius in prologo huius libri.

Ratio-

Ratione *Creationis*, conuenienter habitauerunt in ea filii Cham: quia ſicut primò creatus homo, DEVM; ſic iſte, patrem irriſit *Gen. IX.* Ratione *Redemptionis*, congruè habitauerunt in ea filii Sem, de quo natus eſt Abraham, cui primò repromiſſio facta, in quo benedicendæ erant vniuerſæ cognationes terræ. *Gen. XII. & XVIII.* quod ad redemptionem pertinet humani generis. Ratione *extremæ Diſcuſſionis*, habitauerunt in ea filii Iapher, qui habitant in Europa, quam incolunt Chriſtiani fideles & verè Catholici, de quibus ait Apoſtolus I. Cor. VI. *Neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* & infra, *Neſcitis quia Angelos iudicabimus?* Ab hiis tribus filiis Noe, diſſeminatum eſt omne genus hominum, diuiſæq; ſunt gentes in terra poſt Diluuium, *Gen. X.* Ideò in filiis horum trium Terram Promiſſionis inhabitantium, collectus ac comprehenſus intelligitur omnis orbis. Eccè iam cauſas dixerim, cur Terra Promiſſionis toti orbi omniq; genti, plus cæteris ſit communis: nunc libet inquirere cur habitatores ipſius indè ſæpè eiecti, ſæpiusq; afflicti ſunt. Quam enim propenſiùs, quamq; viſceroſiùs cæteris, terram illam diligat DEVS, ex proximè dictis manifeſtè colligimus. Vndè & per Metaphoram partibus illis, in Zacharia Prophetа loquitur DEVS, *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Pupilla enim inter omnes corporis partes tenerâ affectione diligitur, & ab omni inquinamento ac nociuo celeriùs purgatur. Sic & terram illam, prærogatiuâ dilectionis, æquanimiter non fert DEVS diutiùs inquinari ſordibus peccatorum, quin aut penitus terreat ad emendam, aut cladibus exiliisue corripiat ad vindictam. *Introduxi vos*, per Ierem. ait DEVS, *in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & bona illius, & ingreſſi contaminaſtis terram meam. Sacerdotes, non dixerunt vbi eſt dominus? & tenentes legem, neſcierunt me; & paſtores prænaricati ſunt in me; & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & Idola ſecuti ſunt.* Sequitur, *Super eum*, populum ſupple, *rugient leones. Poſuerunt terram eius in ſolitudinem; ciuitates eius exuſtæ ſunt, & non eſt, qui habitet in eis.* Et eiſdem in Iſaya loquitur DEVS: *Si me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Opus enim Creationis, ibi non brutales habitatores; ſed rationales admittit: Opus verò redemptionis, fideles requirit; infideles repellit: Opus diſcuſſionis, bonos eligit; iniquos quaſi inutiles abiicit: Propterea *ventilabrum* in manu deſcribitur iudicis, vt qui ſeparati ſunt actibus ſeparentur & locis.

Zach. 2, 8. Ier. 2, 7. Ier. 2, 15. Eſai. 1, 20. Matth. 3, 12.

CAP. II.

Continet quomodo filij Cham Terram Promiſſionis primò incoluêre, & cur in primo expulſi ſunt.

LIcet filiis Cham Africa deputetur, in Aſia tamen quæ deputatur filiis Sem ſicut Europa filiis Iapher, non paruum habuêre locum. Nam ipſe *Cham*, quem *Zoroaſtrem* legimus in libro Clementis, Bactrianorum Rex fuit. De quo Auguſtinus XXI. de ciuitate Dei ait, *Solum quando natus eſt, ferunt riſiſſe Zoroaſtrem.* Nec boni aliquid monſtruoſus ille riſus portendit: Nam licet magicarum artium inuentor, à Nino Rege Aſſyriorum, cùm eſſet ille Bacteranorum, bello ſuperatus eſt. *Ninus* quoque ipſe, filius Beli Nerontidis Regis Aſſyriorum ac Babyloniorum, de Cham deſcendit, ſicut & in Geneſi, ipſe Nemront. Habitauerunt quoq; hanc, de qua loquimur, Promiſſionis Terram, ſicut in Geneſi legimus, *Facti ſunt termini Chanaan* venientibus à *Sydone Geraram vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorram & Adamam & Seboym vſq; Laſa.* Sicut autem impius Cham magicas artes inuenit; ita & à Nino, qui de ſemine ſuo fuit, idolatria ſumpſit initium. Mortuo enim patre eius *Belo* patris fecit imaginem: cui homines, quia rex quibuslibet parcebat reis ad eam fugientibus, diuinos ceperunt exhibere honores. Huius exemplo, plurimi ſuis karis decedentibus fecerunt imagines: quod Demon conſiderans, in huius ſe idolis ponens hominibus, vt ad idolatriam eos pertraheret, cœpit dare reſponſa. Putauerunt exinde homines vnum aliquod fieri ex idolo & cæleſti virtute, ſicut fit vnum ex anima & corpore. Sicq; idolo quaſi DEO ſacrificia ceperunt offerre: totuſq; orbis ad idolatriam prolapſus eſt. Cæteris itaq; omnibus errantibus, *Abraham* cum eſſet arte Aſtrologus, ex ratione & ordine ſtellarum potuit cognoſcere conditorem. Angelus quoq; per viſum ei apparuiſſe dicitur, qui eum plenius de hiis ceperat ſentire edocuit, vel credendum quia de domo erat fideli. Vnde aiunt Ebrei, quòd *Caldei* in ignem, per quem traiiciebant filios ſuos, proiecerunt Abraham & Aram fra-

Gen. 10, 8. Gen. 10, 19.

trem eius; quia nolebat ignem adorare. *Aram* autem suffocato, Abraham DEI auxilio liberatus est. Et cùm factus esset annorum circiter LXXV. anno LXVIII. postquam primùm prædictum Idolum factum est, cùm Terra Promissionis iam idolatriæ subiecta esset sicut ceteræ nationes, ad DEI mandatum egressus est de terra sua ad dilectam Terram Promissionis vocatus, vt expulsis Idolatris, ipsam fidelis Abrahæ semen incoleret; idque non statim, sed post CCCC. annos.

Gen.15.16. *Nec dum*, inquit DEVS, *completæ sunt iniquitates eorum.* Lentis enim passibus graditur Diuina iustitia; & expectat nos benignus Creator, vt misereatur nostri, dissimulans peccata, si fortè peccator conuertatur, & viuat.

10

CAP. III.

Continet quomodo populus Israel, qui de Sem per Abraham descendit, Terram Promissionis incoluit: Expulsis inde, aut in seruitutem redactis filiis Cham.

Anno post Diluuium. 767. 111. COmpletis itaque Amorreorũ peccatis, post Diluuium anno quasi DCCLXVII. Populus *Israel*, multis prodigiis de seruitute liberatus Ægypti, Mari Rubro siccis vestigiis transito, ibique submersis Ægyptiis, alitus est in deserto XL. annis, quibus vestimenta aut calceamenta attrita non sunt, sub regimine Moysi, per quem Israel DEI legem accepit, vt sit ei populus peculiaris: deindè siccatis mirabiliter fluentis Iordanis, sub dominio *Iosuè*, dum Terram Promissionis intrat, mandat Angelus Princeps exercitus Domini Iosue, ad electæ terræ illius sanctitatis

Ios.5.15. indicium: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, Sanctus est.* Et circumcisis primò cultro lapideo, vt mente & carne ab idolatris sit distinctus, ad ca-

Ios.6. piendum *Iericho* accinctus procedit: circuitque ciuitatem, sequentibus septem sacerdotibus, cum septem tubis ante archam Domini, vulgo denique alio subsequente; sicque fecit diebus septem: Septimo autem die, id septies egit, septimaq; vice vociferante populo, muri Iericho corruerunt, & ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque ciuitatem; & omnia quæ erant in ea interfecerunt à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem; boues quoque & oues & asinos in ore gladii percusserunt. Cerne, lector, quia, etsi DEI Iustitia lentis passibus graditur, tarditatem tamen sui, quantâ grauitate compensat? Post

Ios.8.19. destructionem Iericho, homines Ciuitatis *Hay* per insidias trucidauit, vrbemq; combussit. Quibus auditis cuncti Reges trans Iordanem, in montanis, campe-

Ios.9.1. stribus & maritimis, hii quoque qui habitabant iuxta Libanum, *Aetheus & Amoreus, Cananeus, Pherezeus & Eueus & Iebuseus*, cõgregati sunt pariter vt pugnarẽt con-

Ios.9.3.&c. tra Israel. Interim autem *Gabaonitæ*, cum Iosue & populo Israel per fallaciam fœdus inierunt, asserentes se de remotis partibus aduenisse: propter quam fraudem

Ios.10.1. in seruos lignarios & aquarios damnati sunt. Conuenerunt autem cõtra Gabaon,

Ios.10.7.&c. occasione prædicti fœderis, quinque Reges, super quos Iosue irruit repente, eosq; percussit, fugientes quoque cadentes de Cælo lapides obruerunt; stetitq; Sol ad præceptum Iosue, donec vlciscereturse gens de inimicis suis, vniuersusque exercitus rediit sanus & integer, nullus quoque contra filios Israel mutire ausus est. Sic non minor ostenditur DEI clementia in electis, quàm seueritas in peruersis. Denique nominantur Reges in Iosue, XXX. & vnus quos percussit populus Israel. Nunc completa est maledictio quam Patriarcha Noe congessit in filium derisorem. *Maledictus*, inquit, *Chanaam puer: seruus seruorum erit fratribus suis.* Iudeis primò, deindè Romanis: Dixitque, *benedictus Dominus Deus Sem, sitq; Chanaam seruus eius.* Cham filio maledixit, non personæ, quia ei Dominus benedixerat: sicut

Gen.9.1. scriptum est, *Benedixit Deus Noe, & filiis eius.* Post hæc attendens Iosue, nihil aut modicum valere terram acquirere, nisi sequatur possessio continua, pacifica, & quieta: postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus v-

Ios.23.6.&c. niuersis, ait omni populo Israel, *Estote solliciti vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis, adhæreatisq; Domino Deo vestro; & tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes malignas & robustissimas; & nullus vobis resistere poterit: Vnus ex vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester, ipse pro vobis pugnabit. Quòd si volueritis harum gentium erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atq; amicitias copulare: Iam nunc scitote, quòd Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram; sed*


vobis

vobis erunt in foueam atque laqueum, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat & disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. Quæ qualiter verificata sint in sequentibus apparebit.

CAP. IV.

Continet qualiter dicti filij Sem sub xxv. Iudicibus se habuerunt.

SAcrâ docente Scripturâ, seruiuit Israël Domino cunctis diebus Iosue, & senio- IV.
rum, qui longo vixerunt tempore post Iosue. Post mortem verò Iosue consuluit Israël Dominum per *Finees* Sacerdotem, quis constitui deberet Dux bel- *Iud.1.1.&c.*
li: Et responso Diuino, constituta est tribus Iuda, quæ cum tribu Symeon ascendens *Ierusalem*, percussit eam, tradens incendio ciuitatem. Non tamen potuit expellere Iebuseum: sed passus est manere secum sub tributo. Cepit & alia loca similiter. Nota de Ierusalem, quia in diuersis locis, diuersimodè nominatur: secundùm enim Honorium, Ierusalem ædificauit Sem primus filius Noe,



& vocauit eam *Salem*. Hunc Sem Hebræi dicunt fuisse Melchisedech, qui fuit Rex Salem. Iosephus quoque ait, quia ipse fuit primus, qui Deo Sacerdotium exhibuit, & fanum ædificauit & *Solimam* Ierusalem nominauit: sed Iebuseus filius Chanaam eam incoluit, à quo dicta est *Iebus*: vndè à Iebus & Salem, Dauid vocauit eam *Ierusalem*, quasi *Iebusalem*. Hanc quoque Salomon auro gemmisque ornans, *Ierosolymam*, quasi Ierusolomoniam nominauit. *Helius* quoque *Adrianus*, eam destruens & reædificans, à suo nomine *Helyam* vocauit, locum Crucifi-

xionis & Sepulchri capiens intra muros, vicos & plateas decenter pauimento ſternens; paransque conductus aquarum, quibus pluuiali tempore à ſordibus ciuitas purgaretur. *Iacob* quoque aiunt in ea vidiſſe ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cœlum, & Angelos DEI aſcendentes & deſcendentes, & DEVM innixum ſcalæ: appellauitque nomen vrbis *Bethel*; Geneſ. XXVIII. Bethel quoque *Luza* vocatur: Gen. XXXV. & Ioſue XVIII. Iud. I. Vocatur etiam *ciuitas Sancta*. Matth. XXVII. Vbi dicitur de mortuis ſuſcitatis tempore paſſionis CHRISTI, quòd introierunt in Sanctam ciuitatem. Prædicta autem nomina hiis verſibus continentur:

Solimá, Luza, Bethel, Ieroſolyma, Iebus, Helÿa,
Vrbs ſacra, Ieruſalem dicitur, atq; Salem.

Sed nunc vbi Scriptura Ieruſalem appellat Luzam, vel Bethel? niſi fortè templum dicatur Bethel, quia domus DEI. Ieronymus quoque ſuper illud, *Reuerſus eſt Abraham pariter, quo venerat, in Bethel*: qui locum vidit: ait, quòd eſt ciuitatuncula, XII. à Ieruſalem lapide. Vocatur quoque *filia Syon*. Iſa. LII. quia demiſſior ſit, monte Syon; & ab ea protegitur, quaſi filia à matre. Dicitur in Pſalm. *Latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni*: quia in Aquilonari parte montis Syon ſita eſt Ciuitas Ieruſalem, ait Glo. ſuper illud Iſa. XIV. *In lateribus Aquilonis*. Dicitur etiam *Ariel*. Iſa. XXIX. *Ve Ariel, Ariel, ciuitas quam expugnauit Dauid*. Dicitur & *caſtellum* deſpectiuè, vel propter munitionem. Matth. XXI. *Ite in Caſtellum quod contra vos eſt*. Ad hiſtoriam redeuntes, dicamus quia *Effraym* etiam aſcendit Bethel, quæ priùs Luza vocabatur: nec deleuit Iebuſeum, ſed paſſus eſt habitare ſecum ſub tributo; ſimiliter & tribus aliæ, ob commoditatem, fecerunt; & tranſgreſſæ ſunt præceptum Domini. Sed poſt tranſgreſſionem, miſit DEVS Angelum ſuum, qui congregatum populum increpauit, improperans, quòd poſt tanta recepta beneficia, pactum Domini violaſſent; proteſtans etiam quòd Dii, quorum aras non ſuccenderant, eſſent ipſis ad ruinam: fleuitque populus, & vocatum eſt nomen loci illius, *locus flentium*, ſiue *lachrymarum*. Poſt hæc tamen nequaquam ſtabiles fuerunt in lege, & præceptis Domini; ſed ſurrexerunt, qui non cognouerunt DEVM, & mirabilia quæ fecit pro populo Iſraël; & ſeruierunt Idolis, & contraxerunt coniugia cum alienigenis. Iratuſque eſt Dominus contra Iſrael, ſicut in libro *Iudicum* legimus, & tradidit eos Dominus in manus diripientium: qui ceperunt eos & vendiderunt hoſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere aduerſariis ſuis. Suſcitauitque Dominus *Iudices*, qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec illos audire voluerunt, adorantes Deos alienos. Cùm enim Dominus Iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. Poſtquam autem mortuus eſſet Iudex, reuertebantur & multò deteriora faciebant. Sic Terram Promiſſionis habitauerunt filii Sem, nunc peccantes, nunc ad prudentiam redeuntes, à morte Ioſue, vſque ad tempora Regum per annos circiter CCCLI. ſub Iudicibus in figura deſcriptis.

Pſal. 47, 3. *Iud. 1, 21, &c.* *Iud. 2, 1. &c.*

CAP. V.

Continet quomodo prædictus populus cœpit habere Reges: & quomodo regnum illud diuiſum eſt in duo ſcilicet Iuda, & decem tribuum: ac finem ſecundi regni.

V. POſtquam *Samuel*, Iudicum vltimus, propheta, conſenuit, duos filios ſuos ad iudicandum populum præfecit: qui nequaquam paterna imitantes veſtigia, poſt quaritiam declinauerunt, accipientes munera, & peruertentes iudicium: quorum inſolentias populus non ferens, petiit Regem ſibi conſtitui: & Diuino nutu poſt *Saul*, primò purum quaſi anni vnius, deindè prauum, & à DEO abiectum, regnauit *Dauid*, propheta Domini, manu fortis, & pulcher aſpectu. Hic audiens *Goliath*, gigantem altitudinis cubitorum ſex & palmo, blaſphemantem DEVM Iſrael, acenſus zelo diuini honoris, cum illo ſingulare elegit certamen: dicenti quoque ſibi Regi. *Non vales reſiſtere Phyliſteo iſti, quia puer es*: Reſpondit, *quia veniebant leo atque vrſus, tollebantq; arietem de medio gregis patris ſui, quem cuſtodiebat; ipſe verò perſequebatur eos &*

1. Sam. 8, 1, &c. *1. Sam. 17, 4. &c.*

IVDICES Iudæorũ.	
40.	*Moyses.*
26.	*Iosue.*
90.	*Othomel.*
8.	*Athoth.*
40.	*Debboora.*
40.	*Gedeon.*
	Sangar.
3.	*Abimelech.*
33.	*Tola.*
22.	*Iayr.*
6.	*Iepte.*
7.	*Abesan.*
10.	*Aylon.*
8.	*Abdo.*
20.	*Sanson.*
40.	*Hely.*
31.	*Samuel.*
SAVL Rex.	

eos & percutiebat eruebatq; de ore eorum; illiq; consurgebant aduersum se, & ipse aduersus eos, apprehendebatq; mentum eorum & suffocabat: dixitq;, *se interfeciſſe vrſum & leonem; & quòd erit Philiſtæus iſte quaſi vnus ex illis.* Quod & factum eſt: Vicit enim eum in funda & lapide; & nomine Domini: & amputatum caput illius tulit in Ieruſalem ad terrendum Iebuſeum. Et poſtquam annis aliquot regnauit, indè expulit Iebuſeum. Erat autem Dauid Rex manſuetus & humilis, & totum ſe diuino cultui mancipauit. Vnde & irriſus à *Micol* vxore ac Saulis filia, quia coram arca Domini ſaltaſſet, Reſpondit: *Ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis ante Dominum, qui elegit me potiùs quam patrem tuum*: humilia enim reſpicit in cœlo & in terra. Sub Rege autem Dauid miro modo aucta eſt potentia populi Iſrael. Liberauit enim Iſrael à tributo Philiſtiim: Moab quoq; & Syriam Damaſci, & Idumeam poſuit ſub tributo. Seruabat enim Dominus Dauid in omnibus, ad quæ profectus eſt. Poſt hunc regnauit *Salomon*, filius eius qui laudabilia habuit initia, & in tantam creuit gloriam, vt Curiæ ipſius eſſet quotidianus cibus, decem boues pingues, & xx. paſcuales, & centũ arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprearũ, bubalorum; ſed & piſces quotidie portabantur: Habebat quoq; XL. millia equorũ currilium, & XII. millia equeſtrium: præcedebatq; in ſapiẽtia omnes Orientales & Ægyptios & Hebreos. Tam præclara autem initia, Salomon extremis fœdauit vitiis: *Cùm enim ſenex factus eſſet, deprauatũ eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut Dauid patris eius; ſed colebat Aſtaraten Deam Sydoniorum, & Camos Deum Moabitarum, & Moloc idolum Ammonitarum:* * *Sicq; fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Diis ſuis. Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, eò quòd auerſa eſſet mens eius à Domino DEO Iſrael, & ait ei, Quia non cuſtodiſti pactum meum, & mandata mea, dirumpens ſcindam regnum tuum: de manu filij tui ſcindam illud, & dabo illud ſeruo tuo. Verùmtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud. Nec totum regnum auferam; ſed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi.* Igitur, poſt Salomonẽ regnauit *Roboam* filius eius, ſuperbus valde. Hic in regni ſui exordio ſupplicanti populo, vt duriſſimum iugum à patre ſuo impoſitum alleuiaret, ſpreto ſeniorum conſilio, ad iuuenum ſociorum inſtigationem, reſpondit: *pater meus aggrauauit iugum veſtrum; ego autem addam iugo veſtro: pater meus cæcidit vos flagellis; ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Turbato igitur ex iis populo, Decem Tribus receſſerunt à regno eius: Ipſe autem regnauit ſuper Iudam, in Ieruſalem. Venit quoque *Seſach* Rex Ægypti in Ieruſalem, & expoliauit Templum. Decem autem quæ ab eo receſſerant tribus, fecerunt ſibi Regem *Ieroboam*, ſeruum quondam Salomonis: qui, ne aliquando rediret populus ad obedientiam Roboam, propter frequentem Templi viſitationem, excogitato conſilio, prohibuit populũ propter Dei cultum aſcendere in Ieruſalem; fecitq; duos vitulos aureos, adorandosq; expoſuit populo, dicens: *Ecce Dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Aegypti.* Et ſub XVIII. Regibus præfatus populus Decem Tribuum, hos vitulos adorauit. Licet ad Ieroboam ſacrificantem miſſus ſit Propheta *Abdo*, qui denuntiauit affuturum Ioſyam Regem, qui ſuper altare illud immolaret ſacerdotes eius; & arefacta ſit immolantis Regis manus in ſignum; ſciſſumq; altare; ſanata quoque manus ad orationem Prophetæ; plus enim credidit Ieroboam ſacerdoti idolorum, dicenti ſtuporem fuiſſe in brachio ex labore; & in altari ex pondere ſciſſionem, quàm vero Prophetæ, & experientiæ ſic expreſſæ. *Achyas* quoque comminatus eſt mortuos de Ieroboam in Ciuitate à canibus, & in agro ab auibus deuorari. *Baaſa* verò occidit Hieu filium Anani: & *Helyas*, poſt occiſos Prophetas Baal; poſt duos quinquagenarios principes, cum ſuis quinquagenis, igne cœleſti conſumptos; Ochoziæ interminatus eſt mortem, quia nuncios miſerit ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon: ſed interim *Micheas* vera prophetans, percutitur in maxilla. *Heliſeus* etiam iniuriam execrans miſit vnum de filiis Prophe-

2. Sam. 6. 21, 22.

3. Reg. 14. 17.

3. Reg. 11. 4.

3. Reg. 12. 1. &c.

3. Reg. 14. 25.

3. Reg. 12. 26. &c.

3. Reg. 13.

tarum vngere *Ieu*, vt domum Achab percutiat in vltionem sanguinis Prophetarum. Postremò, *Oseæ* Decem Tribus ad pœnitentiam reuocat: Et *Amos* inpœnitentium denunciat vastitatem, quam deplorat Micheas. Sæpiùs igitur Prophetarum vocibus ac miraculis replicatis, noluerunt reuerti: propter quod tradidit illos Deus in manibus Regum Assyriorum. Et primò quidem quasi Tribus tres per *Teglatfalasar*, deindè reliquas septem per *Salmanassar* translatas vltrà montes Persarum & Medorum, vltra montes Caspios: missíq; sunt loco eorum coloni de Cura regione Persidis, & de locis aliis: & cùm ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones qui interficiebant eos, eò quòd ignorabant ritum DEI terræ: missusq; est vnus de sacerdotibus captiuis, qui doceret eos quomodo DEVM colerent. Hii *Cutei*, à Cura dicti sunt, & *Samaritani* à Samaria, quam incoluerũt. sicq; propter idolatriam, maior pars filiorum Sem, de Terra promissionis eiecta est.

CAP. VI.

Continet processum & terminum Regni Iuda & Ieruſalem.

VI. Nunc ad Reges Ieruſalem, ſucceſſores Dauid & Salomonis, reuertentes dicamus, quia poſt Roboam regnauit *Abia*, & ipſe malus. Poſt hunc *Aſa* primò
3. *Reg.* 15. 1. &c.
2. *Par.* 13, 1. &c. bonus: ſordes enim Idolorum purgauit, & Æthyopes bello ſuperauit; in fine autem deſipuit: Prophetam quoq; Anani ſe corripientem in neruo mitti iuſſit: pro-
4. *Reg.* 15, 9.
2 *Par.* 14, 1. &c. pterea ægrotauit vehementiſſimo dolore pedum, nec tamen Dominum quæſiuit.
Poſt hunc *Ioſaphat*, patrem imitatus in bonis, de malorum tamen amicitia repre-
2. *Par.* 16, 7. &c. henditur à Propheta Ieu. Cùm autem Amonitæ & Moabitæ & Arabes irruerent
2. *Par.* 17, 1. &c. in Iudam, Rex indicto ieiunio, omnem populum in templum ad obſecrandum Dominum congregauit, & egreſſus hoſtes percuſſit. Quia verò cum Ocozia Rege, cuius opera peſſima fuerunt, amicitias iniit, naues eius quas miſerat in Ophyr,
4. *Reg.* 8, 16. 2. *Par.* 21. in Aſyon-Gaber confractæ ſunt. Poſt hunc *Ioram*, qui idola coluit, & Ieroſolymitas ad idolatriam compulit; ſex quoque fratres ſuos occidit: propter quod, Edom ab eius dominio receſſit: Arabes quoque irruentes in Iudam, vaſtauerunt domos Regias, & abduxerunt vxores Regis & filios præter Oziam occiderunt. Ipſe tandem cronicam incidens infirmitatem, internâ viſcerum corruptione mortuus
4. *Reg.* 9, 29. 2 *Par.* 22, 1. 4. *Reg.* 11, 1. 2. *Par.* 22, 11. eſt. Poſt hunc *Ocozias*, qui fecit malum coram Domino: & regnauit tantùm vno anno, & mortuus eſt. Poſt hunc *Athalia* mater eius: Videns enim filium mortuum, vt poſſet regnare, occidit omne ſemen Regium, excepto Ioas filio Ocoziæ, quem adhuc lactentem, vxor Ioiadæ Pontificis, quæ ſoror fuerat Ocoziæ ex patre, ſex annis, ne interficeretur abſcondit: In ſeptimo autem anno, Ioiada congregatis ſacerdotibus & Leuitis atque centurionibus, eum Regem inunxit; & Athaliam reclamantem occidi fecit. Templum Baal, quod fecerat Ioram & Athalia,
4. *Reg.* 11. 2. *Par.* 23, 1. &c. & aras deſtruxerunt, & ſacerdotem Baal ante aram occiderunt. Poſt hanc *Ioas* qui ſarta tecta templi reſtaurari fecit, & cunctis diebus Ioiadæ rectè vixit: ſed poſt mortem eius à legitimis DEI declinauit; & Optimates ſuo vitiauit exemplo: quod cùm Azarias, qui & Zacharias filius Ioiadæ ſiue Barachiæ, argueret, lapidari fecit inter templum & altare. Et ex tunc, vt ait Epiphanius, nec ex Dabyr, nec ex Ephod, manifeſtè, ſicut priùs, populus in templo reſponſum accepit. Tandem Diuinos honores ſibi exhiberi paſſus eſt: propterea, ſecundùm Hebreos, incurrit languorẽ
2. *Par.* 25, 1. 4. *Reg.* 14. &c. peſſimum; & percuſſerunt eum duo ſerui eius & mortuus eſt. Poſt hunc *Amazias*, primò quod rectum eſt in conſpectu Domini fecit, & colligens exercitum contra Idumeos & Amalechitas percuſſit ex Edom, decem milia; alia quoq; decem milia de monte præcipitata ſunt: tandem idola quæ tulit de Amalech coluit, audiens quia darent reſponſa, & quòd Amalechitæ periſſent, quia ea non dignè coluerant; propter quod poſtea in bello ſuperatur; & muri Ieruſalem deſtructi ſunt cubitis cccc. ſublatíque ſunt theſauri templi ac regii: denique coniuratione factâ contra
2. *Par.* 26, 1. 4. *Reg.* 15, 1. &c. eum, fugit in Lachis, ibíque occiſus eſt. Poſt hunc *Ozias*, qui & *Azarias*: hic quod placitum eſt in conſpectu Domini fecit: Amonitas ſub tributo coegit; muros
4. *Reg.* 15. 32. 2 *Par.* 27, 1. &c. Ieruſalem reædificauit; amator agriculturæ fuit: ſacerdotium tamen ſibi vſurpare præſumpſit, ideò leprâ percuſſus eſt. Poſt hunc, *Ioatham* fecit bonum coram

Domi-

REGES IVDEORVM.	
Saul.	
40. Dauid.	
40. Salomon.	
In Samaria.	*In Ieruſalem.*
22. *Ieroboam.*	15. *Roboam.*
2. *Nadab.*	3. *Abia.*
24. *Baaſa.*	41. *Aſa.*
2. *Ela.*	24. *Ioſaphat.*
7. *Zambri.*	8. *Ioram.*
Amri.	*Ocozia.*
12. *Achab.*	1. *Athalia.*
2. *Ochozias.*	16. *Ioas.*
12. *Ioram.*	26. *Amaſias.*
28. *Ieu.*	52. *Ozias.*
17. *Ioathan.*	16. *Ionathan.*
16. *Ioas.*	19. *Achaz.*
41. *Ieroboam.*	29. *Ezechias.*
23. *Sine Rege.*	55. *Manaſſes.*
6. m. *Zacharias.*	2. *Amon.*
1. m. *Sellum.*	31. *Ioſias.*
10. *Manahen.*	31. *Ieconias.*
2. *Faceia.*	31. *Sedechias.*
20. *Facee.*	70. *Captiuitas Babylonis.*
8. *Sine Rege.*	*Iohannes Sacerdos.*
9. *Oſee.*	*Hic continuatur figura infra cap. x.*

Domino: portam gregis, & portam ſublimiſſimam ipſe ædificauit, quæ *ſpetioſa* dicitur in Actibus Apoſtolorum: de qua infra, parte XIV. cap. VIII. Hic vicit Amonitas, & ſibi tributarios fecit. Poſt hunc *Achaz*: & hic malus; traiecitque vnum de filiis ſuis per ignem, conſecrans Idolo. Huic Iſayas dare voluit ſignum: quo nolente, domui Dauid dedit ſignum, *partum Virginis*, quia niſi crederent cuncti, perirent: quod per Titum & Veſpaſianum completum eſt. Poſt hunc *Ezechias*: qui conuocatis Sacerdotibus & Leuitis, aperuit Templum, vaſa templi reparauit, & reſtituit ſacrificia intermiſſa, deſtruxitque excelſa & ſtatuas. Huius meritis in caſtris Aſſyriorum venientium contra ſe, Angelus interfecit CLXXXV. millia, vnâ nocte: ignis enim diuinus conſumſit corpora eorum, & ſpolia dimiſit intacta. Poſt hunc *Manaſſes*, qui ædificauit excelſa, quæ pater eius deſtruxerat, & erexit aras Baal, & poſuit idolum Luci in templo Domini; & traduxit quendam filium ſuum per ignem; Ieruſalem quoque ſanguine Prophetarum ſe arguentium purpurauit; Iſayam affinem ſuum, iuxta piſcinam Syloe, ſerrâ ligneâ ſcindi fecit, qui dum in principio ſectionis anguſtiaret, petiit aquam vt biberet, & eum nollet ei dare, Dominus de ſublimi miſit aquam in ore eius, & expirauit. Miſit propterea Deus contrà eum Regem Babyloniorũ, & depopulatus eſt Iudam, & Manaſſen dolo captũ, in Babylone multis afflixit tormẽtis: vbi cũ intellexiſſet quòd manus Domini eſſet, egit pœnitentiã, & attentè orauit, & miſertus Dominus reduxit eum in regnum ſuum, vbi idola deleuit, & cultũ Dei reſtituit. Poſt hunc *Amon*, qui fecit malum corã Domino, ſequens patris primordia: & tetenderunt ei inſidias ſerui ſui & interfecerunt eum in domo ſua. Poſt hunc *Ioſias*, hic quarto anno regni ſui, qui erat ætatis XII. ſecundùm Ioſephum, pietatem & iuſtitiam in ſe mirabilem demonſtrauit: Nam populum iam ab idolatria reuocabat; & opera praua, velut ſeniot, emendabat. Anno verò VIII. omnem ciuitatem & prouinciam, à cultu idolorum purgauit. Hic cùm impedire vellet Regem Ægypti ne tranſiret contra Regem Aſſyriorum, ſagittâ vulneratus interiit: & planxit eum vniuerſus Iuda maximè Ieremias, qui ſuper exequias ſcripſit trenos lamentabiles, quibus vtebantur cantores & cantatrices: ferunt quoque fontem & arborem ſtatim aruiſſe, iuxta quæ mortuus eſt. Poſt hunc *Ioachim*, primus filius Ioſiæ: hic malum fecit coram Domino: Vriæ Prophetæ ſe corripienti grauiter comminatus eſt, propter quod fugit in Ægyptum; poſt quem miſit, & reductum, morte turpiſſimâ interfecit: *Ierem. XXVI.* Venit autem *Nabuchodonoſor* & cepit Ieruſalem, & captum Ioachim trahebat ligatum: ſed dimiſit eum ſub certo tributo, accipiens obſides de ſemine Regio, Danielem, & tres pueros. Incarcerauerat autem Ieremiam prophetãtem deſtructionem Ciuitatis & Templi, iuſſitq; ſcindi librum Baruch, *Ier. XXXVI.* Poſt triẽnium verò tributum negauit, & propterea rediens Rex Babylonis interfecit eum, & tulit vaſa templi, ac de domo Regia II. millia de Principibus, & de viris robuſtis VI. millia, & artifices mille. Poſt hunc *Sedechias*, alius filius Ioſiæ: hic fecit

4. *Reg.* 16, 1. 2. *Par.* 28, 1. &c. *Eſai.* 7, 11. &c.

4. *Reg.* 18, 1. 2. *Par.* 29, 1. &c.

4. *Reg.* 21, 1. 2. *Par.* 33, 1. &c.

4. *Reg.* 21, 18. 2. *Par.* 33, 20.

4. *Reg.* 22, 1. &c. 2. *Par.* 34.

4. *Reg.* 23, 36.

4. *Reg.* 24, 18.

malum coram Domino: & negauit tributum Regi Babyloniæ, qui postquam venit circa Ieruſalem, & rediit, miſit Principem militiæ ſuæ, & circumdata & clauſa eſt Ciuitas. Tunc Ieremias extractus de carcere, in quo iam tertiò poſitus fuerat, publicè prædicauit Ciuitatem tradendam in manibus Caldeorum: propter quod in lacum ab optimatibus vſque ad guttur funibus miſſus eſt. Tandem deficientibus victualibus capta eſt Ciuitas, & Sedechias dum fugeret, cõprehenſus eſt, ac præſentatus Regi Babyloniæ in Reblata: qui reprehendit eũ de periurio, & de ingratitudine, & ait, *Magnus Deus, habens te odio propter nequitiam tuam, tradidit te mihi*, fecitq; eius filios occidi in conſpectu ipſius, ipſumq; exoculari, & vinctum catenis duci in Babylonem: vbi & mortuus eſt. In quo finitur regnum Iudæ & Ieruſalem.

Ier. 37, 1.
Ier 38, 6. *4. Reg.* 25, 3. &c.
Ier. 39, 5.

CAP. VII.

VII. *Continet mortem Ieremiæ, & Ezechielis: & captionem reliquiarum Iudæ in Aegypto: & qualiter Cyrus obtinuit Babylonem.* Rubrica.

CAptam ciuitatem, *Nabuzardan* Princeps militiæ Babyloniis incendit, ſimulque templum Domini: translatisque captiuis & vaſis templi in Babylonem, Ieremiæ datur libertas; & *Godolias* præfertur terræ pauperibus, ac vinitoribus qui vectigalia reddant Nabuchodonoſor Regi Babylonis. Ieremias verò poſt hæc ſedit, & planxit lamentationem hanc in Ieruſalem, & amaro animo ſuſpirans dixit: *Quomodo ſedet ſola, Ciuitas plena populo?* Nunc ciuitate vacuâ relictâ ſedes populus inter hoſtes humiliatus qui conſueuit hoſtibus dominari: *Facta eſt quaſi vidua, domina gentium*, priuata Rege, à ſacerdote relicta. *Princeps prouinciarum*, ſupra cap. v. & VI. *Facta eſt ſub tributo*: Regis Babylonis. *Plorans ploranit in nocte*: quia in die eis non dabatur requies: ideo in nocte & tempore quietis, ſuis ſe ſolabantur lachrymis: Tunc oculos quos ad idola leuauerunt, lachrymis abluebant, &c. Deſcenderunt autem reliquiæ Iudæ in Aegyptum, contra conſilium Ieremiæ; ſecumque duxêre Prophetam: & factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam in Tampnis: *Sume lapides magnos & abſconde eos in cripta, quæ eſt ſub muro lateritio in porta domus Pharaonis, & dices ad eos: Hæc dicit dominus, Ecce ego aſſumam ſeruum meum Nabu: & ponam thronum eius ſuper lapides iſtos, & percutiet terram Aegypti, & peribitis vos cum Aegyptiis.* Et lapidauit populus Ieremiam lapidibus quos abſconderat ſub muro lateritio: Aegyptii verò honorauerunt Prophetam ſepelientes eum iuxta tumulum Regum, memores beneficiorum: Nam Aſpides & Cocodrillos oratione ſuâ fugauerat: tradunt etiam puluere illius loci aſpidum percuſſuras ſanari, & cocodrillos fugari. Vndè & Alexander Macedo, veniens ad ſepulchrum Prophetæ, & cognoſcens loci miſterium, tranſtulit ipſum in Alexandriam glorioſo tradens ſepulchro; & ex tunc à terra illa ſunt prohibiti Cocodrilli. Quinto autem captiuitatis anno deſcendit *Nab*: in Syriam inferiorẽ, & obtinuit eam, & Moabitas & Amonitas; & tandem intrauit Aegyptum, eamque ſubuertit, & Regem occidit, aliumque ſubſtituens, Iudeos qui ibi erant, captiuos duxit, ſecundum vaticinium Ieremiæ. XIIII. autem captiuitatis anno, *Ezechiel* adductus eſt in ſpiritu in montem excelſum in Iſrael, & oſtenſa eſt ei deſcriptio Ciuitatis & Templi. Hic in Caldea prophetabat populo. Ad eum verò conuenit aliquando frequentia captiuorum iuxta fluuium Cobar: ſuper quos Caldei rebellionem veriti irruerunt: Ezechiel verò, oratione ſuâ, ſuper aquas fluminis, cum omni multitudine populi ambulans, ad ripam alteram ſe recepit, & quotquot hoſtium præſumpſerunt eos inſequi, ſubmerſi ſunt. Itemque per orationem, piſcium copiam impetrauit populus. Iudicauit etiam transgreſſores legis, & præcipuè quoſdam de tribu Dan & Gad, quòd in Dominum committerent, impiè perſequendo legem cuſtodientes: & fecit contra eos prodigium, vt dicit *Epiphanius*, quia filii eorum & vniuerſa pecora à ſerpentibus perierunt, propter quod exacerbati diſtraxerunt Prophetam, per crepidinem ſaxorum, & excerebrauerunt eum, & ſepelierunt in ſepulchro Sem & Arfaxat, in ſpelunca duplici, ad cuius ſimilitudinem Abraham in Ebron ſepulchrum compoſuit. Iudicauit quoque Iudeos, captiuitatis tempore, *Daniel*, qui cum tribus ſociis nequaquam laſciuiam complexus eſt mundi: ſed ſpernens Regia cibaria atque vinum, ne contaminaretur, leguminibus veſcebatur. Dedit proindè Deus pueris hiis ſcientiam & diſciplinã in omni

Ier. lam. 1, 1.
Ier. 43, 8.
Dan. 1, 8.

libro

REGES BABYLONIÆ.

44.

Nabucod. filius Merodac Baladan.

Nabucod.

Euil-merodac.

Ragasar.

Labosadac.

Balthasar.

REGES PERSARUM.

Darius. Cyrus.

Cambises. c. 9.

Magi. c. 9.

Darius. c. 9.

Xerxes. c. 9.

Sogdianus. c. 9.

Darius notus. c. 9.

Artaxerxes. c. 9.

Ochus. c. x.

Arsanius. c. x.

Darius. c. x.

Alexander. c. x.

libro, & sapientia: Danieli autē intelligentiam omniū visionū & somniorū. Et inuenit Rex in eis decuplū sapiētiæ, sciētiæ & intellectus, super omnes sapiētes regni sui. Liberauitq; Dominus tres socios Danielis de medio fornacis ardentis, eò q; noluerūt statuam auream adorare. Danielē quoq; à lacu leonū, quia à cultu DEI cœli cessare noluerit. Post hæc cœnā faciente *Balthasar* Rege Babyloniorū optimatibus suis mille, bibentesq; cum illis, & vxorib. & cōcubinis suis in vasis, quæ asportauerat Nabuchodonosor de tēplo Ierusalē, & laudāte cum eisdē Deos suos: quia intellexerat transactos LXX. an. nec tamen liberatos Iudeos: apparuit manus scribens, in patiete; facies autē Regis id aspiciens, *cōmutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renū eius soluebantur, & genua eius ad se inuicē collidebantur.* Introductiq; magi & auruspices, sapientesq; Babylonis, scripturam legere nō poterant, nec interpretationē eius indicare Regi, licet interpretator induī purpurā, & torque ornati in collo aurea, tertiusq; deberet in regno vocari. Introductus autē Daniel, ait: *Patrem eius Nabuchodonosor summā in regnis habuisse gloriam; sed quia in superbia obfirmatū fuit cor eius, ab humano cōmutatum est, & cor ferę datū est ei, vt sibi appareret in parte anteriori esse bos, in posteriori leo: secundùm mysteriū tyrannorū, qui in prima ætate voluptati ac ceruicositati, in fine crudelitati & rapacitati dediti sunt: vt fœnū, vt bos comedere, multaq; huiusmodi, donec cognouit, quia Altissimus potestatem habet in regno hominū, & cuicunq; vellet, daret illud. Tu quoq; filius eius, Balthasar, nō humiliasti cor tuū, cùm scires hæc omnia; sed aduersus dominatorē cœli eleuatus es: & vasa domus eius allata sunt corā te, & tu & optimates tui, & vxores & cōcubinæ tuæ, vinū bibistis in eis. Idcircò manus exarauit,* Mane, techel, phares: *Et hæc interpretatio eius:* Mane, *numerauit Dominus regnū tuum, & cōpleuit illud:* Techel, *appensum est in statera, & inuentū est minus habens:* Phares, *diuisum est regnum tuū, & datū est Persis & Medis.* Eadem nocte interfectus est Balthasar. Cùm enim *Cyrus* Babylonē illo tempore obsideret, & fluuius Ganges, vnū Regiorū equitū interciperet, transnatandi fiducià persuasum: Rex iratus in amnē vlcisci statuit, cōtestans eum, qui præclarū voraret militē, femoris vix genua tingētibus permeabilē fieri. Productisq; fossoribus, in CCCCLX. alueos cōminuit, ipsaq; nocte visionis prędictæ ac cœnæ, siccatis aquis factoq; impetu capta est ciuitas, & mortuus Balthasar sicut prædixerat Daniel: Successitq; ei *Darius*, cui Cyrus quasi maiori in omnibus deferebat.

Dan. 3, 20. &c.

Dan. 5, 1.

Dan. 5, 31.

CAP. VIII.

Continet captiuitatis relaxationem, sub Iesu magno Sacerdote: Inchoatam quoque templi reædificationem.

VIII.

ISte Iesus filius fuit Iosedech filii Sarayæ Sacerdotis *1. Paral. VI.* Qui Iosedech, vt ibi dicitur, egressus est quando transtulit Dominus Iudā: & est idem qui *Esdras*, secundū aliquos; secundum verò alios, frater eius, vt probatur. *1. Esdr. VII.* Iohānes autē ductor fuit populi de captiuitate. *1. Esdræ III.* Præfueruntq; Iudæis Sacerdotes post captiuitatē Babilonię annis multis. Anno autē primo Darii, Daniel orauit Dominū, vt Darius & Cyrus liberaret populū suū. Intellexerat enim numerū LXX. annorū desolationis Ierusalē, dictū per Dominū ad Ieremiā esse cōpletū. *Dan. IX.* Promulgatā proindè sentētiā de danda licētia, Darius morte præuentus est. Post mortē verò Darii, *Cyrus* Orientis Monarchiam obtinuit, primoq; anno regni sui excitatus verbis Hay. XLV. qui annis CX. antè prædixerat, *Hæc dicit Dominus, christo meo Cyro cuius apprehendi dexterā: subiiciā illi gentes & regna: ipse ædificabit mihi domū in Ierusalē:* licentiā dedit Iudæis redeūdi & ædificandi domū Domini; & qui nollēt ascendere, iuuarēt ascendētes. Hoc Regis gentilis edictū, tēpore Passagii cautū reddat Principē Christianum, cuius exemplū habetur, infra *part. VII. c. IV.* Ipsi verò quia penè cūcti nati erāt in Caldea, & possessiones acquisierāt, eligebāt potiùs remanere in terra natiuitatis suę. Quod vidēs Daniel, iterū orauit, vt qui Regi dederat licētiādi animū, repatriādi populo daret votū. Erat autē inter Iudęos *Zacharias* in Iudæa natus, qui benedixit Salatiel in filio, vocās eū *Zorobabel*, q; interpretatur, *Magister Babylonis*, quasi dicat, hic erit magister captiuitatis Babylonię: ad cuius Prophetę exhortationē, simulq; Aggei iuuenis necdū Prophetæ *1. Esdr. I.* primi surrexerunt de tribu Iuda, postea viri

Dan. 9. 1. &c.

Esa. 45. 1. &c.

1.Esd.2,7. 64.&c. Beniamin & Leuitæ vt ascenderent Ierusalem; & ascenderunt quinquaginta milia: ex Iudeis XLII. milia, CCCXL. reliqui verò, serui & ancillæ: sub Zorobabel Duce & IESV magno Sacerdote: remisitque cum eis Cyrus partem vasorum Templi
1.Esd.1,7. Domini vsq; ad V. millia, CCCC. Anno autem regressionis, congregatus populus, æ-
1.Esd.3,2. dificato altari, obtulit sacrificium matutinum & vespertinum: Anno autem secun-
1.Esd.3,8. do, mense secundo, iecerunt fundamenta templi. Porrò *Samaritæ*, de quibus suprà.
1.Esd.4. cap. V. cùm opus per se impedire non possent, dederunt munera Principibus Regis,
1.&c. qui eis fauerunt, Cyro ignorante: propter quod Cyri tempore, muri non nisi ad appodiationem erecti sunt.

CAP. IX.

Continet gesta Iudith, Esdræ, Nehemiæ & Esther, sub Sacerdotibus Ioachim, Eliasib. & Iuda.

IX. MOrtuo Cyro, *Arfaxat* quidam Medus in Egbatanis surrexit, & reparauit e-
Iudit.1,1. am, & inexpugnabiliter munitit, quasdam partes Mediæ reconcilians, vt tandem toti Mediæ imperaret: transtulerat enim Cyrus sedem regni de Medis
1.Esd.4,6. nobilioribus, in Persas. Hunc Arfaxat, *Cambisis* Cyri filius, apud Esdram dictus *Ar-*
Iud.1,6.&c. *taxerses*, qui *Assuerus*, in Iudith verò *Nabuchodonosor*, expugnauit & vicit; factusque Monarchus in superbiam elatus est, misitq; ad omnes qui habitabant in Cilicia & Damasco, & Terra Promissionis, exigens ab eis tributa longè gratiora, quàm antecessores sui, qui omnes vno animo contradixerunt sibi. *Iudit.1.* Misitq; *Holofernem*
Iud.2,4. Principem militiæ suæ, qui occupauit omnia in Cilicia & Mesopotamia vsque ad mare; & humiliauerunt se per Legatos vniuersarum vrbium & prouinciarum Re-
Iud.3.8.&c. ges, & exibant ad eum cum coronis & lampadibus ducentes choros; nec tamen ferocitatem animi eius poterant mitigare, quin ciuitates & lucos destrueret: præceperat enim Nabuchodonosor, vt omnes Deos terræ exterminaret, ipseque solus
Iud.4,1.&c. adoraretur. Audientes autem filii Israël timuerunt ne similia faceret Ierusalem & Templo, & munierunt angusta viarum; humiliauerunt q; se ad exhortationem Ioachim sacerdotis; & operuerunt altare Domini cilicio, seq; cilicio & cinere. Sci-
Iud.5.1. &c. scitanti igitur Holoferni, *quisnam esset hic populus*: respondit, Achior dux Amon, quòd *de Caldea exierint, de seruitute quoque Aegypti & Babylonis; nec vinci posset nisi Deus suus*
Iud.6,1. *illi foret iratus*. Mittitur proindè Achior, vt cum Iudeis habitans, cum eis captus,
Iud.7,6. puniatur; & cognoscat quia nullus sit Deus præter Nabuchodonosor. Inuenitq; Holofernes aquæductum quo refodillabantur in ciuitate: eo verò sublato, & tumultu populi suscitato sacerdos Ozias decreuit quinque diebus adhuc sustinendo, Dei
Iud.8,1. misericordiam expectare. At *Iudith* de tribu Ruben, vidua & casta, redarguit sacerdotes, quòd Dei misericordiæ terminum imposuissent; & præmissâ oratione,
Iud.10.3. vnxit se, & induit se vestimentis ioconditatis suæ: & Olofernes statim captus est, in ea, & dixerunt Assyrii, *Quis contemnat populum istum qui tam pulchras mulieres habet?*
Iud.12,1. Expositâ autem causâ aduentus sui, ne scilicet cum suo populo moreretur, iussit eam introduci in locum thesauri sui: quæ petiit opportunitatem egrediendi ad o-
Iud.13,9. rationem. Et sollicitata est Iudith intrare ad Olofernem; bibitque ac comedit cum eo; ille verò inebriatus est nimis, cui dormienti Iudith caput abscidit, & fecit super muros poni, insultumq; ciues facere in Assyrios. Qui videntes cadauer Olofernis,
Iud.14,14. dixerunt: *vna mulier Hebræa, posuit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Iudei autem postquam eos persecuti sunt triginta diebus, tulerunt spolia. Achior autem circum-
Iud.15,10. cisus, appositus est ad populum Israël. Venit quoq; ad visitandum Iudith, Ioachim cum vniuersis presbyteris. Ipsaq; ascendit post canticum in Ierusalem, & obtulit
Iud.16,23. vota sua, & chonopeum Olofernis purpurâ, auro, gemmisq; contextum, & vasa e-
1.Esd.4.15. ius vniuersa: & completis C V. annis mortua est. Scripserunt autem Principes trans flumen Cambisi, quòd Ierusalem reædificaretur, ciuitas rebellis Regibus; nec posset Rex facilè postea aditum habere in Syriam: propter quod intermissum est opus Dei vsque ad annum secundum *Darii* Regis Persarum. Huic Dario Zorobabel cùm animum Cambisis ad Dei opus conseruandum flectere non valuisset, occultè suasit, vt votum faceret Deo Israël, quòd si eum Regem faceret, ipsius templum restauraret in Ierusalem, & vniuersa eius vasa remitteret: quo facto cùm audiret Zorobabel regnare Darium, ipsum fiducialiter adiit,
3.Esd.3,1. &c. & vltra quàm speraret, ab eo honoratus est: Nam in cubiculo Regis, cum aliis duobus Cubicularijs dormiebat. Porro Rex cœnam exhibuit Satrapis

Persa-

Persarum *II. Esdræ III.* & præfectis Indiæ & Æthiopiæ, & magistratibus CXXVII. prouinciarum. Illamq; noctem Rex expergefactus duxit insomnem. Propositúque suis custodibus, quod *ex trib. fortius videretur, Rege*, scilicet, *Muliere* vel *Vino*: promittens munera ei qui sapientius responderet. Et primus quidem ait fortiorem *Regem*, quia cùm homines cunctis præsint animantibus, Rex præest hominibus. Secundus, *vinum* prætulit: quia cùm Rex animi præsit vigore, vigorem animi vinum affert. Zorobabel verò, *mulierem* vtrisque præcellere ait: nam & Regi, & eis qui vitem plantant dominantur: & eis conferunt vitam, & alimentum, & viri pro eis animas suas ponunt; vidisséque se ait Regis cuiusdam concubinam alapas illi dare; & cum dolente Regem dolere, & cum gaudente gaudere: super omnia autem *Veritatem* omnibus prævalere asseruit, quæ immutabilis est & sempiterna. Cùm iudicarent omnes veritatem prævalere, ad Zorobabel ait Rex, vt quod vellet peteret, & impetraret. Qui petiit Templi ædificationem, & vasa ipsius mitti in Ierusalem. Et gauisus est Rex propter votum; scripsitque litteras Principibus vltra flumen, quòd eos non impedirent, sed potiùs de sumptibus Regiis eos iuuarent. Zorobabel autem, portans vasa templi, ac reditum faciens per Caldeam, muros de contribulibus suis duxit in Ierusalem. Post defunctum Darium regnauit *Xerxes* filius; post quem alter filius *Artaxerxes*: quo tempore *Esdras* Aaronita, qui successam à Caldeis legem reparauit, inuenitque gratiam in oculis Artaxerxis, & licentiam obtinuit vt ascenderent in Ierusalem, ad inuentam legem populo explicandam: habuitque epistolas ad Principes trans flumen, vt traderent Esdræ necessaria: & ministri templi absoluti sunt ab omni tributo: habuit quoque potestatem amouendi & cõstituendi Iudices, secundùm sapientiam suam, & puniendi contumaces. Venit autem cum XVII. millibus; & siluerunt tribus diebus: quarto die obtulerunt in domo Domini, quæ secum attulerant; adiurauitque tunc Esdras Sacerdotes & Principes, vt abiicerent vxores alienigenas, & eos qui de eis nati erant. Eiusdem quoque Artaxerxis pincerna erat *Nehemias*, & cùm esset in Susis castro, audiuit peregrinos Hebraicè loquentes: & scisitatus est ab eis de statu Iudeæ & Ierusalem; & accepit ab eis vrbem esse sine muris, & populum Dei ibi habitare in afflictione: nam per diem sustinebant impetum hostium, & noctibus intrabant latrunculi, & plateas implebant cadaueribus mortuorum: & fleuit Nehemias, ac panem desiderabilem non comedit. Rex autem cognitâ causâ tristitiæ, licentiam dedit eundi, præfixo termino redeundi; & epistolas ad Principes trans flumen, de exhibendo Nehemiæ, tanquam suo Legato ex latere, honore. Misitque Principes militum, & equites, deditque mandatum de reædificanda Ierusalem. Duxit quoque secum de Babylone multitudinem ex filiis captiuitatis: Veniensque Ierusalem siluit tribus diebus, & nocte consurgens cum paucis circuibat ruinas murorum, & considerans quomodo reædificari posset. Quartâ die locutus est ad multitudinem dicens: *Venite, reædificemus; & non simus vltra in opprobrium gentibus.* Nehemias ergò, & Helyasyb summus sacerdos cum multis de populo ædificauerunt muros, cum sex portis, impedientibus finitimis nationibus: propter quod Nehemias mediam partem populi armatam statuit extra ciuitatem; alia verò pars media ædificabat, vnâ manu ponens lateres, alterâ tenens gladiũ. Post ędificatũ autẽ murum, præcepit vt clauderẽtur portę ante solis occasum, nec aperirẽtur ante solis calorẽ, cõuocauitq; populũ ad audiendã legẽ. Videns quoq; Ciuitatẽ vacuã habitatoribus, rogauit optimates habitare in Ierusalẽ. Et benedixit sponte habitantibus; & inter populares missa est sors vt habitaret decimus in Ierusalem: rediitque ad Regem, & mortuus est ætate venerandâ, & sepultus in Ierusalem. Post hæc constituto Rege altero *Artaxerxe* mediis pluribus, interfectaque inobediente Reginâ Vasti, Rex in regni consortem elegit *Esther*, orbatam vtroque parente, adoptatam in filiam à patruo Mardocheo, qui versabatur in vestibulo domus Regiæ, vt curam gereret filiæ adoptatæ. Eo tempore irati sunt duo Eunuchi ianitores, & in Regis necem machinati: quod non latuit Mardocheum. Idque ex nomine eius, detulit ad Regem Esther: & suspensi sunt in patibulo, traditumque est in Regis annalibus. Post hæc exaltauit Rex Aaman Amalechitem de genere Agag, & adorabant eum omnes serui Regis, præter Mardocheum: quod ille attendens, cognoscensque Hebreum, Regi suasit fouere pacem, asserens *dissimilitudinem, pacis nouercam*: gentem verò Hebream

1. *Esd.* 7, 1. &c.
3. *Esdr.* 8, 1. &c.
2. *Esdr.* 1, 1. &c.
1. *Esd.* 2, 6. &c.
2. *Esd.* 2, 18.
2. *Esd.* 3, 1. &c.
Esther. 2, 7. &c.
Est. 3, 1. &c.

in regno suo, nouis è contra, ait legibus vti & ceremoniis: Tunc Rex anulum dedit Aaman, vt de populo iudicaret. Ille litteras scripsit ex nomine Regis per omnes prouincias, vt XIII. die duodecimi mensis, omnes Iudei perirent, & bona sua diriperentur. Quo Esther audito, Iudæis indixit ieiunium: & consilio Mardochei, exponens se periculo, non vocata intrauit ad Regem, vni innixa puellæ, defluentes vestes alterâ sustentante, qui cùm eam torùo inspexisset oculo, collàpsa est: Tunc Rex extendit sceptrum aureum in signum clementiæ contra eam, & properans cõsolabatur eam, dicens: pro subditis datam mortis legem accedentibus non vocatis; ipsa verò consors erat imperii, asserens quia quicquid peteret impetraret. Petiit autem Esther, vt Rex cum Aaman ad conuiuium suum iret ipsâ die: & cùm post cibum Rex scire vellet petitionem, Esther in crastinum distulit, rogans, & sequenti die cum Aaman secum prandere. Egressus igitur Aaman lætus, cùm vidisset * Mardoceum sibi non assurrexisse, consilio vxoris & amicorum, altitudinis cubitorum L. crucem parari iussit, vt in ipsa suspenderet Mardocheum. Noctem autem illam Rex duxit insomnem, & sibi legi iussit annales: Legiturque quomodo per Mardocheum à morte liberatus sit, & quærente Rege, quod honoris consecutus sit, respondetur. *Nihil.* Tunc Rex quæsiuit quis esset in atrio: & inuenitur Aaman. Intrauerat enim vt Regi suggereret de morte Mardochei. Accersito igitur Aaman, ait Rex, *Quid fiet viro quem Rex voluerit honorare?* Qui de se dictum reputans, respondit, *quia stolâ Regiâ deberet indui, diademate coronari, ac sedere super equum Regis: & primus de Principibus teneat equum, & per ciuitatem incedens clamet: Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare. Et ait ei Rex, Vade, sic facies Mardocheo.* Quibus peractis domum rediens Aaman, lugens audit ab amicis; *Si Mardocheus ante quem cadere cepisti, est de semine Iudeorum, non præualebis, potiusq; succumbes.* Et ecce nuntii compulerunt eum egredi, ad conuiuium Esther, apto que tempore ait Rex, *Pete quod vis, Esther.* At illa, *dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro, ne pereamus:* respondit que Rex, *Et quis est qui hæc facere audeat:* Et Regina subintulit, *Hostis noster, iste Aaman.* Rex iratus, surgens intrauit ortum; Aaman autem supplicabat Reginę pro anima sua: rediens verò Rex, Aaman iussit cruci affigi quam parauerat Mardocheo: & omnia quæ ipsius fuerant, donauit Esther. Illâ autem referente, quia Mardocheus auunculus eius esset, Rex illi anulum dari fecit, quem tulerat ab Aaman. Scripsit que Mardocheus litteras reuocationis primarum; & quòd omnes qui parati erant Iudeos occidere, in eorum manibus traderentur. Et factum est nomen Iudeorum celebre; ita vt multi religioni iungerentur illorum, sub regimine Iudæ summi sacerdotis.

Esther.4,16. *Esther.5.1. & 15,17.* * *Ex sept.* *Esth.6,1. &c.* *Esth.7,2. &c.*

CAP. X.

Continet inuidiam in Iohannem sacerdotem & successorem Iadum: mortem Alexandri tempore, Oniæ & Ptolomei persecutionem in Iudeos: Translationem quoque Diuinæ legis per LXX. *Interpretes, tempore Eleazari sacerdotis.*

POst defunctum Artaxerxem, successit alius *Artaxerxes* qui & *Ochus*: Hic Vagosum misit præfectum vniuersis prouinciis trans flumen. Erat autem summus Iudeorum sacerdos in Ierusalem *Iohannes*, qui Iudæ patri successerat: cui inuidit frater IESVS ad Pontificatum aspirans, ac per hoc Vagosi familiaris effectus est: hac confidentiâ cum summo sacerdote altercatus, in tantam compulit iram, vt discolum fratrem occideret: quo euentu Vagosus permotus animo, Ierusalem ascendit, prohibitusque à Templi ingressu, non cessit, se cadauere asserens mundiorem, quo Templum prophanauerant: Ingressusque templum expoliauit, imponens ministris tributa anni septimi, à quo, interuentu Nehemiæ, fuerant absoluti. Successit autem Ocho *Arges*, qui & *Arsanius*, qui trans flumen regionibus *Sarabalam* præfecit, de genere Cuteorũ. Mortuoq; Iohanni summo sacerdoti, successit *Iadus* filius, cuius frater *Manasses* ad Pontificatum aspirans, in vxore assumpta Isacha filia Satabalæ, ministrare præsumens, prohibetur à Ierosolymitis, ni gentilem dimittat vxorem: Ille indignatus se transfert cum vxore ad socerum, qui ei templum in Garizi, instar Ierosolymorum, interueniente tamen consensu Regis Persarum, ædificare pollicitus est. Post Argem regnat filius *Darius*: Eodemque anno

REGES IVdæorum post captiuitatem Babyloniæ vsque ad Christum.

4. *Iesus c.8.*

26. *Ioachim c.8.*

12. *Elyasib. c.9.*

15. *Iudas. c.9.*

41. *Iohannes c.X.*

54. *Iadus. c.X.*

17. *Onias. c.X.*

10. *Symon. c.XI.*

17. *Eleazarus c.X.*

9. *Onias. c.XI.*

12. *Symon. c.XI.*

19. *Onias. c.XI.*

31. *Iesus. c.XI.*

11. *Iohannes. c.XI.*

4. *Alchimus. c.XI*

3. *Iudas. c.XI.*

19. *Ionathas. c.XI.*

8. *Symon. c.XI.*

23. *Iohannes. c.XI.*

Aristobolus. c.12.

38. *Alexander. c.12.*

Alexandra. c.12.

2. *Hyrcan⁹ c.XII.*

37. *Herodes. c.XII.*

anno *Alexander Magnus*, qui ad Persicum properans bellum, cæsis hostibus semel & iterum, Tyrum obsedit, obtinuitque. Tunc Sarabalam de suis eligens VIII. milia, ad Alexandrum profectus est, se illi libentius quàm Dario velle obsequi ait: gratéque susceptus est. Nuntiat deindè se habere generum Manassen, cui templum & altare vellet erigere: idq; esset vtile Alexandro, eò quòd infirmior esset Iudeorum natio sic diuisa. Deprecanti autem, Alexander concessit, illeq; perfecit: stetitq; phanum, quousq; Romanorum destructio subsecuta est. Iado verò sacerdoti, cùm adhuc Tyrum obsideret scribit Alexander, vt auxilium præbeat, atque venalia exercitui paret; reddatq; tributa quæ prius Dario conferebat. Pontifex, ait se Dario sacramenta dedisse; nec posse illo viuente violare fidem: Tunc eõminatus est Alexander genti Iudeorum, quia per eum discerent cui obtemperare deberent. Subactâ Tyro, & mortuo Sarabala, Ieroſolymã festinat, quem timentes Iudei, clamauerunt ad Dominum. Dormitanti proindè, sacerdoti ait Deus, eos *confidere, vrbemq; sertis ornare: ipse verò Pontificalibus, cæteri autem sacerdotes legitimis stolis induti, irent obuiam Alexandro.* Quibus completis, intuens Pontificem Alexander, equo dissiliit, eumq; solus adiit; & nomen tetragrammaton, quod in lamina erat aurea, super Cydarin, adorauit; Pontificemq; veneratus est: dixitq; militibus, mẽtem Regis ludificatam putantibus, se cũ adhuc esset in Licia ciuitate Macedoniæ, in illo habitu Deum vidisse, principatum sibi pollicentem Persarum. Ingressusq; vrbem, sacrificauit secundùm sacerdotis ostensionem, in templo Dei: non ad eius cultum verâ pietate conuersus, sed impiâ vanitate cum diis eũ falsis colendum putans: *vt ait Augustin. XVIII. de ciu. Dei.* Post sacrificium autem, lecto Daniele, tributa septimi anni dimisit. Cùm verò Alexãder veneno periit, *Onias* Iadi filius, Pontifex erat. Decidit autem in lectũ Alexander, & cognouit quia moreretur: & vocauit pueros suos, qui secum nutriti fuerant à iuuentute sua; & diuisit illis regnum suum, cùm adhuc viueret: & cùm regnasset annis XII. mortuus est. Non enim voluit in vnam Monarchiam transferre, ne ei par quisquam in potentia videretur: sed in XII, socios regnum diuisit, quatuor autem, abiectis aliis, tandem regnauerunt. In Ægypto, *Ptolomeus* Lagi filius; in Asia, *Antigonus*; in Syria, *Demetrius*; in Macedonia, *Philippus*: secundùm quod prophetatum fuerat in visione decima Danielis XI. cap. *Surgens verò Rex fortis*, Alexander, *& dominabitur potestate multâ & faciet quod placuerit ei: cum steterit*, scilicet in robore suo, *conteretur regnũ eius, & diuidetur in quatuor ventos cæli.* quia Ægyptus, est ad Meridiem; Syria, ad Septentrionem; Asia, ad Orientem; Græcia, ad Occidentem. Ptolomeus autem regno suo adiecit Syriam; voluit addere & Iudeam, & ascendit Ierusalem die Sabbathi, sciens Iudeos arma non moturos: & nullo contradicente, intrauit. Multos autem de Iudæa & de Gatizi traxit captiuos in Ægyptum, & venditioni exposuit: & à negotiatoribus nationum distracti sunt, & per orbem dispersi, plusquam in aliqua captiuitate: propter quam Act. II. dicitur, quòd conuenerant in Ierusalem ex omni natione quæ sub cœlo est. *Symoni* verò Iusto successit filius *Eleazarus*, cuius tempore regnauit in Ægypto *Ptolomeus Philadelphus*, superioris filius, studiosus nimis cupiduſque librorum. Hic cùm à Demetrio qui bibliothecæ eius præerat, de numero librorum quæreret, audiuit viginti adesse milia: sed paulò post vsque ad L. milia post se venire cognouit. Et cùm ei nuntiatum esset de lege Iudeorum, Dei ore prolata; & quòd propter legis sanctitatem non nisi à Dei cultoribus posset transferri: nam & Theopompus cum historiis quas scribebat hanc vellet inserere, versus est in amentiam diebus XXX. Theotectus quoque pro eadem causa factus est cæcus; sed pœnitentes sanati sunt: scripsit Eleazaro summo

1. *Mach. 1.*

sacerdoti, vt Iudeos peritos Græcæ linguæ ad se dirigeret, cum lege Dei, qui ad eam transferendam sufficerent. Misit igitur Eleazarus, ad interpretandum legem, sex viros seniores de vnaquaque tribu: & cùm essent tribus XII. ferunt interpretes in vniuerso fuisse LXXII. Peracto verò negotio, remisit Rex interpretes ad Eleazarum cum muneribus: & inter cætera misit mensam auream gemmis impretiabilibus insignitam, cuius crassitudo cùm esset dimidii cubiti, tamen materiam opus superabat.

CAP. XI.

Continet Iudeorum diuisionem sub Onia, contra se bellantibus Syria & Aegypto: ac persecutionem Regum Syriæ, Seleuchi & Antiochi, in Iudeos: & depositionem ac mortem alterius Oniæ: mira quoq; Machabeorum gesta.

POstquam Iudea à Ptolomeis molestias perpessa est, Reges Syriæ vexationem addiderunt afflictis. Pugnante enim *Antiocho magno* contra Ptolomeum Epiphanem, Iudea in medio posita, in contraria studia scindebatur: secundùm *Ieronym. super Danielem*: aliis Antiocho, aliis Ptolomeo fauentibus. Denique *Onias* sacerdos filius secundus Symonis Iusti assumptis plurimis Iudeorum fugit in Ægyptum: & à Ptolomeo honorificè susceptus est; acceptaq; regione Elyopoleos, concedente Rege, templum constituit simile templo Iudeorum: complens vaticinium Isayæ. XIX. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti*: quod permansit vsque ad tempora Vespasiani. Cum verò Anthiocus teneret Iudeam, scopas conduxit exercitum Ptolomei, Iudeam capit, & plurimas ciuitates; & partem optimatum Anthioci secum in Ægyptum adduxit. Postea autem Antiochus scopam iuxta fontes Iordanis fugauit: veniensq; Ierusalem, honorificè susceptus est. Expugnatoq; scopæ præsidio in arce Ierosolymorum, eos qui partium eius erant persecutus est; & cognitâ Iudeorum erga se voluntate, magnis eos honorauit muneribus. Post Anthiocum verò, regnauit *Seleucus Eupator*; filius eius pessimus, sed iners. Pontifex autem Iudeorum erat *Onias*, post *Symeonem* superioris Oniæ filium. Huius igitur Oniæ temporibus, propter ipsius Oniæ pietatem, leges optimè seruabantur; & templum maximis illustrabatur donis: ita vt Seleucus præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum. Symon autem, de tribu Beniamin, suggessit Apolonio, qui dux erat Celesyriæ & Phœnicis, ærarium Ierosolymis esse plenum pecuniis, & possibile esse sub potestate Regis cadere vniuersa. Cumque ille retulisset ad Regem, accitum Helyodorum Rex misit Ierusalem ad spoliandum ærarium: non vasa, sed donaria templi. Elyodoro autem ait Pontifex, ibi deposita esse & victualia viduarum. Constitutâ autem die, cùm intraret Elyodorus dispositurus de his, per vniuersam ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se; & inuocabant de cœlo eum, qui de depositis legem dedit. Iam enim qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur; facies enim & color immutatus indicabat internum animi dolorem; cunctique protendebant manus ad cœlum: ac omnipotens DEI virtus fecit magnam suæ ostensionis euidentiam. Illo enim Templum ingresso, surrexerunt duo iuuenes: videtur *Iosephus* velle, quòd fuerint Angeli: & comminuerunt eum. *II. enim Mach. III.* dicitur, quòd apparuit terribilis sessor equi, & conculcauit eum, & comminutus est. Timens verò Onias indignationem Seleuchi, orauit ad Dominum & reuixit: Elyodorus autem hostiâ DEO oblatâ, repedabat ad Regem, testabaturq; omnibus ea, quę sub oculis viderat, opera magna DEI. Acsciscitanti Regi, quis esset aptus semel adhuc initti, respondit: *si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc; & flagellatum recipies si tamen euaserit.* Post hæc *Antiochus*, frater eius qui Romæ obses erat, cognoscens fratris inertiam, ad regnum aspirans, clàm Romam egressus est, licet aliqui eum rediisse asserant sub coniuentia senatorum; & reuersus, primùm se cunctis benignum ostendit: strenuus autem erat in agendis, & acer in hostes, vndè & à populo cognominatus est *Epiphanes*, id est, Illustris, qui I. Machab. I. dicitur *radix peccati*. Vndè scilicet, cepit illo tempore apostatare à Dei lege populus Israël. Suscepto autem regno, iniquitatem sibi insitam, mortuo fratre aperuit, quam pro obtinendo regno palliauerat. Et surrexerunt in Israël filii Belial, & perierunt ab eo, vt

2. Mach. 3. 1. &c.

facc-

facerent in Ierusalem *ephebiam*, id est lupanar ephebeorum: & quòd Israelitæ scriberẽtur *Antiocheni*: & ædificauerunt gymnasium, in quo dogmatizabant de ritu gentium: & fecerunt sibi præputia, id est, non circucciderunt pueros, *1. Mach. 1.* Ratio autem tantorum malorum ponitur *11. Machab. 1v.* Onias enim Pontifex sine liberis erat, habens duos fratres, quorum vterque summum ambiebat sacerdotium: & vt placerent Antiocho, declinauerunt ad ritus gentium, & nomina gentium sibi præposuerunt. Vnde IESVS dictus est *Iason*; & *Iohannes* dictus est *Menelaus*. Iason autem plures habens secum, promissâ pecuniâ sacerdotium ab Antiocho obtinuit, & tunc, *vt ait August.* ignis sacrificii qui per LXX. annos Babylonicæ captiuitatis durauerat, extinctus est. Postea Antiochus amouit Iasonem, & eleuauit Menelaum, qui secutus est Oniam in Antiochiam: descenderat enim ad Regem, propter facinus fratrum, si forte Regis animum mutare potuisset: Et cùm nequisset, sedentem in Antiochia Menelaus per Andronicum, cui Antiochus Iudeam commiserat, occidi fecit. Delatâ verò huius cædis ad Regem querelâ, flexus ad misericordiâ lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem & modestiam. Et Andronicum purpurâ exutum, & per ciuitatem circumductum, in ipso loco vbi Oniam occiderat, interfici iussit. Contigit autem Antiochum (*sequenti capitulo*) iterum ascendere in Ægyptum: & tunc Ierosolymis, per XL. dies viæ fuit acies armatæ atque pugnantium: & orabant omnes, in bonum monstra conuerti. Postquam verò expulsus est Antiochus ab Ægyptiis, venit in Iudeam; & expoliauit templum, occisis octoginta milibus, & totidem vinculatis, aut venundatis: & profectus in Antiochiam, misit Apolonium cum exercitu, vt omnes interficeret adultæ ætatis. Tertiò quoq; de Ægypto rediens, expoliauit templum, ponens in eo Idolum Iouis; & oblationes Mosaycas fieri prohibuit: posuitque ibi gentem peccatricem. *1. Mach. 1.* Tunc duæ mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quæ cum filiis ad vbera suspensis, per vrbem circumductæ, per muros præcipitatæ sunt. *11. Machab. vi. Eleazarus* quoque vnus de principibus scribarum, quia noluit contra legem suillas comedere carnes, plagis interemptus est. Mater quoque (*sequenti capitulo*) cum septem filiis, diris cruciatibus vitam finiuit. Tunc multi Iudæorum, aut timore aut sponte sita Regis adimplent. Erat autem vir in Modyn, *Mathathias*, de vice Ioachim, qui vnus fuit de XXIV. sacerdotibus quos instituit Dauid. Est autem *Modyn* iuxta Emaus distantem LX. stadiis à Ierusalem. Et venerunt emissarii Regis in Modyn, statuentes aram vbi ad sacrificandum cogerent Iudeos, & inuitauerunt Mathathyam: Ille autem renuente, accessit quidam Iudeus vt sacrificaret, quem interfecit Mathathias, ac nuntiũ Regis, aramq; destruxit, & clamauit, *Qui Domini est, sequatur me.* Multi aut omnia relinquentes, secuti sunt eum in solitudine. Tunc emissarii Regis intulerũt illis bella Sabbathis, qui nec speluncas oppilauerunt. Mathathyas autem docuit eos pugnare Sabbathis. Vnde Beda super Matth. *Quod non est licitum in Lege, necessitas licitũ facit: nam & Sabbathum custodiri præceptum est; & Machabei tamen in Sabbatho pugnant: Sic,* inquit, *hodie, si quis vnanimum fregerit egritudinem, reus voti non habetur.* Et ponitur, *extra de Reg. iuris.* Collectaque manu aras destruxit, & immolantium quos potuit interfecit. Hunc magistratum anno vno gessit: moriturus autem, filiis quinque patrias commendauit leges: corpora dicens mortalia; factorum verò monumenta, immortalitatis consequi ordinem. Post hunc autẽ surrexit filius eius *Iudas*; & induit se loricâ, sicut gigas; similis factus est leoni in operib. suis: & dilatauit gloriâ populo suo: vnde & dictus est *Machabeus, à Machos*, quod est pugna; & *beo, beas*: quasi beatus in pugna. *Apolonius* autẽ dux Samariæ in virtute magna egressus est contra Iudã. Iudas autem occurrens, percussit eum cum multis, reliqui verò fugerunt & accepit spolia eorum, & gladium Apolonii, & pugnauit cum eo cunctis diebus. *Seron* quoque dux inferioris Asiæ cum suis, simulq; cum legis transgressoribus castrametatus est in Bethsuram. Iudas autem suos paucos & ieiunio debiles hortabatur, non in multitudine, sed in pietate confidere; & confligens cum Syris, duce eorum interfecto, persecutus est fugientes: & cecidit timor Iudæ super gentes. Post hæc & similes victorias, Iudas templum *encæniauit*, ipso die prophanationis, reuolutis tribus annis, XXV. die Septembris: & hæc dedicatio in posterum sterit. Et statuerunt Iudam summum sacerdotem, celebrauerunt que octo diebus, secundùm ritum *scenophegiæ*, memores quòd paulò antè habitauerant in

1. *Mach. 4, 5*

1. *Mach. 1, 5,*

1. *Mach. 5, 1.*

1. *Mach. 4.*

ſpeluncis. Tunc etiam conſtruxit murum in circuitu Ciuitatis, & *Bethſuram* mu-
1. *Mach* 5. 1. *&c.* niuit, vt eam quaſi pro caſtro haberet. 1. *Machab.* VI. Gentes autem finitimæ hoc
ægrè ferentes, Iudeos perſequebantur, quas Iudas fortiter debellabat. Congregati
quoque ſunt qui erant in Galaad contra Iudeos. Cumque ad hoc legerentur lit-
teræ petentes auxilium, nuntii à Galilea venientes, nunciant Ptolomenſes, Ty-
rios, Sydonios congregari aduerſus Iudeos. aitque Iudas fratri ſuo, *Vade in Gali-*
1. *Mach.* 6. 1. *&c.* *leam, & libera fratres noſtros; ego autem & Ionathas, ibimus in Galaditim: ſicut fuerit vo-*
luntas in cælo, ſic fiat. & fuerunt vtrobique victores. Audiens autem Antiochus,
qui ſuperiores partes perambulabat, victorias Iudæ, in furore intonuit ſe factu-
rum Ieroſolimam poliandrum Iudeorum: & ſtatim apprehendit eum amarus 10
dolor viſcerum; & de curru cadens, colliſus eſt, & effluebant vermes de corpore e-
ius, & grauabatur exercitus fœtore eius. Cùm verò nec ipſe fœtorem ſuum ferre va-
leret, ductus ad cognitionem ſui, ait, *Iuſtum eſt mortalem ſubditum eſſe Deo.* Et promiſit
ſe Iudeos honoraturum, & Dei virtutem vbique prædicaturum: ſcripſitque Iudeis
vt fideliter adhærerent ſibi ſuo: peregréque in montibus miſerabiliter mortuus eſt.
Succeſſitque ei *Eupator* filius eius; & huic *Demetrius* Seleuci filius in Iudeos & ipſi
ſæui: contra quos Iudas prælia geſſit, auctuſq; victoriis cum Romanis fœdus iniit,
ſcripſeruntq; formam fœderis in tabulis æneis, mittentes in Ieruſalem hoc modo:
1. *Mach.* 8. 23. *Bene ſit Romanis & geniti Iudeorum, & pax in æternum. Quòd ſi inſtiterit bellum Romanis, au-*
xiliũ feret gens Iudeorũ, nec accipient ſtipendia à Romanis: id ipſum facient Romani Iudeis. Tùc 20
ſcripſerunt Demetrio: *Quare aggrauaſti manum tuã ſuper amicos noſtros ſocios Iudeos? ſi ergò*
iterũ adierint nos, faciemus illis iudiciũ, & pugnabimus contra te terrâ marique. 1. *Machab. VIII.*
1. *Mach.* 9. 18. *&c.* Tandem cecidit Iudas in prælio, mori præeligens in virtute, quam fugâ ſaluari. &
tradidit ſe *Bachidi*, qui à Demetrio miſſus erat, vniuerſa regio: & inſtituit impios do-
minos regionis qui perſequebantur amicos Iudæ. Illi autem congregati, elege-
runt *Ionathan* fratrem eius in ducem: qui Iudæ mortem vindicauit, & fugauit
Bachidem. *Alchimus* autem qui per Demetrium conſtitutus erat ſummus ſacer-
dos, cœpit deſtruere muros domus interioris, & opera Prophetarum: ſed percuſ-
ſus paralyſi, mortuus eſt cum tormento magno. Poſt hæc viri iniqui ex Iſrael du-
xerunt iterum Bachidem in Iudeam, & propter contrarios ſibi euentus, cum Iona- 30
tha pacem iurauit, & abiit: ſeditque Ionathas in Magmis, iudicans populum. 1.
1. *Mach.* 10. *&c.* *Machab. IX.* Venit autem *Alexander* filius Antiochi Epiphanis, Ptolomaydam,
& regnauit in ea: quod audiens Demetrius firmauit cum Ionatha pacem: & ve-
nit Ionathas in Ieruſalem, & muniuit montem Syon in circuitu. Alexander quo-
que ſcripſit Ionathæ: *Audiuimus quòd vir potens es, & aptus vt ſis amicus noſter: &*
nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ, & vt amicus Regis voceris:
& miſit ei purpuram, & coronam auream. Quod Demetrius audiens, triſtatus
eſt: abſoluitque Iudeos à tributis, & cætera plura conceſſit. Tandem Ionathæ
dolo detento in Ptolomayda, & poſtea occiſo, ſucceſſit *Symon* frater eius, qui oſſa 40
Ionathæ ſepeliuit in Modyn: & ſtatuit ſeptem pyramides patri & matri, & qua-
tuor fratribus, & ſibi, & circumpoſuit columnas: & ſculpſit in eis arma, & naues
ad æternam memoriam: abſtulitque iugum gentium ex Iſrael: fecitque ſi-
bi portum in Iopen, & dilatauit fines genti ſuæ, & vniuſquiſq; ſtetit ſecurus ſub ficu
& vite ſua. *Machab. XIV.* Aſpirans autem ad ducatum *Ptolomæus* filius Abobi,
gener Symonis, facto ei conuiuio, ſocerũ non dubitauit occidere, mittens qui fra-
trem eius Iohannem occiderent: ſed præuenti nuntio, interficiuntur ab eo, & fa-
ctus eſt *Iohannes*, Princeps ſacerdotum, 1. *Machab. XV.* Hicque terminatur hiſtoria
primi libri Machabeorum. Dictus autem eſt hic Iohannes *Hircanus*, à deuictis Hr-
canis: qui obſidente Antiocho Gryphi Rege Syriæ Ieruſalem, duos de loculis, cir- 50
cumſtantibus ſepulchrum Dauid, aperuit, inde tollens plus quam III. milia talen-
torum; trecentaq; dedit Antiocho vt obſidionem ſolueret: mortuusq; quinque re-
liquit filios.

CAP. XII.

Continet quomodo in Terra Promiſſionis Reges iterum regnare ceperunt.

XII. MOrtuo Iohanne Hrcano, cùm nullus filiorum ad regnandum ſufficeret, vxo-
rem ſuam diſertiſſimã *Alexandram*, Iudææ & filiis præfecit. Maior autẽ natu

Ariſto-

Aristobulus, impatiens materni dominii, dyadema sibi imposuit, matrem, tresque minores fratres ponens in vinculis, *Antigono* fratre secundo ase constituto, ac deindè peremptо, & regnauit per annum. Vxor autem eius, ex eo non habens filium, fratres illius à vinculis absoluit, & maiorem *Alexandrum* regnare constituit: qui vocatus est *Ianeus*, qui duxit vxorem nomine Alexandram. Hic adeò nequam fuit, vt circiter quinquaginta milia Iudæorum interfecerit in tribus annis. Et cùm interrogasset quo pacto Iudæis reconciliari posset, audiuit, *Si morereturr*: propter quod in plateis Ierusalem octingentos viros cum vxoribus ac filiis, necari iussit. Moriturus autem, sciens duos filios suos odiosos pro parte Iudæis, regnum reliquit vxori suæ *Alexandræ*, quæ populi beneuolentiam acquisierat, eius tyrannidi resistendo. Hæc dùm regnaret, *Hyrcanum* primogenitum Pontificem declarauit, eum futurum Regem iudicans. Eâ verò ægrotante, *Aristobulus* alter filius, collectâ plurimorum manu, post matrem se regnaturum declarauit; ipsaq; mortuâ cum fratre bellum habuit: tandem eo pacto concordant, vt Aristobulus regnaret; Hyrcanus verò quibuslibet sub eo fungatur honoribus. Erat autem cum Hyrcano *Antipater* Idumeus, qui à latrunculis egressis de Ierusalem, & circa Ascalonam prædam agentibus, inter cæteros captiuos iuuenis gentilis ductus est; filius cuiusdam Herodis, genere Idumei, sacerdotis templi Apollinis in Ascalone: & in oculis Hyrcani tantùm gratiosus fuit, quòd totam ei domum regendam commisit. Hic itaq; persuasit Hyrcano, vt se dolo circumuentum quereretur; & apud *Aretham* Regem Arabum confugeret, cuius auxilio rediret in regnum. Iuit itaq; in Petra, vbi sedes regni erat: qui venit cum exercitu, & obsedit Ierusalem; nec prævaluit, *Scauro* Romanorum duce, trecentis talentis, Aristobulo fauente. Frustratus Hyrcanus spe Arabum, ad *Pompeium* se contulit, cùm venisset Damascum: & variè negotio agitato, cùm tandem Pompeius obsideret Ierusalem, in vrbe dissensio facta est: nam fautores Aristoboli vrbem tueri; fautores verò Hyrcani, eam Romanis tradere contendebant: sed pars Aristoboli victa, in Templum secessit. Receptus verò in vrbem Pompeius, Templum expugnat; irruentesque Romani prophanauerunt templum, & equos in porticibus stabulauerunt: propter quod aiunt Pompeium priùs fortunatissimum, ex tunc semper succubuisse in bellis: licet in crastino ingressus templum, admiratus situm & ornatum ac religionem, nihil indè ferens iusserit mundari. Impositо quoque tributo, & Hyrcano Pontifice constituto, commissaq; *Scauro* administratione Syriæ & Iudeæ, Romam rediit; captiuum ducens Aristobolum, cum duobus filiis Alexandro & Antigono, totidemq; filiabus. Post hæc Antipater cum regioni præesset, patet iam causa, præfecit Galileæ filium *Herodem*: qui cùm natura strenuus esset; principem latronum cum sequacibus interfecit; adeoq; Galileam quietam reddidit, vt *pater Galileæ* cantaretur. Cùm autem venisset *Antonius*, delatusque esset Herodes, fraterq; Faselis, quòd rerum summam vi possiderent, nomen autem tantum superesset Hyrcano: & Hyrcanum percutaretur Antonius, quinam rebus agendis essent aptissimi, illeque Herodem & fratrem prætulisset, eos de procuratoribus *Tetrarchas* declarauit. Post hæc ad deferendum quandam querelam, Herodes Romam properat: persuasit autem Senatui Antonius, vt Herodem Iudeæ Regem declaret: coronatusq; est, Augusto & Antonio hinc indè astantibus, decimo imperii Octauiani anno. Nunc tempus propiat, regnante alienigenâ in Iudea, quo Saluator veniat, à Prophetis & lege promissus, dicente Iacob Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Regni igitur huius Herodis anno XXXII. CHRISTVS natus est. Et postquam mortuus est Herodes, Cæsar regnum Herodis in quatuor partes diuisit: duas dedit *Archelao* Iudeam & Idumeam; Galileam, *Herodi Antipæ*; Iturcam & Traconitidem regionem, *Philippo*. Archelaus autem post hæc accusatus de tyrannide apud Cæsarem, missus est Viennam in exilium: deinde Iudea administrata est per *procuratores* Romanos. Ecce iam Terræ Promissionis dominium deuenit ad filios Iaphet: nondum tamen expulsi sunt filii Sem, quia nondum completæ sunt iniquitates eorum.

CAP. XIII.

Continet crudelis persecutionis scelus in CHRISTVM & Apostolos.

XIII. REge cœli nato de *Virgine*, turbatur Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo; & innocentem delet ætatem, in Bethlehem, & finibus eius. Anno quoque XV. Tiberii Cæsaris procurante *Pontio Pilato* Iudæam, prædicto Herode mortuo à pluribus annis, venit *Iohannes Baptista* prædicans baptismum pœnitentiæ, & interro-
Ioh. 1, 20. gantibus an ipse sit CHRISTVS; respondit, *Non sum ego CHRISTVS:* & ait, *Veniet fortior me, post me: cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere:* digitoq; demonstrans ait, *Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccata mundi.* Sed perfida natio Iohanni, sibi de se, non de CHRISTO testimonium perhibenti, credere voluit: cùm Iohannes quidem signum fecerit nullum; CHRISTVS autem infinitis splenderet miraculis,
Ioh. 5, 36. propter quod aiebat: *Ego autem habeo testimonium maius Iohanne: Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere.* Dum enim in carne opera facit non carnis, sed DEI; naturam superans, elementa commutans, mortuos suscitans, infirmos sanans, dæmonumq; debellans tyrannidem, ita vt clamarent, *Luc. 4. Quid nobis & tibi, IESV Nazarene? venisti perdere nos:* euidenter ostendit, quia ipse cum Patre talia operatur. Obtulit ergò carnem sapientibus carnem, vt per ea, quæ faciebat in carne,
Ioh. 11, 47. cognoscerent esse DEVM. At illi aiebant: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: ab illo ergò die, cogitauerunt interficere eum.* Verum est, ô Iudæi, qui vsque in hodiernum diem negatis Filium DEI: quia propter hoc venient Romani, & tollent locum vestrum & gentem, vt sequenti dicetur capitulo. Illi ergò, quod temerè consulunt, sacrilegè prosequuntur: emunt à proditore discipulo XXX. argenteis, impretiabile præcium nostræ salutis: nocte quærunt cum gladiis, facibus & armis, qui solo Verbo cunctos prostrauit: deridentes & conspuunt, in quem desiderant Angeli prospicere: ligant & pertrahunt ad Pilati prætorium, qui solus sine peccato est, & aiunt:
Ioh. 18, 30. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* At Gentilis Præses, sciens quia per inuidiam tradidissent eum, quærit declinare iudicium. Primo renuntiatione
Ioh. 18, 31. officii: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum.* Secundò, examinatione curiali & breui. *Tu es Rex Iudæorum?* & iterum: *Vnde es Tu?* Tertiò, per
Ioh. 18, 33. Ioh. 19, 9. Ioh. 18, 38. exclusionem omnis mali: *Ego nullam inuenio in eo causam.* Quartò, mutatione fori:
Luc. 23, 7. quia misit eum ad Herodem. Quintò, inflictione pœnali: *flagris eum afficiam, quantumlibet, tantummodo dimittite eum innoxium.* Sextò, affectione mentali: *Ex-*
Ioh. 19, 12. Ioh. 19, 15. Matt. 27, 17. *indè quærebat Pilatus dimittere illum.* Septimò, exprobratione vituperabili: *Regem*
Matth. 27. *vestrum crucifigam?* Octauò, propositione incomparabili: *Quem vobis vultis dimittam? Barabam, an IESVM, qui dicitur CHRISTVS?* Nonò, lotione figurali: *acceptâ aquâ lauit manus coram populo,* dicens: *Innocens ego sum ab impietate Iudæorum:* gentilis Præses, gentiles faciens alienos. Decimò, commination damnabili: *Vos ad-*
Ioh. 18, 40. *desitis.* O cæcitas Iudæorum! ô insania freneticorum! Quid est dicere: *non hunc, sed Barabam:* nisi, occidatur ille, qui suscitauit mortuos; & dimittatur homicida,
Ioh. 19, 6. Matt. 27, 25. vt iterum occidat viuos? At illi inualescentes clamabant, *Crucifige, crucifige eum: sanguis eius super nos, & super filios nostros:* in quibusdam enim eorum adhuc viuentibus, & in quorundam decedentium filiis, completa fuit facta eorum oratio in peccato. Crucifixo itaque Domino, titulum scripsit Pilatus, & imposuit super caput eius,
Ioh. 19, 19. *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Si *Iesus* est: ô Iudæe, & Saluator, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes: non debuit morte damnari. Si *Nazarenus*, & floridus: non debuit cruce turpari. Si *Rex Iudæorum*: non debuit ab indignis conspui, & illudi. Sed dicebant Pilato, Pontifices Iudæorum, *Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia dixit, Rex sum Iudæorum: respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.* Nec efficere potuit Iudæus etiam occidendo, quin pro vero Rege gentilis susciperet
Matth. 27, 40. & teneret. Deindè Iudæus caput agitat ante crucem, & ait: *Vah, qui destruis templum DEI, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum:* Imò, Iudæe, si se saluaret, alios saluos non faceret: cùm enim saluus esse non possit, qui non perseuerauerit vsque in finem; quantò minùs potent esse Saluator? Ipse ergò, qui inchoauit, perficiet

ficiet & saluabit. Nam salute non indiget, cùm sit omnium vera salus. Similiter & Principes Sacerdotum dicebant cum scribis & senioribus. *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt credamus ei.* Matth. 27, 42. O venenata lingua! verba malitiæ! sermo nequam: non est hoc, Caypha, quod paulò antè prophetando, non Propheta, dicebas: *expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat:* illud enim à temeti, Ioh. 11, 50. pso non dicebas, nunc autem ex propriis loqueris, & mentiris. Si enim ad suscitationem quatriduani in monumento credere noluistis: quomodo credere- Ioh. 11, 17. tis, si de Cruce descenderet adhuc viuens? Quid etiam consequentiæ videtur habere: *Si Rex Israël est, descendat de cruce: & non magis, ascendat?* Sic tibi, Iudæe, 2. mente excidit, quia Dominus regnauit à ligno, vt Regem abneges, quia pendet in ligno? Non ergò descendet: sed in solio regni iuxtà titulum Regis stabit, vbi scriptum est, *IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum.* Græcè, Hebraicè & Latinè: vndè & paulisper expecta. Cum enim paruula transisset mora, *à sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Matt. 27, 45. &c. Et circa horam nonam IESVS clamans voce magnâ, emisit spiritum. Quod fuit Diuinitatis indicium. Et ecce velum Templi scissum est, & terra mota est, pendentem Dominum ferre non sustinens; & monumenta aperta sunt, in signum futuræ resurrectionis: propter quæ ait Centurio: *Verè filius DEI erat iste.* Matth. 27, 54. Nos, imò voce vel nullâ morimur, sed cum exaltata voce expirauit, qui de cœlo descendit. Magna planè infirmitas, mori; sed sic mori, virtus immensa. Nempe, quod infirmum est DEI, fortius est hominibus. *Potestatem,* inquit, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ioh. 10, 18. Potest humana vexania in mortem sibi manus iniicere: sed non est hoc animam ponere, vrgere magis est: nec impio Iudæ fuit facultas animam ponendi, sed perdendi: nec ipse tradidit, sed laqueus traxit, cùm spiritus eius spurcissimus non est emissus, sed amissus. Solum in morte posuit animam, & tradidit spiritum: quia suâ virtute est regressus ad vitam, vitæ & mortis solus habens imperium. Secum etiam, & non antè, *multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis:* Matt. 27, 52. 1. Cor. 15, 20. Apoc. 1, 5. vt esset ipse *primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum*; postremò, omnium Princeps Sa- 3. cerdotum & Pharisei, ex concessione Pilati, *munierunt Sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus:* Matt. 27, 66. sed integro sigillo resurgente Domino, facto terræ motu, apparuit Angelus, amictu niueus, aspectu fulgureus, piis blandus, dicens: *Nolite timere vos:* impiisque seuerus. Venerunt proindè quidam de custodibus, Matth. 28, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum quæ facta fuerant: & congregati cum 11. 5. senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: *dicite quia discipuli eius venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus.* Matt. 28, 13. Quàm malè ficta fuit hoc mendacium? dormientes enim nequaquam de hoc poterant testimonium perhibere. Post resurrectionem verò apparuit: non omnibus, sed te- Act. 10, 41. stibus resurrectionis præordinatis à DEO, loquens de regno DEI per dies XL. post Act. 1, 3. 4. quos ascendit in cœlum, & sedet à dextris virtutis DEI. Quinquagesimo verò die, *Spiritum Sanctum* misit Apostolis ieiunantibus atque orantibus in cœnaculo montis Syon. Fragor autem quidam in aëre sonuit, quasi ventus vehemens: & apparuerunt illis dispartitæ linguæ, quasi ignis, insidentes capitibus eorum, duplicem effectum spiritus designantes: verbis, scilicet, vt essent profluî, & caritate feruidi. Erant autem in Ierusalem viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est: & audito fragore, conuenerunt ad discipulos: & audierunt vnusquisque linguam in qua nati sunt, illos loquentes. Tunc surgens Petrus, & prædicans, conuertit tria milia hominum. Deinde, ascendente *Petro & Iohanne* in Templum, clau- Act 3, 1. &c. do ac paralytico (secundum gloss.) petenti eleemosynam ait Petrus: *Aurum & 5. argentum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI Nazarem, surge, & ambula:* sanatusque est æger. Admiranti quoque populo ait Petrus, *CHRISTI virtute factum esse miraculum:* superuenerunt autè sacerdotes, & magistratus Templi; ac indignati, quia sic magnificabant IESVM, quem illi damnauerant: & maximè Saducei, qui negant resurrectionem: iniecerunt manus in eos, & posuerunt in carcere. Multi autem, qui audierant verbum, crediderunt, & conuersi sunt v. milia. Altera die congregati sunt Principes Sacerdotum, & quotquot

erant ex genere sacerdotali, & seniores, & Pharisæi & Scribæ, & vocantes eos, denuntiauerunt eis ne amplius loquerentur in nomine hoc: Ad quos illi, *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Per manus deinde Apostolorum, fiebant Act. 4, 20. Act. 5, 12. signa & prodigia, & augebatur multitudo credentium: & ponebant in plateis infirmos, vt eos saltem vmbra Petri tangeret & sanaret. Princeps autem Sacerdo- Act. 5, 17. tum, & Saducæi, miecerunt manus in eos, & posuerunt in custodia publica: Angelus autem aperta ianua liberauit eos, & diluculo intrauerunt in Templum & docebant plebem. Tunc magistratus, cæsis denuntiauit ne amplius loquerentur in nomine hoc. Posthæc lapidato *Stephano* facta est persecutio in Ecclesia Act. 8, 1. Ierosolymis, ita vt omnes discipuli præter Apostolos constantiores, dispersi sint per regiones Iudææ & Samariæ. In hac quoque dispersione leguntur multi discipulorum exisse fines Iudææ, inter quos fuit *Magdalena* & soror eius *Martha* cum beato *Maximino*, postea Aquensi Episcopo, & multis aliis. Tunc prætuidentes Apostoli, quia ad gentes essent transituri, ordinauerunt *Iacobum* Ierosolymorum episcopum: Alterum deinde *Iacobum*, fratrem Ioannis, *Herodes Agrippa* occidit Act. 12, 2, 3. gladio: videns que, quia placeret Iudæis, posuit in carcere Petrum. Huic Herodi *Caius Augustus* duas vacantes tetrarchias addidit, Regemque vocari concessit. *Claudius* vero sequens Augustus, *Herode Antipâ* Ascalonitæ Herodis filio, qui Herodiadem Philippo fratri tulerat, in exilium acto, quartam illius tetrarchiam eidem concessit. Hic autem Herodes Agrippa, Ascalonitæ nepos fuit, ex filio Aristobolo de Mariane, propter quam Ascalonita factus proselitus, ius habuit in regno Iudæorum, fraterque Herodiadis. Successit quoque Herodi Agrippæ, *Agrippa* filius, in parte regni duntaxat: scilicet duarum tribuum & dimidiæ vltra Iordanem, & ibi finis eorum. De his tribus, Herodis nomine vocatis, versus sunt.

Ascalonita necat pueros; Antipa Iohannem;
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

CAP. XIV.

Continet Ierusalem destructionem: Iudæorumq; de regione illa expulsionem, per filios Iaphet, siue Romanos.

XIV. COmpletâ impietate gentis perfidæ Iudæorum in CHRISTI morte, & suorum Apostolorum persecutione, ac nouellæ eius Ecclesiæ, cùm *Festo* procuratori Iudææ successisset *Albinus* & Albino *Florus*, qui præsente *Veronice*, Regis Agrippæ sorore, quæ ad Templum religionis causâ venerat, honorabiles viros Ierosolymis die solemni flagris verberauit, & patibulis affixit, vt Iudæorum pertinaciam hac contumelia penitus annullaret: quod non ferentes Iudæi, contra Romanum rebellauerunt imperium: ad quos domandos à Nerone mittitur *Vespasianus*, magister militiæ Romanorum, Titum maiorem filium habens inter Legatos. Tunc per vniuersam Syriam atrocissima Iudæorum occisio exercitata est: ita vt etiam, qui in diuersis locis, mixti gentibus, commanebant, in hostium numero computarentur: & loca inhumatis corporibus replebantur, etiam & infantium & mulierum. Iudæorum quoque solitudinem affuturam prodigia præcesserunt, ait Iosephus libro VIII. de bello Iudaico: Nam supra ciuitatem sydus stetit gladio simile, & per annum perseuerauit Cometes. In festo azimorum, cùm ad ostium duceretur bos, agnum peperit in medio fano. Orientalis porta templi ænea, quæ vix à viginti viris aperiri poterat, pessulisq; altos habebat, visa est hora noctis sextâ, sponte patescere, vixque magistratus iussu claudi potuit. Visæ sunt cum ferreis curribus armatæ acies, totis regionibus circumfusæ. Nocte verò Pentecostis, Sacerdotes in templum ingressi, secundùm morem, ad Diuinas res celebrandas, primùm quidem motum ac strepitum senserunt, postea verò subitam vocem audierunt, *Migremus hinc. Iohannes* etiam quidam filius Anani, plebeus & rusticus, quadriennio ante quam bellum gereretur, in summa pace Ciuitatis atque opulentia, cùm ad diem festum venisset, exclamare cœpit: *Vox à quatuor ventis in Ierosolymam & Templum; vox in omnem hunc populum:* & per omnes vicos, etiam nocte clamitans circuibat. Quod nonnulli indigne ferentes, hominem corripuerunt, & plagis affecerunt: ductusque coram Romano

Præfe-

Præfecto & plagis vsque ad ossa laceratus, nec suplex fuit, nec lachrymas fudit; sed ad singulos ictus aiebat, *Væ, Væ Ierosolymis:* nec interroganti quis esset, aut cur ista diceret, respondit; nec verberanti quoq;, cùm per singulos dies mulctaretur, conuitiabatur; nec victum offerentibus, benedicebat: idq; per annos septem & menses quinq; egit. muros autem circumiens, cùm prædicta clamaret, & ad extremum addidisset: *& mihi væ:* lapis emissus statim eum percussit. Igitur XL. annis post admissum piaculum, impiorum Iudæorum pœna dilata est: in quibus Apostoli omnes, præcipuè tamen *Iacobus* Ierosolymitanus Episcopus, indesinenter populum commissæ iniquitatis admonebant, si fortè possent pœnitere pro scelere. Cùm verò Iudæi cladibus vrgerentur, Sancti Apostoli, cæteriq; discipuli, ad prædicandum verbum DEI per singulas orbis prouincias diuiduntur. Ecclesia quoq;, quæ erat Ierosolymis congregata, responso à DEO accepto, indè migrare iubetur: & transiit ad oppidum *Pellam* trans Iordanem, vt ablatis indè sanctis & iustis, cœlesti vindictę fieret locus, tam de vrbe sacrilega, quàm de populo impio. Hiis enim peractis, Iudei bellis asperis & seditionibus domesticis lacerantur. Ciuitas enim Ierusalem, laborabat incendio & ruina; fame innumeri iugulabantur; sanguis vniuersa replebat: nulla ibi requies, momentis singulis dimicatur; nullus locus periculo vacat: nec fugiendi erat facultas; vbique pauor, morientium gemitus, viuentium desperatio: completaq; est imprecatio illa, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Quomodo deceptá es Ciuitas Sacerdotalis & Regia, quæ solebas sine armis vincere, sine prælio hostem ferire, cùm pro te Angeli dimicarent? Nunc verò agnosce, tibi hodie Barabam viuere; Iesum verò Saluatorem sepultum esse: quia in te regnat seditio, pace sepulta. Nihil enim magis, in tantis calamitatibus, pietate perierat; quæ sola solet alleuiare miserias, solari ærumnas: vndè nec erat vlla sepeliendi cura; sed sola intentio perimendi. Proiectâ tandem multitudine cadauerum per muros Ciuitatis, *Titus* altè ingemuit; & manum ad cœlum eleuans, protestabatur illud nunquam sibi ascribi: quia veniam dare voluit, si affuisset deditio, & armorum depositio. Maneus Lazari asserebat per vnam portam sibi creditam XV. milia DCCCLXXX. mortuorum elata fuisse, qui mercede publica sepulti sunt. Plurimi autem interim ad Romanos fugerunt: nonnulli aurum & gemmas glutiebant, quia insidiatores omnia scrutabantur. Compertus est hoc quidam Assytius, à quo in cæteros manauit opinio: qui desiderio inueniendi thesauri, contra legem deditionis, contra mandatum Cæsaris & promissum, IX. M. virorum viscera perscrutantur. Iudæorum quoque, qui ad Romanos confugerant nonnulli, edendi dissuetudine, edere non poterant. Nonnulli super cibos irruentes, inualidos morsus, more infantium meditabantur; aliis verò oneri cibus erat: obriguerant interiora viscera, obstricti erant meatus ciborum, aruerant iecoris venæ quæ cibos attrahunt, facultas edendi perierat, auiditas excrescebat; plurimique viso cibo præ gaudio expirabant: infra Ciuitatem quoque, insidiabatur quis cui raperet cibum. Fuit inter cæteros *Maria* locuplex fœmina, quæ belli terrore de trans Iordanem Ierosolymam se transtulerat: eius opes factionum principes certatim inuaserant; & alimentorum quæ pretio emerat, è manibus eruerunt: sæua deindè fames eius se infundit medullis: habebat autem infantulum, cuius vagitu ampliùs excitata in filium mater, affectum amisit: conuersaque ad eum ait, *Quid tibi faciam parunle? Cui te moritura credam? Sperabam, si adoleuisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam. Sed quid faciam misera? Viuendi nullum mihi patet refugium. Cui te reseruabo, aut quo te condam sepulchro, ne sis præda canibus, alitibus, aut feris? O suauia mihi viscera, artus iocundi, priusquam vos consumat fames, reddite matri quod accepistis:* quod enim non habet impatientia amoris, necessitas persuadet: Auersoq; vultu, gladium immersit, puerum in frusta concidit, & partem ad ignē ponit: discurrit odor ad seditionis Principes, quem secuti, minātur mulieri necem, nisi eos inuenti cibi fecisset expertes: At illa, *partem vestram vobis seruaui, de meis visceribus cibū vobis paraui;* & hæc dicens, membra reseruata discooperuit, & epulanda obtulit, cum adhortatione huiusmodi: *Hoc est prandiū meum; & hæc est portio vestra: videte si vos fraudaui: Ecce pueri manus vna, ecce pes, ecce dimidiū corporis. Sed quid retrahitis gradum? Nolite fieri meliores matre; infirmiores muliere. Ego quidem tales parani epulas; sed vos matrem filium*

Matt. 27. 25.

edere compulistis: nunquam mihi dulcior, fili, fuisti: tibi debeo, quòd adhuc viuo. Tanti sceleris fama ad Romanos vsq; peruenit. At Cæsar protensis ad cœlum manibus talia testabatur: *Ad bellum veni; non homines, sed rabiem belluarum inueni: Nam & feræ fœtus suos diligunt, quos etiam in fame nutriunt; & aliena prædantur corpora. Hoc autem, supra omnem acerbitatem est, vt membra, quæ genuit mater, deuoret; Mundus sum à contagione: tibi me absoluo, quæcunq; es potestas in cœlo: scis enim quia ex affectu frequenter pacem obtuli; &, quod non pudet dicere, victor rogaui, quia parcere volui.* Cæsa sunt autem per omne obsidionis tempus, vndecies centena miliaria: captiui quoque adducti sunt vsque ad XCVII. milia. Fessiq; multâ cæde Romani, quærebant quibus captiua mancipia venderent. Sed quia multi erant venales, pauci verò emptores, non defuêre quin triginta mancipia vno mercarentur numismate: ait *Hugo Floriacensis.* Archa quoq; fœderis Romam defertur, cum quatuor columnis æneis, multiplici quoq; ornatu; & in templo Pacis locantur. Hoc est quod CHRISTVS per Prophetam orauerat ad Patrem: *Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis.* Per Moysen quoq; longè antè prædixerat: *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore vt labatur pes eorum.* Et iterum, *Occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, irritantes eum per opera manuum vestrarum.* De hac vltima Iudeorum captiuitate prophetauit Daniel 9. *Post Ebdomadas 40. occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est: & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem statuta desolatio.* Post hæc *Symeon*, Cleophæ filius, secundus Ierosolymitanus Episcopus, à quibusdam hæreticis accusatus, quòd ex genere esset Dauid & Christianus, *Traiani* tempore variis & diu est afflictus tormentis: tandem mirantibus cunctis, etiam impiissimo Iudice, senex CXX. annorum, supplicium pertulit crucis. Deinde, Iudæi per mundum dispersi, aduersus cohabitatores suos in Libia dimicant, in Mesopotamia quoque Romanis rebellant. Traianus proindè mandat *Quieto* vt de prouincia eos exterminet; aduersus quos Quietus acies instruens, & multa eorum milia interimens, ex hoc procurator Iudeæ ab Imperatore decernitur: Vltimò *Adrianus*, quia adhuc manentibus vestigiis Ciuitatis, Iudæi qui in circuitu latitabant, eius imaginem de loco, vbi archa steterat, amouerunt, Ciuitatem funditùs dirui iussit; & edictum posuit, ne vllus Iudæus in illa regione maneret: cessaueruntq; ibi ex tunc Episcopi ex circumcisione: *Marcusq;* primus ex gentibus est assumptus. Cessauit quoq; persecutio Iudæorum, contra Ec clesiam primitiuam. Illisq; expulsis, cæperunt fideles CHRISTI serui, in Terra Promissionis, *iugum* eius *suaue, onusq; leue*, cum omni alacritate portare.

Psal. 40, 11. *Deut.* 32, 35. *Deut.* 31, 29. *Matt.* 11, 30.

SECVNDA PARS, CONTINET INITIA ORIENTALIS ECCLESIÆ: HABENS CAPITVLA IV.

CAP. I.

Continet glorioſum profectum Orientalis Eccleſiæ.

FLORVIT itaq; *Ieroſolymitana*, *Alexandrina* ac *Antiochena* Eccleſia illuſtriſſimis viris, & clariſſimis moribus. De multis pauca referam. *Theophilus* enim, ſextus Antiochiæ Epiſcopus, librum contra Marchionem compoſuit, & plura opuſcula. *Babillus* eius ſucceſſor plurib⁹ mediis *Numerianum* Imperatorem, Eccleſiam ingredi prohibuit, quia apud Antiochiam idolis immolaſſet, manus opponens ei: die verò alterâ Imperatori oblatus, & de proteruia redargutus in Regiam Maieſtatẽ, reſpondit: *Me humilem ſeruum ſuum conſtituit DEVS, paſtorem plebis ſuæ: Ideò cùm vidi te lupum venientem, ne aliquam ouium perderem, te prohibui ab ouili. Eraſmus*, eiuſdem vrbis Epiſcopus, Diocletiani audiens edictum, eremum petiit, vbi per ſeptem annos habitauit, iuxta montem Libani; quo tempore cibus ei diuinitus miniſtratus eſt per coruum: feræ etiam variæ naturali ferocitate dimiſsâ, eius cellulam frequentabant. *Philippus* Illuſtriſſimus Romanorum, Alexandriæ præfecturam agens, ad fidem per *Eugeniam* filiam conuertitur, miſitq; relationem ad *Senerum* Imperatorem, memorans Reipublicæ Chriſtianos prodeſſe: Ideò debere eos ſine perſecutione in vrbibus commorari:

in ſub-

in ſuburbiis enim tantum eis manere licebat: cui Imperator annuit. Tuncq; inibi dignitas Chriſtiani nominis florere cœpit; factaq; eſt quaſi tota Alexandria Eccleſia vna. *Philippus* quoq;, ex præfecto Epiſcopus ordinatur: orationibus & ieiuniis vacans, fugabat dæmones, illuminabat cæcos. *Origenes* quoq;, Alexandriæ ſtudiis eruditus eſt, inter primos Eccleſiæ Doctores tam nominatiſſimus. *Petrus* Alexandrinus, nunquam in Cathedra ſua ſedere voluit; ſed ſolùm ſuper cathedræ ſcabellum: ſuper quo clerus & populus pluries conqueſti, in ſolemnitate quadam audiunt reſpondentem: *Credite mihi filij, ſi videretis quæ video, tunc cognoſceretis quid eſt ſacerdotalis virtus, & quæ gratia in ipſis habitat, ad cuius Maieſtatis præſentiam territus in cathedra ſedere non audeo.* Splendor enim igneus de ipſa ſede egrediens ei apparebat, cuius aſpectu vir Sanctus ita accendebatur, vt interdùm ſe neſciret in corpore. Quis qualisve Eccleſiæ pugil *Athanaſius*; quantuſq; Doctor *Didimus* fuit, non poſſem in paucis euoluere: Hic in parvula ætate corporis viſum amittens, tantam cordis illuminationem impetrauit, vt ſcholæ Eccleſiaſticæ Doctor exiſteret; pleraq; per Notarios ſcriberet. Ieroſolymis *Narciſſus* Epiſcopus, deficiente aliquando in lampadibus oleo in vigilia Paſchæ, præcepit fidenter eas aquâ repleri: tunc repentè inaudito miraculo aquâ conuersâ in oleum, ſplendorem reddidit ſolito clariorem. Huic ſucceſſit *Alexander*, ex genere Cappadocum, qui orationis gratiâ Ieroſolymam venerat: reuelatum enim eſt Narciſſo aliiſq;, vt ipſum in loco Sancto Epiſcopum detinerent. Eodemq; die quo vrbem ingreſſurus erat, cum multitudo plurima fratrum occurriſſet eidem vox cunctis audientibus cœlitus facta eſt: *Suſcipite Epiſcopum, qui vobis à DEO deſtinatus eſt.* Illuc ſacra Regina *Helena*, Conſtantini mater, cum deuotionis gratia acceſſiſſet, locumq; Crucifixionis Domini vix vlli notum perquireret: quia antiqui perſecutores nominis Chriſtiani, ibi Veneris ſimulachrum ſtatuerant, vt ſi quis Chriſtianorum ibi CHRISTVM adorare voluiſſet, Venerem colere videretur. Iuſſit tandem Iudæorum peritiores igne cremari, ni locum monſtrarent: at illi tradiderunt Iudam, cui paternâ traditione hoc innotuerat: quo locum oſtendente, cruceinq; per foſſionem inueniente, Diabolus vociferabatur in aëre: *ô IESV Nazarene, omnes ad te traxiſti; & ego, qui priùs per Iudam traditionem feci, nunc per Iudam eiicior.* Helena tunc magnificentiſſimum templum in loco Crucifixionis extruxit. Tuncq; terminata perſecutione decimâ populi Chriſtiani, ac reddita fidelibus pectoris & temporis tranquillitate pacificâ, glorioſè annis multis profecit Eccleſia, & imago quædam cœleſtium cernebatur in terris.

CAP. II.

Continet teporem priſtini feruoris Eccleſiæ: & afflictionem per Coſroe conſequenter illatam.

II. AT poſtquam CHRISTI amor tepuit in CHRISTI fidelibus, cœpitq; carnalis vigere affectus, in *Orientalibus* præcipuè, & maximè Suſianis, cœpit & Pater miſericors monere verberibus populum ſuum, caſtigare flagellis. Vndè & anno Domini D. LXXXIV. *Perſæ* Armeniam prædis & incendiis inuadentes, Chriſtianos acriter afflixêre: Eccleſiam tamen XL. martyrum, minimè incendere potuerunt. Sequenti anno, *Antiochia* ſtupendo modo diuinitus ſubuertitur. Quidam enim ciuis ipſius adeò eleemoſynis & hoſpitalitati inſtabat, vt nullâ die ſine paupere aut hoſpite pertranſiret: quadam autem die cùm vſque ad veſperam circuiſſet, nullumq; talem reperiſſet, vidit virum ſeniorem in veſte alba cum duobus ſociis ſtantem in medio ciuitatis; & inuitatis eum ad hoſpitium, tale reſponſum accepit: *Non poteràs, ô homo DEI, cum noſtro Symeone, hanc vrbem ſaluare ne ſubuerteretur?* Et hoc dicto, ſudarium quod manu tenebat, excuſſit ſuper mediam ciuitatem, ſtatimque cum ædificiis ſubuerſa eſt. Et cum vellet ſuper aliam mediam ciuitatem ſudarium excutere, vix duorum ſociorum precibus abſtinuit: Virum autem attonitum hoc aſpicientem ex eius domus conſeruatione conſolans, diſceſſit, & nuſquam comparuit. Eodem tempore & *Occidentalis Eccleſia* multiplici flagello à Domino corripitur. In Italia enim diluuium magnum fuit, ita vt *Tyberis* ſuper muros vrbis flueret, & multas regiones occuparet: per Tyberim quoq; multitudo ſerpentum vſq; ad mare cum ingenti draconè deſcendit, & ſecuta eſt plaga peſſima quam *inguinariam* vocant, quâ & *Papa Pelagius* defunctus eſt. Tanta autè erat mortalitas, vt in vrbe

domus plurimæ vacuæ remanerẽt: sed cũ Pontifex *Sanctus Gregorius* fuisset electus, & pestis illa nequaquam cessaret, processionem Paschali tempore cum Letaniis ordinauit, & imaginem Virginis, quam Lucas depinxit, & similima virgini perhibetur, antè processionem reuerenter portari fecit. Et ecce tota aëris infectio & turbulentia imagini cedebat, & post eam mira serenitas aëris remanebat. Iuxta imaginem quoque auditæ sunt voces Angelorum canentium: *Regina cœli lætare, Alleluia: quia quem meruisti portare, Alleluia, resurrexit, sicut dixit: Alleluia.* Statimq; quod sequitur Gregorius adiunxit, *Ora pro nobis, Domine, Alleluia.* Tunc gloriosus Pontifex vidit supra castrum Crescentii, Angelum cruentum detergere gladium, & in vaginam reponere: Et licet in omnium floreret virtutum genere, in eleemosynis tamen & pietatis operibus mirabiliter affluebat. Vndè & nomina pauperum etiam de vltra marinis partibus, in scriptis habere volebat. Ierosolymitanæ etiam Ecclesiæ, D. LXXXV. munus miræ deuotionis asseruit. In ciuitate enim *Saphet*, confessione *Symeonis* Iudæi, inuenta est tunica Domini nostri IESV CHRISTI; & ab Episcopis *Gregorio* Antiocheno, *Thoma* Ierosolymitano, & *Iohanne* Constantinopolitano, Ierusalem in loco vbi Crux CHRISTI venerabatur, reuerenter locata est. Sic semper iratus Dominus, misericordiæ recordatur. Sed quia donis Diuinis, ingratè suscepis, obruimur magis quàm subleuamur, cùm nec rigore vindictæ nec dulcedine clementiæ ad viam redirent iustitiæ, anno Domini DCXVIII. Imperii *Eraclij* anno v. *Cosroe* Rex Persarum cum exercitu infidelium Terram Sanctam Promissionis inuadit, vsque ad x c. millia hominum perimit, Damascum capit, nec Ciuitati Sanctæ parcit, quin effractis ipsius muris Ecclesias vndiq; prosternat, locaq; Sancta & atria, vbi steterunt pedes Domini, ingressus canis immundus, cuncta prophanet. Tunc Patriarcha *Zacharias* captiuatur cum multis; Crux Sancta, in qua appensum est pretium nostræ salutis, deportatur in Persidam: Sepulchrum verò Domini intrare aut violare, diuinâ fuit virtute prohibitus. Sic Christiani nomine, vitâ pagani, illatam à gentibus pœnam luunt, quibus transgredientes baptismi fœdus, sociati fuerant in peccatis.

A. Dni. 585.

A. Dni. 618.

CAP. III.

Continet victoriam Heraclij contra Cosroe.

III. DIreptionem Ciuitatis sanctæ Ierusalem, Terræq; Promissionis, audiens *Eraclius* Augustus, tactus dolore cordis intrinsecus, cùm non posset aduersus potentissimum Regem vti potentiâ, magnis precibus *Cosroe* tentauit animum, vt tributo imposito & accepto, inde recedens ad propria remearet. Ille verò inefficaces remisit Legatos, sequentiq; anno totam occupauit Ægyptum, Libiam atq; Carthaginem, vbi *Heraclius* patritius fuerat, antè quam sumeret Imperii diadema. His cognitis Heraclius filium *Constantinum* creauit Augustum; & collecto exercitu, decimo sui Imperii anno, contra illum processit ferens secum Sanctæ DEI genitricis iconiam, quæ in Bizantio, non est, vt fertur, hominis manu, sed diuino depicta miraculo. Vt autem *Cosroe* hæc audiuit, fugâ vsus, omnia per quæ fugiebat fata combussit. Heraclius quoq; ciuitates regionesque vastabat, vndè transitum faciebat. Tunc Cosroe duos prætores ordinat *Sarbaram* & *Sarabaram*, qui cum Heraclio decertarent. Ille verò his cognitis, quibusdam contra eos militibus destinatis, cum reliquis Euphraten transit, Taurumq; montem: ac peruenit ad amnem *Saron*, & obtinuit pontem cum propugnaculis. Sarabara verò ante pontem castrametatus est: multi tunc Romanorum inordinatè Persis intulêre conflictum, & cùm fugam simulassent Persæ, ab insidiis trucidantur. Multitudo deinde Barbarorum per fluminis ripam Romanos acriter sagitabant; & tandem giganteus Persa Imperatorem in medio pontis aggreditur, quem Imperator lanceâ transfossum in amnis fluenta proiecit: quo facto, Barbari in fugam conuersi sunt. Alium quoq; Præfectum, per intercessionem gloriosæ Virginis, dimicans superauit. Grando quippe vehemens super eius exercitum cecidit, & multos extinxit, Christianorum acie tranquillâ manente. Post hæc *Cosroe*, alium misit prætorem coadunatis militibus, qui diutè cum Heraclio dimicauit vsq; in horam nonam: opitulante verò Sanctâ DEI genitrice, *Heraclius* illum superauit, atq; occidit: multiq; Persarum cæsi sunt, ita vt magna pars Romani exercitus spoliis ditaretur.

CAP.

CAP. IV.

Continet Heraclij reditum & reportationem Sanctæ Crucis in Ierusalem.

AD *Cosroe* autem reducentes, dicamus quòd in tantum elatus erat, vt à vicinis gentibus quos suo dominio subiugauerat, se coli quasi DEVM iuberet: & vocari *Regem Regum*, & *Dominum dominantium*: fecerat quoque sibi turrem argenteam in qua interlucentibus gemmis thronum extruxerat aureum: ibique Solis quadrigam, & Lunæ, ac stellarum imaginem collocauerat; ac per subtiles occultosque meatus aquâ dimissâ, videbatur pluere quasi DEVS. Misit igitur vltimò contra Heraclium, filium suum; placuitq; vtriq; Principi, vt mutuò super pontem confligerent: & cui sors conferret victoriam, ipse cunctis imperaret. Pulsatus autem Omnipotens DEVS Christianorum lachrymis, Heraclio concessit de hoste triumphum. Cosroe quoque exercitus, ad fidem conuersus eius potestati subiicitur. Indè Heraclius cuncta regna, quæ sibi Cosroe subiecerat perlustrans, ad illius sedem peruenit, sedentemq; in aureo throno inuenit, & tremebundè se salutanti, optationem dedit, dicens: *Pro eo quod Sanctæ Crucis lignum, quamuis indignus, honorificè tractasti: si fidem CHRISTI suscipis, regnum Persarum cum patrimonio, in vita tibi conceditur, acceptis tamen pacis obsidibus: si verò reniuis, modo gladio peribis.* Sed renuenti, caput abscidit. Suscepit igitur lignum Sanctæ Crucis; & omnes populi, cum ramis gaudentes & cereis, alij obuiam pergunt, & alij subsequuntur. Odor enim suauissimus, volitante diuinitus aurâ, per hominum pectora se diffundit vsque Ierusalem, ex quo de phano Cosroe sumpta est Sancta Crux. Cùm igitur Imperator de monte Oliuarum descendens, per portam, quâ Dominus intrauit tempore passionis, cum equo Regio & Imperialibus ornamentis intrare vellet, repentè lapides de porta descendentes, & vnum parietem continuum facientes meatum clauserunt. Admirantes cuncti, & attoniti in altum respicientes, vidérunt signum Crucis in cœlo flammeo splendore fulgentem: Angelus quoque Domini illud in manibus accipiens ait: *Quandò Rex cœlorum redemptionis humanæ completurus Sacramentum per hunc aditum intrauit, non se purpuratum aut coronatum exhibuit in præcellentis equi vehiculo: sed humilis asselli tergo insidens, cultoribus suis humilitatis reliquit exemplum:* quibus dictis Angelus confestim cœlum ascendit. Tunc Imperator depositis insigniis dignitatis, discalciatus & lineâ zonâ accinctus, crucem manu suscipiens, perfusus lachrymis, & erectis ad cœlum oculis, ad portam properat: illoque humiliter appropinquante, duritia lapidum cœleste sensit imperium: statimque porta se surrigens, liberum intrantibus patefecit ingressum. Gloriosus autem Augustus in laudibus prorumpens ait: *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multùm amabilis, sanctior vniuersis: quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, salua præsentem caternam in tuis hodie laudibus congregatam.* Crucemq; in suo loco restituit.

PARS TERTIA, CONTINET ORIENTALIS ECCLESIÆ MAHVMETICAM PERSECVTIONEM: EIVSQVE ANXIVM statum, vsque ad primum passagium Occidentalium populorum: habens capitula VIII.

CAP. I.

Continet Lapsum Heraclij in hæresim: & Terræ Sanctæ vastationem per Humar & Mahumeth.

INSTITVTVS est Episcopus Ierusalem post hæc Sanctus homo, *Modestus* nomine, qui inter cætera procurauit Ecclesiam Sancti Sepulchri reparari, quæ sub Cosroe destructa fuit: sicut *Maximus* Patriarcha eam refecit quæ per Helenam fuerat ædificata. Cùm verò fideles Ecclesias ordinaret quas deiecerat impius Cosroe; regiisq; sumptibus resarcirentur loca DEO dicata, contigit per idem tempus *Cyrum* Alexandrinum Episcopum, & *Sergium* Constantinopolitanum Antistitem, *Monothelitarum* hæresim 1.

prædicare, id est, vnam in CHRISTO naturam; à quibus deprauatus *Heraclius* Augustus post tantas victorias abertrauit à fide Catholica. Vnde Diuino iudicio, *Agareni Humaro* Duce, cœperunt imperium eius grauiter lacerare. Humarus enim, *filius Captab*, Princeps Arabum, Ierusalem, Phenicem, Damascum, ac totam Syriam & Antiochiam comprehendit: eò enim facilius patriam obtinere potuit, quò nuper per Cosroe fuerat desolata. Hic Humarus templũ Domini, quod Titus destruxerat, vt nunc est, reædificauit. Eratque tunc Episcopus Ierosolymis *Saphonias*, qui Modesto successerat. *Saraceni* quoque *Turchi*, *Mahumeth* duce Pseudopropheta, à suis sedibus exeuntes, Heraclii vastauerunt imperium, omnia breui tempore occupantes à Laodicea Syriæ vsque in Ægyptum, non sine multa effusione sanguinis Christiani: & peccatis eorum exigentibus, non solùm in Ierusalem & alibi Christianos morantes tributarios fecerunt, sed durissimo seruituris iugo oppressérunt: nec reddita est eis plena libertas vsque ad tempora *Vrbani* Papæ II. per annos circiter CCCC.LXX. Abanno quoq; Heraclii xx. Saraceni, qui hactenus fuerant sub Persarum regno, versa vice sub suo redegerunt imperio: & ex tunc intitulatur *regnum Saracenorum*, pro regno Persarum.

CAP. II.

Continet seductoris Mahumeth initia vilia, & modum Dominij acquisiti.

11. HIc Arabs, ex genere *Ismaël* filii Agar ancillæ Abrahæ, cùm esset puer, mortuo patre *Adimeneph*, matreque *Fatonia*, relictus pauperculus puer, ab idolatra quodam nutritur in Arabiæ loco dicto *Salingua*. Grandiusculus effectus, conducens asellum primò, deinde pòst camelos, vitam transigebat; tandem completæ ætatis, per Palestinam & Ægyptum mercando transiens, nunc Christianis, nunc Iudæis sociatus, plura didicit de nouo ac veteri Testamento: sed & magus perfectus efficitur. Per multa autem loca transiens, *Corazaym* ingressus, Dominæ illius prouinciæ, quæ *Cardigam* vocabatur, diuersas species offerens, quas illa admirabatur, familiaris efficitur: Eiq; falsis sermonibus persuasit se esse Messiam, quem Iudæi expectabant: cuius opinioni inhærebant plurimi Iudæorum: sed & plurimos Saracenorum ad se traxit, tam ingenii calliditate, quàm incantationum fallaciâ. Coniunctus etiam illi est *Sergius* monachus, qui propter hæresim Nestorianam excommunicatus, & à fidelium pulsus erat consortio. Hic columbam nutriens sic edocuit, vt grana de Mahumeth auribus sumeret: Vnde quando Mahumeth videbat, super humerum eius volans, rostrum in eius aure ponebat. Sergius post hæc suadet populo, illum sibi præfici debere, quem Spiritus Sanctus designaret. Statuto igitur tempore, columbam secretò emisit, quam populus Spiritum Sanctum credidit in aure Mahumeth loquentem, & diuina sibi reuelantem. Cœpit deindè nouas fingere leges de vtroque Testamento; vt pluribus placeret, quædam substantialiter interserens, dicens, sibi per Spiritum Sanctum reuelatas. Vt verò mendacium subornaret, eas tauri cornibus alligauit, qui sicut columba de auribus, ita de manibus eius cibum sumere solitus erat: cumq; taurus loquentis vocem audisset, famelicus ad eius manus, quasi ad præsepium cucurrit: illeq; de cornibus legem quasi diuinitus missam tulit. Effoderat præterea picterias, lacte & melle plenas, in certis locis collocans: & populo ait, nouam legem eum miraculis promulgandam, vt ostendat DEVS mercedem seruantibus. Locum igitur designat vt fodiant: & repertis picteriis allicitur populus: leges Ismaëlitæ quasi proprias viscerosiùs amplexantur: Sicq; Pseudopropheta publicè asseruit se Messiam. Nubit illi igitur *Cardigam*, adhærent Arabes: regnum Persidis infestantes. Sic demùm Orientale, vsque in Alexandriam, sortitur imperium. Cernens autem Cardigam cum frequenter cadere Epyleuticâ passione, tristari cœpit, quòd nupsisset homini tam impuro. Ille verò tristem consolatus, asserens se propter Archangeli Gabrielis aspectum sibi loquentis, cadere ac deficere, quia illius splendorem, vtpotè carnalis homo sustinere non posset.

CAP.

CAP. III.

Continet Mahometh latrocinia, carnalia, & peccata.

ANte verò eius tam diffusum dominium, illis de *Mecha* magno erat odio, quia latrunculis à principio sociatus, & oppressis ære alieno, agens prædas, simplices decepisset; ita vt quasi Prophetam reciperent; Repulsus igitur, abiit ad quandam ciuitatem destructam, vbi Iudæi ex magna parte habitabant, legem suam promulgare volens. Et primò quidem cuiusdam pupilli domum abstulit: deindè in expeditionem misit *Anazetam*, filium Adhimelec cum equitatu triginta virorum, rapere camelos *Corais*, quando reuertebantur de Syria: cui occurrit *Abegel* de Mecha filius Isen, cum trecentis fugans eos: & non potuit Mahumeth, quasi propheta, saluare in paucis. In alia expeditione misit *Hugida* filium Alant filii Amicali cum quadraginta militibus ne facilè terrerentur: quibus occurrit *Ebecephy* cum suis militibus: vbi eorum sanguis effusus est plurimus, nec affuit prophetæ præsidium. In tertia autem expeditione misit *Zaid*, filium Ebicadad, cum viginti viris: & non inuenerunt camelos, iam enim transierant: nec valuit cæcus propheta intueri absentia, vel futura. Postea egressus est ipse ad capiendū camelos *Corays*, quando venit ad locum, qui dicitur *Guedon*, vbi cum inuenisset *Mubrem* filium Gad Semhului, & non præualuisset aduersus eum, rediit vacuus: nec plus valuit propheta, quàm eius famulia. Iterum exiit dum veniret *Iambo*, quærendo iterum camelos Corays quibus insidiabatur in redeundo; & quamuis pro eis acriter dimicaret, tandem confusus abscessit. Fuerunt autem expeditiones eius XXVI. præter insidiarum insultus, quorū nouem ipse fecit: quod latronibus conuenit, non Prophetis. Fuit quoq; carnalibus vitiis totus brutalis; *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*; nec erubuit in scriptis de fœditatibus gloriari, scilicet vt XL. viris in coitu posset æquari: vbi se rebus odoriferis, & coitu delectari dicit. Hic cùm adamasset *Zambet* filiam Gayssi, vxorem Zaidi, inducit DEVM in Alcorano de ea loquentem ad se: *Cùm compleuerit Zaidi vir eius votum suum in ea, tunc eam dabimus tibi.* Quid quoq; turpius dici potest, cùm vxor eius *Ayssa* libidini dedita, cum *Azaphagat*, quem diligebat, stuprum gereret, & multi super hoc loquerentur, reprehensus quòd eam nō repudiaret; Respondit, nullam adeò sibi caram, quàm quam virginem habuerat, & adhuc iuuencula videbatur: insuper in Alcorano ait sibi, illam innocentem esse, fuisse diuinitus reuelatum. *Zaphyam* etiam Iudæam docuit super cæteras vxores eius gloriari, cui Iudaismum improperabant, dicendo: *Nonne ego sum, cuius pater Aaron, patruus Moyses, maritus Mahubet?* Multa alia immunda & absurda omittuntur; gratiâ breuitatis, & quia abominabilia sunt relatu. III. *Psal. 31. 11.*

CAP. IV.

Continet Mahumetica legis aliqua abusiua.

EX eius frequentem *lotionem*, maximè orationis tempore inducit, vt sicut in Christianorum Baptismo, ita eorum crimina abluantur: ignorans quia sicut corporaliter, ita & spiritualiter homo nascitur tantùm semel; & quòd renato infirmanti, medela est pœnitentia, non Baptismus. *Ieiunantes* verò statuit abstinere ab hora quâ possunt album filum à nigro discernere, vsque ad solis occasum: totâ autem nocte, delectationibus corporalibus vacant: peccantes dupliciter, primò in tempore, secundò per intemperantiam. Cùm enim ieiunium inducatur ad domandam carnem pro arcenda luxuria, hic tempus nocturnum lasciuiæ magis aptum, nullâ restringit temperantiâ, vel abstinentia. *Orare* etiam statuit quinquies in die, medium tenens inter Iudæos, qui ter tantùm; & Christianos, qui septies in die laudem dicunt. Semel quoque in anno ire ad domum DEI, quæ est in *Mecha*: eamq; inuoluto linteolo subtili circa renes circuire, & lapides per media femora, ad diabolum lapidandum, iactare. Hanc domum dicunt Adam construxisse omnibus filiis suis; & quòd eam roborauit Abraham, ibique vota vouit, & sacrificia obtulit, & Ismaeli reliquit. Mahumeth verò ampliori cultu eam excoluit, iactationem lapidum per femora addens, ne cultum dominæ suæ Veneris omisisse videatur: pro quo beneficio, hanc illi gratiam Venus rependit, vt non iam Veneri, sed IV.

eius prophetæ hoc deinceps impendatur obsequium. Cætera quoq; in ipso cultu exhibita, ad idolatriam pertinent: sicut proiectio lapillorum, quæ sumitur de cultu Veneris, quòd etiam ostendit cultus fœmineus, qui ibi seruatur, ora oculosq; tegens. Et vt cultus ipse apertiùs propaletur: sciendum, vt ait *Petrus Alfunsi* Iudæus conuersus, duo filii Loth, *Amon & Moab*, hanc domum honorare cõsueuerant, duo colentes idola, vnum ex albo lapide dictum *Mercurium*, alterum ex nigro dictum *Kamos*: & primum quidem in honorem Saturni, alterum in honorem Martis ædificatum est. Ad *Saturnum* adorandum ascendebant, quando Sol primum gradum Libræ intrat: quia libra exaltatio Saturni erat: sicq; nudi tonsiq; capitibus thurificabant. Ad *Martem* verò, quando Sol primum gradum intrat Arietis: quia Aries est domus Martis. Arabes etiam cum eis, hæc idola adorabant. Mahumet autem primam consuetudinem auferre nequiuit; sed vt noui aliquid componere videretur, apposuit nudis subtile pannum siue linteolum: ne idolis sacrificare videretur. Saturnum ex parte in angulo domus inclusit, vt facies eius apparere non posset, sed tantùm dorsum: Martem verò, quia vndique sculptus erat, posuit sub terra, & lapidem superposuit; & venientibus ad adorãdum, hos lapides osculari præcepit, causa humilitatis. Statuit etiam omnes *carnes* comedere, præter porcinas: aiebat enim porcum posse diluuium de fimo cameli natum: & præter sanguinem vel morticinum. Sed nullus cibus prohiberi debet, nisi vel quia contrarius complexioni humanæ; vel ratione alicuius significationis, vt in lege Moysi: quorum neutrum in lege huius falsi prophetæ poterit assignari. Concedit etiam quatuor legitimas *vxores*, & quamlibet vsque tertiò repudiare. Emptas & captiuas, ad libitum possunt habere; & eas vendere possunt, nisi imprægnatæ fuerint. Sed diuortium matrimonii, etiam animalia bruta condemnant; cum natæ belluæ parentes ab inuicem non discedant, donec illius educationi fuerint opportunæ. Statuit etiam cum *adultera* deprehensum, lapidari; cum soluta, LXXX. verberibus plecti. *Fur* etiam, primâ & secundâ vice verberatur; tertia, manu priuatur; quarta, pede. *Vinum* semper prohibetur. Non credentibus DEO & Mahumeth, comminatur infernalem & perpetuam pœnam, ignem inextinguibilem, potum omni felle amariorem, qui & viscera disrumpet; cibum de arbore quæ vocatur *Acahum*, & est omni pessimo sapore deterior, & feruet in ventre sicut fulgur. Seruantibus verò legem, promittitur *Paradisus*, id est, delitiarum hortus, aquis præterfluentibus irrigatus: omnium ciborum vescentur generibus: quicquid appetierint, coram se statim inuenient: Omnium colorum sericis vestientur: & virginibus speciosissimis cõiungentur: in delitiis accubabunt, quibus Angeli more pincernarum ministrabunt in vasis aureis, lac; in argenteis, vinum: dicentes, *bibite & comedite in lætitia.* Bestialibus, bestialis gloria promittitur, non humana, dicente Boëtio III. de Consol. *Quid de corporum voluptatibus eloquar, quarum appetentia plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ? quæ si beatos efficere possunt, nil causæ est quin pecudes felices esse dicantur, quarum omnis ad implendam lasciuiam festinat intentio.* Quid quoque absurdius, quàm in corruptione continua æternam ponere vitam. Talis verò lex, tales potuit allicere homines, in quibus vigens sensus carnis, vigorem extinxerat rationis.

CAP. V.

Continet quomodo fuit Pseudopropheta: eiusq; mortem: & quomodo in plures eius dominium est diuisum.

VErus Propheta à tribus signis cognoscitur; A Sanctitate vitæ: contra quam ille vacabat impietati & rapinæ. *supra capitulo 1.* A miraculorum operatione: contra quam sic ait in Alcorano, quia sibi dixit DEVS: *Ideo te facere miracula non permitto, quia tibi ne fiat & aliis Prophetis in miraculis contradicatur à meo: sed mitto te cum gladio & potentia.* A futurorum subtili speculatione: quam impedit affluentia carnalium voluptatum, cui ille totaliter immersus erat. *supra capit. 3.* Dicamus ergo, quia Mahumeth Pseudopropheta apparet, ex concupiscentia oculorum, ratione rapinæ: ex superbia vitæ, ratione vsurpatæ potentiæ; ex concupiscentia carnis, ratione carnalis lasciuiæ: quæ tria radices sunt omnium peccatorum. Et tamen per seductorem istum plures auersi sunt a DEO, quàm per quencunq; alium con-

conuersos videamus ad Deum. Eius enim doctrina vt cancer serpens, non modò Arabes, Medos, & Persas, Syrios, Æthiopes, & Ægyptios; sed totam Africam occupauit ab Oriente per Meridiem, vsque in Occidentem: sed & versus Septentrionem iam miro modo diffusa est, Vndè, nec ab infantia ipsius Ecclesiæ vsque ad senectam eius, & perditionis filium Antichristum, ad perdendum animas fuit aliquando tam sæuum flagellum, aut in posterum expectatur. Pseudo iste propheta *Mahumeth*, per annos XL. populum decipiens, imminentem mortem sentiens, exhausto veneno, amicis cognatisque ait: *Cum mortuus fuero, corpus meum in sepulchrum seruate, quia illud scio in Cœlum post triduum deferendum.* Seruatur ergò non solùm tribus, sed diebus duodecim: tunc fœtorem cadaueris non ferentes, illorum aquiâ sub terram miserunt. Multi proindè deceptos se cernentes, legem ipsius habuerunt irritam & inanem. At qui cognati & socii fuerunt Mahumeti, timentes temporale amittere commodum, magis persuasibiles blandiuntur: deindè eligunt successorem vnum ex discipulis eius, *Calypham* vocantes, id est, successorem, vel heredem. Hic dignitatem adeptus, blandiùs aliquos, nonnullos metu ad se inuitat. Socer autem quidam Mahumeti, honore & commodo allectus, per se & complices à principatu illum amouit: succedensque indignabatur, Mahumeth maior Propheta non reputari: quasi illi familiariùs non loqueretur Deus: & in eum ac legem ipsius, plura maledicta promebat, nouos ritus instituens: sed qui eius legi adhærere voluerunt in partibus Orientis, *Calypham Baldacensem* statuerant. Illique tantam reuerentiam exhibent, vt sine eius nutu nullus appelletur *Soldanus*: Regesque eorum ad terram prostrati pedes humiliter osculantur. Dutauit autem *Calyphæ Ægyptius* in successoribus suis vsque ad tempora Saladini, *part. IX. Cap. III.* Princeps quoque Occidentalium, qui legem acceperat Mahumeth, qui regni solium posuit in ciuitate *Morochid*, quæ quondam *Carthago* vocabatur, & non solùm Æthiopiæ & Africæ, sed etiam Hispaniæ ex magna parte dominabatur, Orientali Calyphæ cum populo suo subiici recusauit: sed se ipsum Regem & Calypham reputans, *Miramamulinum*, id est, Regem credentium se suosque successores vocari iussit: propter quod ad Christianorum magnum commodum, inter Orientales Saracenos & Occidentales magna diuisio orta est. Successit autem Mahumeth *Ebumer*, & illi *Eomar*.

CAP. VI.

Continet quomodo ad subuentionem Terræ Sanctæ Karolus Magnus profectus est.

A tempore itaque quò *Humar* Terram Promissionis suo & impii Mahumeth imperio subdidit, sub tributo manserunt fideles in medio nationis pravæ: quasi *Iob* in terra Hus, & *Loth* in Sodomis; & quasi *lilium inter spinas*: per annos circiter CCCCLXX. vt supra primo cap. dictum est. Nec circa Christianos, infideles semper se vniformiter habuerunt. Tempore enim *Karoli*, quidam *Aaron* cognomento *Repsit*, Orientem occupans, tantâ affectione Karolo coniunctus est, vt illi vellet in omnibus complacere; mallerque Christianos, & sancta loca Terræ Promissionis, tam illi quàm genti suæ fore subiecta. Deprauato enim Heraclio prauus successit filius *Constantinus*, qui à *Paulo* Constantinopolitano Episcopo deceptus, contra Catholicam fidem typum exposuit. *Martinus* autem Papa primus consilium faciens cc. Episcoporum, anathematizauit dictum Patulum, & erroris sui incentores: pro qua causa capitur, & Cersonæ in exilio moritur. *Constantinus* posteà imperauit, & in Monothelitarum hæresim incidit, sicut auus ipsius Heraclius. Post hunc *Constantinus*, eius filius imperauit, qui cum Bulgaribus firmissimam pacem composuit, & cum Arabibus, qui habitabant Damascum, sapienti vsus consilio. Hic modestus & Catholicus, restauranit Ecclesias tempore proaui sui Heraclii diruptas. Insurrexit etiam contra Monothelitas: vndè & sextam synodum congregauit, CCLXXXIX. episcoporum: vbi declaratum est duas in Christo esse naturas. Huic successit *Iustinianus*, eius filius, admodum iuuenis: qui puerilitèr agens, pacem quam pater cum Arabibus aliisq; firmauerat, destruxit. Remouit etiã à mari Pyratarum exercitum, qui eius imperium ab impetu Arabum tuebatur. Vndè & Arabes regnante *Leone*, qui illi imperium abstulit, vsque in Africam multa deuastant. Pater

VI.

ex huis infelicissimus Christianorũ status sub regimine Augustorum, successorumque suorum prædictis similium: donec Romanis imperante fœminâ *Irene*, * sicut animo iam ab imperio Constantinopolitano desserant, sic nactâ opportunitate id facto ostenderent, vno omnium consensu Imperatorias laudes *Karulo Magno* Regi Franciæ, acclamantes, & coronantes eum per manum *Leonis* Papæ in Cæsarem Augustum, anno Domini DCCCI. Tempore verò huius Karoli, patriarcha Ierosolymitanus de Terra sancta expulsus à paganis, ad Constantinum Imperatorem Constantinopolitanum venit, & ad filium eius Leonem; & cum eo *Iohannes Neapolitanus* sacerdos, & *Dauid Ierosolymitanus* Archipresbyter, quos ille ad Karolum Magnum transmisit cum litteris suâ manu scripta: Et cum eis duos Hebreos *Isaac*, & *Samuelẽ*. In cuius Epistolæ parte vltima taliter scriptum erat: *Quadam die in extasi factus, vidi ante lectum meum, quendam iuuenem stantem, qui me blandè vocans paxillum tetigit*, & ait: *Constantine, rogasti Domini auxilium ad hanc rem: Accipe Karolum Magnum Regem Galliæ, & Ecclesiæ in Domino propugnatorem. Et ostendit mihi quendam militem armatum, ense præcinctum, cuius hasta altissima & cuspis sæpè flammas emittebat: & ipse senex, & prolixâ barbâ, vultu decorus, statura procerus, cuiusq; oculi fulgebant vt stella. Age iam, Auguste: qui iussionibus Dei refugit obedire, minimè culpam euadere poterit.* Quibus Patrisius perlectis, Rex illachrymatus est, pro Domini Sepulchro; iussitq; *Turbinum* Archiepiscopum, litteras coram toto populo exponere. Quibus intellectis, omnes proficisci Regem precabantur. Tunc Rex edictum proposuit, vt *omnes qui possent arma ferre, secum contra Paganos irent: & qui cum non sequeretur, cum liberis quatuor nummorum seruus fieret.* Maiorem itaque congregauit exercitum, quam vnquam fecisset: & profectus est. Cùm verò peruenisset eis Ierusalem ad desertum, quod vix in duobus diebus transiri consueuit, in quo erant vrsi, leones, rygrides, & aliæ feræ diuersæ, Rexque Psalmos dicens, cùm ad illum peruenisset versiculum: *Dedùc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*: vox alitis propè lectum eius audita est: quam qui aderant audientes, expergefacti sunt. Rex verò Psalmos continuauit, vsque ad versum illum: *Educ de custodia animam meam.* Et iterum ales clamauit: *France quid dicis? France quid dicis?* Hanc alitem Rex prosecutus est paruulâ semitâ, donec recognouerunt callem quam præcedenti die amiserant: & peregrini extunc cœperunt audire ibidem alites sic loquentes.

A. Dni. 802.

Psal. 118, 35.

Psal. 141, 10.

CAP. VII.

Continet Karoli reditum, ac reliquiarum reportationem.

VII. COmpositis rebus, & recuperatâ Terrâ Sanctâ obtinuit Karolus licentiam repatriandi ab Imperatore Constantinopolitano, & Patriarcha Ierosolymitano: priùs tamen pretiosæ postulanti reliquiæ datæ sunt. Post indictum enim triduanum ieiunium, inchoatâ Letaniâ, cùm *Daniel Neapolitanus* Antistes thecam aperiret in qua spinea corona erat, tantus exinde exiit odor, vt omnes putarent se in Paradyso esse. Tunc Karolus in pauimento prostratus, plenus fide, Christum rogat, vt propter gloriam nominis sui, passionis & resurrectionis suæ miracula renouaret. Et cùm orasset, ros statim cœlitus veniens lignum infudit; & continuò flores emisit: tantaq; lux cum odore affuit, vt cuncti vestes suas quasi cœlestes putarent: & quãdo secabatur Crux, magis ac magis florere cœpit: flores autem in panno, ad hoc præparato, recipiebantur: Karolus autem *vantum* suum dextrum impleuit: deindè aliũ ad suscipiendum spinas præparans, tradidit illum astanti Archiepiscopo Ebronensi: & cùm essent vtriusque oculi lachrymis occupati; absque vtriusque sustentatione, vnius horæ spatio in aëre stetit: postea verò cùm flores vellet de chirotecha eiicere, conuersi sunt in manna: quæ nunc ostenditur apud Sanctum Dionysium. Omnes infirmi qui aderant, odore florum sani facti sunt, numero CCCI. quidã enim affuit XXXII. annis cæcus, surdus & mutus; & in extractione spineæ coronæ, visum recepit: in sectione crucis, auditum: in florum emissione, loquelam. Dataque sunt Carolo cùm parte *crucis* & *coronæ* Domini, *sudario* & *camisia* beatæ Virginis, & *fascia* quâ puerum IESVM in cunabulis cinxit, & *brachium* Sancti Symeonis, vnusque ex clauis, qui cùm de alabastro extraheretur, sanatus est puer quidam habens aridum latus sinistrum. Quę omnia Karolus repatrians, in pera portauit ad collum:

&in

& in via sacratum reliquiarum contactu, puer mortuus suscitatus est, & L. ægri sanati. Cùm verò *Aquisgranum* peruenissent, sanati sunt cæci & febricitantes innumeri, dæmoniaci XII. leprosi VIII. paralytici XV. claudi XV. manchi XXX. gibbosi LII. caduci LXV. Deinde indixit per totum orbem, Idibus Iunii vt venirent Aquisgranum has videre reliquias: vbi fuit *Leo Papa*, & *Turbinus* Archiepiscopus, & *Theophylus* Antiochenus Antistes, aliique plurimi Episcopi, & abbates; ibi etiam suscitatus est mortuus: celebraturque festum IV. feria ieiuniorum mensis Iunii.

CAP. VIII.

Continet deteriorem statum Terræ Promissionis, maximè propter vastationem Constantinopolitani Imperij.

VIII. POst hæc accidit vt tempore Episcopi Ierosolymitani qui vocabatur *Oreste*, cuius nepos Calypha Ægypti, nomine *Elau*, ex sorore, effractis pactis consueris mandauerit imponi solito maiora tributa & Angarias Christianis, & oratoria cuncta prosterni: vnde & Ecclesia Sepulchri conformiter aliis est destructa. Timebat enim haberi suspectus de lege Mahumeti, quia matrem habuerat Christianam: sed successit illi Calyphæ filius, vocatus *Deher*, amicitiâ coniunctus Imperatori Constantinopolitano, vocato *Romano*, cognomento *Elyopelitans*; & concessit illi vt Ecclesiam Sancti Sepulchri reædificaret: ipsa est quæ extat adhuc. Fuit autem hæc Ecclesia reædificata MXLVIII. Manserat enim destructa annis XXXVII. Et post reædificationem annis L. capta est à Christianis Ierusalem: *infra parte* V. *cap. VIII.* Post afflictam autem Ierosolymitanam Ecclesiam, Constantinopolitana, vltra brachium Sancti Georgii, & Antiochena, pene totaliter destructæ sunt. Imperante enim pacifice *Romano* cognomento *Diogenes*, Orientalis Rex potentissimus *Belphet*, cum infinito exercitu Persarum & aliorum, versus Constantinopolim faciem direxit: ciuitates & castra protinus capiebat, & omnia destruebat. Iamque omnes territi fugiebant, non audentes illius expectare aduentum. Tandem occurrit illi Imperator, vndique contracto exercitu, & commisso bello Imperator capitur, multo Græcorum effuso sanguine. Tunc *Belphet* elatus tantâ victoriâ, coram Principibus suis sedens, super guttur Imperatoris pedem tenebat; & cùm pluries hoc egisset, illæsum abire permisit: Græci verò tàm confusum hominem dedignantur Imperatorem habere: eumque ab Imperio depositum, exoculant. Prædictus verò Rex Belphet Saracenicus, à Cilicia Suriæ vsque ad brachium Sancti Georgii, omnia occupauit, spatium videlicet XXX. dierarum in longitudine; in latitudine verò decem, & alicubi XV. Obtinuit itaque Suriam, duas Cilicias, Pamphiliam, Lige, Licaoniam, Cappadociam, Galathas, Bithiniam, & vnam portionem minoris Asiæ; destruxit Ecclesias, populum & ædificia cuncta vastauit: tantusque terror cunctos inuasit, vt vsque ad sex vel ad septem dietas, nequaquam securi consisterent. Nocuit hoc plurimum fidelibus Terræ Promissionis; quia quando Imperator ista possidebat, quæ amissa nunc diximus, frequenter illis & multipliciter mittebat auxilium. At verò cùm cernunt ab inimicis nominis Christiani omnia occupari, putant esse de cætero in perpetua seruitute.

A. Dñi. 1048.

QVARTA

QVARTA PARS CONTINET COMMOTIONEM MIRABILEM OCCIDENTALIVM POPVLORVM AD TERRÆ sanctæ liberationem, tempore Petri Eremitæ: habens Capitula XIII.

CAPVT I.

Continet piam auxilii implorationem: initiumq; postulatæ salutis.

POST pœnitentiæ lamẽta, cognitionemq; peccati, solita est Diuina clementia audire preces humilium, nec spernere preces eorum. Poterant proindè cum lugubri Ieremia, post præmissa suspiria affectuosè orando exponere piissimo creatori: *Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere, & respice opprobrium nostrum. Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos: patres nostri peccauerunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portauimus: defecit gaudiũ cordis nostri; versus est in luctum chorus noster; cecidit corona capitis nostri. Væ nobis! quia peccauimus: propterea mœstũ factum est cor nostrum; idèo contenebrati sunt oculi nostri, propter montẽ Syon; quia disperiit, & vulpes ambulauerunt in eo. Tu autem Domine, in æternum permanebis: solium tuum in generatione & generatione. Quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinquens nos in longitudine dierum? Conuerte nos, Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.* Talibus precibus similibusque, inclinatus Omnipotens, cuidam pauperculo homini, de regno Franciæ, in Episcopatu Ambianensi heremiticam vitam agenti, qui & *Petrus Heremita* dicebatur, nõ solùm ad meritorum ipsius cumulum, verum potius ad Terræ Sanctæ subsidium inspirauit, vt gloriosum Christi visitaret Sepulchrum, cæteraque loca Christi consecrata præsentiâ, illustrata miraculis. Profectus ille, graui superato labore, periculoque multiplici, tandem Ierosolymam adit, ad portam Ciuitatis accedit; & soluto ianitoribus, vt mos peregrinantium erat, aureo nummo, liber intrauit. Ingressus autem, vidit omnia loca Sancta irreuerenter tractari ab infidelibus, imò potius prophanari: & tactus dolore cordis intrinsecus: *Heu*, inquit, *hæccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Vidensque venerabilem virum *Symeonem*, Patriarcham loci illius, tanquam vile mancipium reputari; cunctosque fideles in summa abiectione, innumerisque angariis prægrauari: ait, *Destruxit hunc sanctificationis locum quem creauit Omnipotens: obliuioni tradidit in Syon festiuitatem, & Sabbathum; & in opprobrio & indignatione furoris sui Regem & sacerdotem, & repulit altare suum.* Miroq; modo ex horum confusione afflictus, (puta qui, velut vir Sanctus, super miseriis proximi, iniuriisq; diuinis, & misericordiæ gestabat viscera, & zelo accendebatur Diuini honoris) cœpit cogitationibus distrahi, & anxius mente perquirere si qua foret via salutis; si quod tantæ calamitatis posset inueniri remedium: nihilque ad hæc in se reperiens virium, orabat per eum hæc fieri qui dispersionem congregat Israëlis. Cùm autem nocte quadam, in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, affectuosè super hoc Diuinam exoraret Clementiam; & quasi factus in agonia, prolixiùs oraret: post multam vigiliã, ac orationem deuotam, somno corripitur: speciosus formâ præ filiis hominum illi astitit: piisque eius votis annuens, Legatum ad summum Pontificem, & Occidentis Principes, pro Terræ sanctæ liberatione transmisit. Qui Diuinâ reuelatione commonitus, & flammâ diuini amoris accensus, cum litteris dicti Patriarchæ Ierosolymitani ac aliorum fidelium, ad iussa perficienda iter aggressus est.

Luc. 5. 12.

Tom. 5. in c.

Psal. 78. 8.

Lam. 2. 15.

CAP. II.

Continet celerem Passagij congregationem.

CVm autem ad partes primò applicuisset Italiæ, confestim ad *Vrbanum Papam* se- 11.
cundum, se transtulit: à quo, exposito negotio, benignè receptus est: deinde per illas partes transcurrens, & ad Passagium cunctorum corda succendens, Alpes trãsgressus, tam Principes quàm Papam sollicitè inuitabat, & prædicando multipliciter hortabatur ad Terræ Sanctæ peregrinationem. Cecidit què semen verbi Dei in terram bonam: & ortum, fecit fructum aliud trieſimum, in actiuis, & ratione ætatis aptis ad bella Domini; aliud ſexageſimum, in contemplatiuis, & ſacris vacantibus: nam & ſexagenariis, poſt militiam & actiones publicas, dari conſueuit vacatio: aliud centeſimum, in Prælatis benè præſidentibus, qui ſecundùm Apoſtolum *duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Contigit etiam paruo 1. *Tim.* 5, 17.
poſt hæc tempore ſummum Pontificem tranſire in Galliam, diſſidentibus inuicem Sacerdotio atque Imperio, auctiſque ſcandalis M. XC V. & celebrauit *Concilium* A. Dni. 1095.
apud *Claromontem*, Auerniæ ciuitatis: vbi excommunicatur *Guibertus*, qui ſe pro Papa gerebat; ſimiliter *Imperator*, & cuncti eum manutenentes; *Philippus* quoque, Rex Francorum, & coniux, donec ad emendationem venerint, & alter recedat ab altero. Deinde ordinatis rebus Eccleſiaſticis, in quandam ſpatioſæ latitudinis plateam exiit: quia multitudinem clauſura capere nulla poſſet: ad populumque in hæc rethoricæ dulcedinis verba prorupit. *Gens à Deo electa, & prædilecta, ad vos ſermo noſter dirigitur. Ad fines veſtros lugubris nos cauſa deduxit. A Ieroſolymorum enim finibus relatio grauis emerſit: quia videlicet gens Perſarum, generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius, Dei populum in Terra ſancta Promiſſionis, partim conſumpſit gladio, partim captiuos duxit, patriam rapinis, igne ferroq; conſumens, Eccleſiaſq; ſubuertens: Chriſtianos etiam circumcidunt, & in fidei noſtræ opprobrium, circumciſionis, cruorem aut ſuper altaria fundunt ſacrilegi, aut in vaſis baptiſterij immergunt. Quibus autem incumbit vitio tanti ſceleris, niſi vobis, quibus contulit Deus, præ cæteris, inſigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, potentiam, vertè humiliandi verticem ambulantium in delictis ſuis? Moueat vos anteceſſorum veſtrorum imitabilis probitas, & magnitudo Karoli Regis, & Lodouici filij eius, qui dilatando fines Eccleſiæ, Paganorum caſtra ſubuerterunt, & regna. Præcipuè verò corda veſtra excitet glorioſum Chriſti Sepulchrum ab immundis gentibus poſſideri, cæteraq; loca ſancta inhoneſtè tractari, eorumq; immunditiis ſordidari. O fortiſſimi milites, & inuictorum propago parentum, nolite eſſe degeneres. Si vos karus liberorum, parentũ* Matt. 10. 37.
ac coniugum tenet affectus: memento te ſermonis Domini: Qui amat patrem & matrem plus "
quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus: & qui "
non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus; Qui perdiderit animam ſuam propter me, inuitam æternam cuſtodit eam. Crucem propterea in humeris ſumite; hac pectoris aditam communite: Terram denique veſtram mentium vndiq; clauſam ingis, multitudini colonorũ alq; colentium ubi alimenta præbentem, pro terra commutate, quæ fluit lacte & melle, quã pius Redemptor ſuo illuſtrauit aduentu, decorauit præſentia, ſanguine conſecrauit, redemit morte, & glorioſi Sepulchri inſigniuit decore. In ſermone quoq; aſſeruit, quia *hominibus, viuere calamitas eſt, mori, felicitas: mors, accelerat bonis patriam; & reſecat malis malitiam.* Multi qui ſermoni aderant, aſſumpto ſigno Crucis in humeris, quaſi onus Domini leue quod ab onere alleuiat peccatorum, iugumq; ſuaue demulcentis gratiæ, ad Chriſti obſequium ſe fideliter præparant: Quorum primus fuit vir Venerabilis & ſanctæ conuerſationis *Epiſcopus Podienſis*, cum multis aliis tam nobilibus, quam inferioribus viris. Sequenti verò die, reſidente Epiſcoporum conuentu, propoſuit ſummus Pontifex, quis multitudini cupientium peregrinari præfici debeat: & communi omnũ conſenſu Podienſis Epiſcopus, Diuinis rebus ac humanis idoneus, *Legatus* efficitur. Prælati quoque Eccleſiarum, aliique viri prudentes & litterati, ſecundùm quod in mandatis acceperant, in diuerſis fidelium partibus prædicantes, ſigno Sanctæ Crucis conſignauerunt Chriſtiani populi multitudinem, vſque ad ccc. milia perſonarũ. Inter quos fuerũt præcipui & notiſſimi viri *Hugo* magnus, frater Philippi Regis Frãciæ: *Robertus* Comes Flandriæ: *Robertus* Dux Normãdiæ: *Gulielmus* de Anglia. *Stephanus* Comes Carnotẽſis & Bleſenſis, qui fuit pater Comitis Theobaldi antiqui: *Raymund*ꝰ Comes Tholoſæ: Comes *Garnerius* de Gres: *Balduinus* Comes de Henauth: *Bimont* Comes de Aurengia: *Gulielm*ꝰ Comes de Fores: *Stephanus*, Comes *D'Aubemare*.

Retren Comes Deuperche: *Hugo*, Comes Sancti Pauli: & Barones innumeri. Inter cæteros valens *Gotifredus*, Heustachii Bononiensis Comitis filius, dux in Theotonia, vultu elegans, statura procerus, dulcis eloquio, moribus gratus: tam mitis & lenis, vt in se monachum magis quàm militem figuraret; cum tamen hostem imminere sensisset, nullus eo in bello securior: quasi enim leo confidens ad nullius pauebat occursum: & quæ lorica aut clypeus sustinere poterat ictum mucronis illius? Cum illo quoque duo fratres eius; *Balduinus* & *Eustachius*; eorumq; consanguineus *Balduinus de Burgo*, filiusq; quondam Hugonis de Receſt: *Guido* de Garlande, Seneschaltus Regis Franciæ: *Gerardus* de Resilion: & alii. Omnes Barones concordauerunt, ne simul omnes pergant, quia non possent victualia, aliaq; necessaria inuenire. Aduenientе autem Martio, videres parari equos dextrarios, palafredos, & bellica instrumenta, & cætera opportuna. Cum tempus affuit inchoandi recessus, vniuersi suspirils, lachrymis, & singultuosis lamentis erant repleti: pauca erant hospitia de quibus non procederet peregrinus, vel saltem propinquus: contigit etiam multas familias, vacuâ domo relictâ, ex toto peregrinari: ducebant enim multi secum, & parvulos & vxores.

Caput III.

Continet peregrinationem Galteri, & suæ comitiuæ, vsque ad Constantinopolim.

A. Dni. 1096.

HIc Nobilis miles & probus, adiunctâ sibi multitudine equitum peditumque, MXCVI. In fine Martii, per Alamanniam transit, & regno appropinquauit *Vngariæ*, quod vndique magnis aquis paludibusque circumdatur, nec patet aditus nisi per strictos meatus, qui sunt quasi ianuæ regni. Rex *Kalemanus*, vir deuotus, mandat mercatum illis deferri, & pro conuenienti foro necessaria exhiberi. In fine verò regni, versus Oriens, aquam pertranseunt vocatum *Marec*, & intrantes *Bulgariã*, ignorabant ex suis ibi remansisse citra aquam: plures enim remanentes iuerunt ad castrum vocatum *Malauilla*. Vngari verò eos qui citra aquam remanserant, quia abesset exercitus, spoliauerunt, nonnullos verberauerunt, & tandem dimiserunt. Hoc cùm ad sociorum deuenisset notitiam, corda commouit, redissentque ad vlciscendum iniuriam, si non affuisset transuadationis periculum, & impedimentum itineris. Procedentes itaque, peruenerunt ad primam ciuitatem Bulgariæ vocatam *Belgraue*. Requisitus dominus terræ, mercatum peregrinis negat: nonnulli indigentia nec non proteruia ducti, aliqua rapiunt, vim inferentes indigenis: ciues arma capiunt, & de peregrinis plurimos lædunt, interimuntque. *Galterus* deinde suos ordinat, & iter agens peruenit ad Ciuitatem vocatam *Stralisce*: Dux verò Ciuitatis peregrinis festinus occurrit, & competens forum exhibuit: fecitque reddi quæcunque recuperari potuerunt ablata eis in Belgraue. Cum verò *Constantinopolim* peruenissent; Imperator Galterum accersit, qui sciscitanti respondit: se ducere Peregrinos; & quod Petrum Eremitam expectare vellet ibidem. Imperator locum extra vrbem Peregrinis assignat, & necessaria eis deportari iubet.

Cap. IV.

Continet peregrinationem Petri Heremitæ, cum innumerabili multitudine, populi vsq; Constantinopolim.

NOn multo post tempore *Petrus Heremita* Lombardorum & aliarum diuersarũ nationum vsque ad XL. millia, eadem quasi perduxit via, donec ad castrum peruenit, quod superiori capitulo nominari diximus, *Malauilla*: & cognita offensa sociorum qui cum Galtero transierant, vi castrum capiunt; cunctosque interimunt: vsque videlicet ad quatuor milia hominum, de Peregrinis verò vltra centum mortui non sunt. Inuentâ quoque ibi victualium copiâ, quinque diebus immorari sunt. Audiens autem *dux Belgraue* vindictam Peregrinorum tam duram, conscius sibi illatæ iniuriæ Peregrinis (*superiori capitulo*) timuit ne istorum posset impetum sustinere; propterea relicta ciuitate, ad castrum fortius se suosque reduxit. Tunc *Petrus Heremita* audiens, quòd Rex Vngariæ pararet contra eum exercitum, cunctos aquã transnauigare iubet celeriter, curtusque & copias in districtum transire Bulgariæ, peruc-

perueniuntq; ad *Belgraecm* ciuitatem, quam totaliter euacuatam inueniunt; indeq; octo diætis ad ciuitatem perueniunt vocatam *Niz*: hæc munitissima est, habitatores quoque eius bellicæ industriæ magis instructi. Inuenit autem exercitus pontem lapideum, quem pertransiens, inter aquam & ciuitatem remansit: Requisiti ciues vt venalia subministrent, obsides petunt pro securitate, & obtinent; deindè necessaria copiosè transmittũt: Peregrini verò, eo sero refocillantur, qui plurimis diebus minimè inuenerant refrigerii locum: facto manè reddũntur obsides, & Peregrini viam inchoant. Erant autem inter eos *Theotonici*, qui nimiâ prauitate in simul congregati vsque ad centum, cùm alii præcessissent, combusserunt molendina iuxta pontem; & consequenter quendam viculum incenderunt. Cives offensi, arma capiunt, & dum abeuntes persequuntur, actores sceleris primò reperiunt, trucidantq; extrema quoque inuadunt exercitus: ibi potissimè erant senes, infirmi, debiles, currus & somagia: plures occiderunt; nonnullos captiuos duxerunt, & de curribus & somagiis similiter acceperunt. Delatâ re tam lugubi, Petrus Eremita, reuocatis qui præcedebant, cuncti de reditu consulunt: redeundo verò, trucidatos cernunt socios & propinquos; & magno planctu edito, nuntios litterasq; transmittunt, querentes cur tale, tantumq; scelus in Christi Peregrinos egissent: & auditâ causâ, prudentiores vident non adesse locum neque tempus omnem iniuriam vindicandi; & de reformatione pacis tractare cupiunt; & captiuos cæteraq; redimere: nonnulli autem ex minoribus, vltionem proclamant. Mittit deindè Petrus Eremita aliquos de prudentioribus, & non acquieuerunt: personaliter deindè vadit, & proclamari fecit ex parte sua & omnium Baronum, qui in exercitu erant, vt nullus se iungeret hiis qui vellent infringere pacem: tractatores autem pacis de ciuitate, percipientes incrementum tumultus, infecto negotio rediêre. Nullis itaque viribus retineri potuerunt, quin vsque ad mille Peregrinorum contra ciuitatem procederent; totidemq; illis obuiam exierunt. Cernentes verò qui de muris respiciebant, Peregrinos præualere, putantes quoque quòd maior exercitus se de negotio nequaquam intromittere vellet, in multitudine exierunt: & inuenientes de Peregrinis vsque ad quingentos super pontem, omnes penè interimunt. Quod cernens Peregrinorum multitudo, se cohtinere non potuit, illisq; in succursum processit: sed mirum in modum Peregrini in fugam conuersi, cùm securitatem ex aduenientibus auxiliariis concipere debuissent, cæteros obuiam sibi factos compulerunt in fugam. Tunc, proh dolor, grande fuit Peregrinorũ dispẽdium: decem milia enim virorũ, mulieres multæ, & paruuli periêre; & currũ vsq; ad duo milia amissa sunt. Dispersi Peregrini, tandem die quarto congregati, & in arto positi ex defectu victualium, & mœstitia defunctorum, Imperatoris nuncios recipiunt, eorum redarguentes audaciam; compelluntq; nuncubi immorari, promittentes tamen vbique victualia & necessaria exhibere; & opere compleuerunt. Ad *Constantinopolim* itaq; venientes, Galtero sociati sunt, & diebus aliquibus quieuerunt. Imperator quoque, accersitum *Petrum* Eremitam muneribus honorauit: admirans homunculum, tam probum, & gratè ad interrogata omnia respondentem.

CAP. V.

Continet gesta dictorum peregrinorum vltra mare Hellespontum, quod dicitur Brachium Sancti Georgij. Rubrica.

POst quietem dierum aliquot, *Brachium Sancti Georgij* transeunt, pararis iussu Imperatoris nauigiis; & iuerunt *Bythiniam*, quę est prima pars Asiæ: & *Nichomediam* transeuntes, supra mare castra metati sunt, in castro vocato *Ciuitot*, super Nicæam ciuitatem constituto, vbi potestatem exercebant inimici eorum. Ibiq; duobus mẽsibus commorati, quotidie pro conuenienti foro recentia inueniebant cibaria. Saturatus autem populus, quietis impatiens, voluit circuire: & factis conuenticulis, tandem vsque ad decem milia processerunt contra Principum voluntatem: immensas agebant prædas, lucraq; per maxima. Cùm tamen Imperator, primò ore, nũtiis deindè, premonuerit eos, quietè cum Turchis ageret quousq; maiores Principes aduentarẽt. Accidit autem die quadam vt *Petrus Heremita* Constantinopolim rediret, quòd venalia facta erant solito cariora. Tunc minutus populus, quasi liber,

in

congregatur: & processerunt vsq; ad septẽ mille pedites; & trecenti equites versus *Niceam* ciuitatem: & per villulas & casalia, omnia destruentes, magnam reportauêre prædam, nullusq; eorum periit. Cernentes autem *Theotonici* illorum tripudium de reportato lucro, tanquam homines effrenati, prædæ & gloriæ cupidi, congregati sunt vsque ad tria milia peditum: & versus Nicæam procedentes, ad pedem montis iuxta Nicæam ad quatuor leucas, *castrum* inuadunt, & non sine defensione capiunt; & vtriusq; sexus cunctos interimũt: victualia, & pretiosa ibi multa reperiũt: muniuntq; castrum, quia locus esset aptus ac delectabilis, donec cæteri qui expectabantur, adueniant. Interim *Solimanus* illius patriæ rector ac dominus, audiens Christianorum aduentum, ad Orientem egressus, amore & pretio, pro tuenda terra, multitudinem armatorum secum adduxerat: audiensq; illatas iniurias, ad castrũ accedit: quo faciliter obtento, cunctis capita præcidit. His auditis, in castris Peregrinorũ planctus & vlulatus exoritur, & acerbiùs indoluit gens minuta, belli ignara: & querebantur ignauiæ militum, qui sanguinem occisorum fratrum vindicare negligebant: eliguntq; capitaneum *Gotifredum Butriae*, qui horum incentor erat: & apertè milites illegales dicebat; bellumq; omittere non prouidentiâ, sed pauore. Tantùm exprobratio huiusmodi & lamentum inualuit, vt omnes communiter arma caperent, & plebeo dicere posset miles: *Tu minus sapiens, plus ego*; fuerunt q; xxv. milia: & directè per montes & per nemora tendunt versus Niceam. Sed in via *Solimanus* Peregrinis occurrit, cum suo exercitu; pugnatur vtrinq; acriter; sed prævalet Turchus, & cædendo insequitur fugientes, vsq; in castra, ibiq; senes qui remanserant, mulieres, infantes, & debiles trucidantur. Erant enim equites Turchi, pedites Peregrini, præter quingentos equites: tantum quatuor milia hominum, ad quoddã fortilitium, iuxta mare derelictum habuêre refugium, opilantes ostia & feneſtras lignis & lapidibus: quod cum innotuisset Turchis, dicto facto insultu, magnum obsessis imminebat periculum. Sed *Petrus Heremita*, quem Constantinopolim iuisse prædiximus, de euentu per cursorem certior factus, post suspiria & gemitus ad Imperatoris pedes prostratus, opportunum impetrauit auxilium: nam ille continuò suos misit nuntios, qui statim ab obsidione amouêre Turchos. Hic lector aduerte, quantâ pœnâ inobedientiæ contumacia feriatur; quamq; periculosum sit, indisciplinatum sequi populum in peccato.

CAP. VI.

Continet destructionem inordinatæ multitudinis Theotonicorum, sub sacerdote Scondescauso peregrinantis.

VI. SIcut Petrus Heremita in Francia, sic sacerdos quidam *Condescausus*, crucem in Theotonia prædicauit; adunatisq; xxv. milibus Theotonicorum, peregrinationis iter arripuit: hiis quasi vicinis, iussit Vngariæ Rex familiaritatem & mercatum conueniens exhiberi. Illi videntes rerum copiam, & quòd plura libere possent agere, reddere cœperunt pro fructu, pœnam; pro pietate, dolum: Nam & victualia, & bestias campi rapere cœperunt, & fœminas hominesq; ferire, & lædere patriam. Cùm verò hæc perlata essent ad Regem, armatos vndique contrahit, & insequitur abeuntes; & iuxta castrum *Belgraui* reperit in meditulio regni. Audiẽtes verò Theotonici Regis aduentum, sibiq; audacis facti conscii, arma capiunt: cernentes Vngari conceptam desperationem pro defensione vitæ, animiq; furorem more suo, propositum versipelles occultant: Iam non viribus, sed fallaciâ pugnant; mittuntq; nuntios qui referant quàm grarè recepti fuerint, iussu Regis; quàm ingrati nonnulli fuerint beneficiis; quàm magnus in Regia Curia malefactorum sit clamor exortus: cognoscunt quoq; maiores, viros honestos, quibus hæc mala displiceant; nolũt proindè in eos retorquere vindictam; soli noxii puniantur. Vt igitur recto ordine cuncta disponantur, requirunt vt sese, ac sua maximè arma, submittant Regiæ voluntati: sin autem, in regni medio constituti, nec præsenti Regis virtuti resistere poterunt, nec extrema transire. Sacerdos cum Baronibus spe de Regia dulcedine ac pietate protestantes, petitioni annuunt; nolentem quoq; minutum populum arma reddere, precibus & inductionibus compellunt: quo peracto, Vngari in illos prosiliunt; nec inter sanctum & profanum distinguẽtes, cunctos pene interimunt: fugerunt nonnulli qui suis in partibus, tã scæuæ prodigionis atrocitatem referrent.

CAP.

CAPVT VII.

Continet confusionem popularis multitudinis, peregrinantis sine vllo principali ductore.

BReui post tempore innumerabilis populi multitudo congregata, sine rectore ad peregrinandum iter arripuit. Licet enim illi cõgregationi Barones plurimi non deessent, tamen nemini obtemperare volebant: & res pessim as multi praui agebãt, ita vt in transitu multos interficerent, maximè in partibus Coloniæ, & contratis Alamaniæ. In illis autem partibus erat magnus comes, vocatus *Emicon*, qui illi multitudini societate iunctus est. Hic nec fatuos monuit, nec prauos corripuit. Transierunt autem per Franconiam & Bauariam, vsq; ad confines Vngariæ, & peruenerũt ad ciuitatem vocatam *Meczsemborc*, putantes sine contradictione Vngariam transire; sed cùm peruenissent ad pãssum, via eis denegata est. Erat enim ibi fortilitium, ex vnà parte Danubio circumdatum, vocatum *Lintans*, ex aliis partibus profundis paludibus; intus verò armatorum cateruæ. Iam enim audierat Rex Vngariæ cc. milia peditum, & III. milia equitum aduentare: timebatq; ne vlciscerentur perfidiam quam in priores exercuerat Peregrinos. Peregrini tandem obtinent vt nuncios mittant ad Regem, nec potuerunt aliquid obtinere: dolet igitur se frustra laborasse, & multam pecuniam consumpsisse: deliberantq́ue vniuersa quæ ex illa parte regni erant, igne ferroq; vastare. Dum talia agunt, vsq; ad septem milia equitum Vngarorum, nauigio aquam transeunt, & ceperunt pãssum quendam: quod Peregrini considerantes, cum magno vigore illos aggrediuntur; cunctosq́ue perimunt, exceptis quibusdam, qui peditando ad paludes habuêre confugium. Tunc Peregrini elati de victoria, totum regnum si obtinere posse credunt: feceruntq́ue pontes & scalas in multitudine; & ad turrem erigentes, & partes cæteras, vt opportunum videbatur, murum quoq; instrumentis ferreis demolientes, ita hostes aggrediuntur & castrum, vt illi perterriti omnem animi vigorem amiserint: dum verò mori cuncti putarent; in breui, subitò confractis scalis & pontibus, obsidentium multitudo ruit; cunctiq; in fugam conuersi sunt, fugæ causam penitus ignorantes. Hocq́ue videntes Vngari, vixq; credentes quæ oculis conspiciebant, de turri descendunt; & qui mori putabant multos interimunt. Comes *Emicon* ad propria rediit: Barones Gallici in Apuliam transeunt, ibiq́ue aliis transfretantibus sociati sunt. VII.

CAP. VIII.

Continet peregrinationem ac captionem Hugonis Magni: & qualiter Boamundus ad peregrinandum animatus est.

HVgo Magnus frater Regis Franciæ, *comitesq́; Normandiæ & Flandriæ*, ac cæteri, aliud iter arripiunt. In alia verò societate fuêre Episcopus *Podiensis*, & *Raymũdus* Sancti Egidii Comes. Vir enim iste cùm prædiues esset omnia bona sua vendidit, vt toto conatu Christi negotio inseruiret. Hii, cæteriq́ue secum satis contiguo tempore, à suis exeuntes sedibus, seorsum tamen, pertransitis Alpibus per Italiam & Romam, versus Apuliam pergunt. Tantorum Principum aduentum audiens *Boamundus*, qui in littore Scaphardi pelagi *Melphiam* obsidebat, Princeps Tarentinus, Roberti Guiscardi filius, qui Imperatorem Græcorum suo tempore bello superauit, ad peregrinationem Sepulchri, eorum prouocatus exemplo, opus diuinitus immissum humanis cordibus laudat: tandem duo pallia deferri iussit, & bellatoribus suis, tam peditibus quàm equitibus pronuntians, ait: *Qui Domini est, iungatur mihi. O milites nunc mei, estote Dei, & iter Sancti Sepulchri mecum arripite. Nunquid hij martyrium, immò cœlum rapient sine vobis?* Tunc illi, in accipiendo Crucem, tanta hominum multitudo sociata est, vt accipere affectantibus atque petentibus Crucem, deficeret pannus. Audientes autem optimates Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, quæ Boamundus gesserat, ad ipsum confluunt; & tam mediocres quàm potentes & inferiores innumeri, peregrinationem Sancti Sepulchri assumunt. Interea *Hugo* Magnus, & *Gulielmus* Marescalci filius, de portu Bari, *Duratium* transfretant, quos dux loci captos ad Imperatorem transmittit Constantinopolim. Iusserat enim Peregrinos detineri, volens cunctos sibi homagium facere, de eo quod per arma conquirerent. VIII.

CAP. IX.

Continet peregrinationem Gotifredi & Hugonis Magni liberationem.

IX. IN medio verò Augusti, *Gotifredus* iter arripuit, & cum eo multi alii Comites & Barones; *Episcopus quoq; Montis acuti*: & xx. Septembris in villam Austriæ peruenerunt, quæ vocatur *Tolliebore*: indè fluuius labitur dictus *Lintans* Imperium diuidens à Regno Vngariæ. Auditâ verò Peregrinorum strage factâ in Vngaria: *supra cap. VI. & VII.* perquirunt inter se qualiter in pace regionem illam pertransire valeãt: deliberantq; litteras ac nuntios transmittere, petentes à Rege, cur fratres suos Peregrinos in suo regno peremerit; tractent deindè de transitu pacifico & securo. Rex coram Baronibus suis, excessus Peregrinorum exponit prędictis nuntiis: de quibus excessibus *supra IV. & VI. cap.* actum est. Et cum illis suos transmittit nuntios, qui tanquam amicum Gotifredum cum cæteris salutent Baronibus: illiq; dicant, quia ex fama Rex benè cognoscit eum esse altum virum ex sua progenie; & potentem ratione gentis subiectæ; animi dotatum prudentiâ, & corporis virtute strenuum: ideò ipsum appretiatur & diligit in corde suo, capitq; honorare cum sua nobili comitiua. Dux igitur *Gotifredus*, de Baronum consilio ad visitandum Regem transit, assumptis secum non amplius ccc. militibus. Rex verò illum honorificè suscepit; & pacificatis cunctis, Rex priùs receptis obsidibus, securitatem viæ, & victualium copiam subministrauit. Et cùm ad castrum quod dicitur *Malauilla* peruenisset exercitus, mille loricati pro tutela, ad vlteriorem ripam fluminis missi sunt: deindè trãsmittitur populus: receptis obsidibus, vale faciunt Regi: cũ pace atq; lætitia, ad ciuitatẽ *Belgrane* perueniunt: de qua *supra III. ca.* actũ est. Indè per mediũ nemus ad ciuitatem *Nic* transeunt: & indè *Astralice*: inde quoq; per districtũ *sancti Bacillæ* & inde ad planũ, vbi cunctorum bonorum copiam reperierũt. Ibi de captione *Hugonis Magni* noua audierunt; mittuntq; ad Imperatorẽ nuntios, dicentes: quàm indecens esset, tantũ virũ, sine causa, tanto tẽpore detinuisse; & quòd õmnes Peregrini fratres sui & socii grauabantur. Nuntii igitur ista referunt, & liberationem Hugonis Magni ac sociorum eius attentè requirunt. Imperator verò illis respondet absolutè, quòd in nullo euentu illos dimitteret. Hic enim Nicophorum præcessorem suum & dominum, cui fuerat *Scneschalcus*, sicut homo proditor & iniquus, in vinculis detinebat. Nuntii igitur insalutato Imperatore redeunt, & audita referunt. Tunc Peregrini gladiis, incendiis, rapinis, cuncta per circuitum vastant. Imperator tunc liberationem captiuorum promittit; tuncque concordant: & cùm antè Constantinopolim venissent, *Hugo* magnus, *Denes de Neele*, *Guilielmus Carpenthier*, & *Clarenbaut de Verdoil*, libertati donati, ad papilionem ducis Gotifredi, & ad cęteros Barones veniunt, & cum multa se inuicem lætitia amplectuntur.

CAP. X.

Continet rixas, & sequentem concordiam Peregrinorum cum Imperatore.

X. POst hæc Imperator per nuntios inuitat ducem *Gotifredum* vt ad se veniat: Barones verò, consulunt ne ciuitatem intret. Turbatus Imperator, illis mercatum prohibet: Peregrini per regionem discurrunt, cibaria, lucraq; multa reportant. Tunc Imperator inuitus, ne districtum suum amplius lacerarent, mercatum concedit: transacto quoque festo Natiuitatis Domini, Imperator inuitat Peregrinos vt pontem transeant, & ad locum dictum *Blachernæ* vadant, iuxtà brachium Sancti Georgii, quia ibi pro cunctis sufficientia essent palatia. Proditiosè autem hæc tractabat Imperator, vt eos quasi inclusos haberet; nec possent amplius ad libitum per regiones discurrere: ipsi tamen, asperitate hyemis, faciliter persuasi sunt; & circumdari sunt Brachio Sancti Georgii, ex vna parte, & ex alia, riuo aquæ dulcis, qui in æstate paruus est, magnus propter pluuias in hyeme: super quem ædificatus est pons quem transierant. Requirit tunc Ducem iterum Imperator, vt accedat ad ipsum: Ille fraudes metuens, per nuntios transmittit nobiles, quia suorum consilio, priùs Baronum omnium expectabat aduentum. Tunc Imperator iteratò, abstulit illis mercatum; & antè ripam Brachii Sancti Georgii transmittit sagittarios in multitudine, ad partem vbi Dux fuerat hospitatus; & sagittantes, interimunt multos qui versus

mare

mare descenderant; plures etiam vulnerauerunt per hostia & fenestras. Tunc *Balduinus* frater ducis, iussus cum VII. millibus equitibus pontem occupat, ne præoccupetur à Græcis: nec non dubitantes insultum ciuium imminere, hospitia cuncta comburunt in quibus hospitati fuerant, cum aliis proximis: & ab igne, vsque ad sex vel septem milliaria, omnia concremata sunt. Transeuntes autem pontem, in pulchro prato conueniunt: ibique magnum fuit prælium, multi Peregrini ibi interfecti sunt; plures verò de ciuibus qui tandem pondus prælii non ferentes, ad ciuitatẽ confugerunt: Peregrini verò in crastino pro victualibus transmittunt partem exercitus, & vsque ad XL. milia progrediuntur; & post dies sex, abundantia victualia, & lucra alia reportant. Tunc *Gotifredus* nuntios recipit & litteras *Boamundi*, monentes vt à malitiis Græcorum, & ab Imperatoris insidiis caueant: & suum celerem promittit aduentum. Sed Imperatorem aduentus nuntiorum non latuit; nec sine cordis amaritudine, clamores ingeminatos audit vastatæ prolixiùs regionis. Secretum proindè cum Baronibus consilium iniit; deindè ad Ducem nouos nuntios transmittit, vt ad se veniat; & filium suum maiorem dabit obsidem, ad cautelam. Placuit hoc cunctis Baronibus; & recepto Imperatoris filio, Gotifredus ad Imperatorẽ perrexit: à quo miro applausu recipitur, similiter & à cunctis Baronibus. Tandẽ eũ Imperator osculis demulcens, grandẽ profitetur amorẽ, & Imperialib. induit vestimẽtis, filium vocans; & de cætero defensorem Imperii & collateralem instituens, iuxta Imperatorẽ sedere iubet: apertisq; thesauris suis, incredibilia dedit munera; omniq; septimanâ pecuniarum magna pondera transmittebat, ab Epiphania vsque ad Ascensionem Domini. Post aliquot dies familiaris colloquii, Dux redit, & filius Imperatoris ad ciuitatem cum multa pompa deducitur; & pax vtrinq; proclamatur, omnisque arcetur offensa. Intrante autem Martio, de aduentu aliorum Baronum noua habita sunt. Placebat tunc Imperatori, & Peregrini etiam concordabant, vt *brachium Sancti Georgij* transeant. Requisitus igitur Imperator, nauigia parat; & Peregrini in *Bithiniam* transeunt, quæ est prima pars Asiæ: & castra posuerunt circa *Calcedoniæ* ciuitatem, quæ statim vltra brachium Sancti Georgii sita est: vndè venire Constantinopolim atque redire in die poterant bis vel ter.

CAP. XI.

Continet viam Boamundi in Constantinopolim; & ea quæ Imperator circa eum gessit.

BOamundus interea mare Adriaticum ex transuerso nauigans iuit *Duratium*, indeque transiit per medium desertum *Bulgariæ* in societate sua plures habens potentes & probos. Venerunt autem ad ciuitatem vocatam *Castorem*, & ibi celebrauerũt festum Natiuitatis Domini: sed quia indigenę victualia negauerunt, quasi inimicis, coacti sunt rapere necessaria vitæ: & non modicùm damnificauit patriam. Deindè venerunt in terram de *Pelagoire*, valdè fertilem; & de quodam *castro* ad quod multi habebant refugium, duxerunt prædam magnam, deindè combusserunt; fugientes verò trucidauerunt. Imperator hæc audiens, de eius aduentu non modicùm sollicitus, etiam propter antiquam patris iniuriam, mandat suis stipendiatis locum & tẽpus obseruare, vt illi gentiq; suę noceant. Hoc quidem occultè ordinat: palàm verò nuntios transmittit, & ad se blandis inuitat sermonibus, tanquam dilectum; & vbique promittit forum sibi liberè exhibere. Venit igitur Boamundus post receptos nuntios vsque ad fluuium *Bardare*: Et postquam maior pars exercitus iam transierat, exercitus Imperatoris insultum fecit in eos qui remanserant. Audito verò clamore, *Tancredus* cum duobus milibus reuertitur: multos interficit, multosq; capit, qui iussu Imperatoris id egisse cõfessi sunt. Dissimulato dolo, per transitâ *Macedoniâ*, cùm appropinquaret Constantinopolim Imperator, per nuntios eum ad se inuitat; & dum hæsitat, suspectas habens insidias, occurrit illi Dux Gotifredus ab Imperatore submissus: cuius tandem inductione ad Imperatorem iuit, & muneribus honoratus est, præmisso homagio: Interim verò *Tancredus*, eius ex sorore nepos, vltra brachium Sancti Georgii exercitum traduxit. Imperator hæc audiens, animo commotus, ità dissimulauit, omni die Boamundo noua dona tribuens, donec licẽtiatus & ipse, ad alios transiit. Eodem modo *Comes Flandriæ* de Baro Duratium transiit,

& in via ab Imperatore inuitatus est; & postquam cum Imperatore, sicut & cæteri omnia expediuit, ad alios transiit. Nec multò post, venerunt nuntii *Comitis Tholosæ*, & *Episcopi Podiensis*, dicentes quia tempestiuè Constantinopolim applicarent.

CAPVT XII.

Continet viam Comitis Tholosani ac suorum: & quæ cum Imperatore gessit.

XII. COmes Tholosanus, & duo Episcopi cum pluribus comitibus sociati per *Histriam* & *Dalmatiam* vsq; *Duratium* venerunt: multa aduersa passi sunt in via, inuasores, & raptores, & victualium inopiam. Durathii parati erant Imperatoris nuntii, eum sicut & præcessores suos inuitantes: memores verò præteritorum, vt futura euitarent pericula, nuntios, ac litteras læti susciperunt. Postquam verò exiuerunt *Epyrum*, venerunt *Empelagoire*, vbi magnam rerum copiam inuenerunt. *Episcopus* verò *Podiensis*, ab aliis sequestratus loci cuiusdam amenitate, à Bulgaribus captus, & tandem redemptus est. Manè surgentes transierunt *Thessalonicam* & *Macedoniam*; deindè multis dietis & cum multo labore peruenerunt ad ciuitatem vocatam *Redest*, quæ supra brachium Sancti Georgii sita est, à Constantinopoli dictans diætis quatuor. Illuc venerunt Imperatoris nuntii, iterum inuitantes, vt supra: Nuntii quoq; & litteræ Baronum, hoc ipsum hortabantur. Coactus igitur eorum precibus, aliis dimisso exercitu, ad Imperatorem iuit: requisitus, negauit se facturum homagium: Iratus Imperator, occultè iubet suos exercitum Comitis lædere, multosq; occidere. Idq; cautè, vt amplius nocerent: reuocauit quoq; omnes naues, quæ vltra brachium Sancti Georgii victualia deportabant. Proditorie igitur de nocte Peregrinos inuadunt, ac perimunt: illi prodition em aduertentes, arma capiunt; & hostes occidendo ac vulnerando, fugant: & non parvum scandalum passi, repatriare disponunt: Sed ab Episcopis aliisque Clericis, Dei verbum prædicantibus, confortati, in Sancto proposito permanserunt. Barones verò qui mare transierant, Imperatorem nuntiis prodirionis arguunt: ille pro Boamundo & Comite Flandriæ transmittit, volens pacificari Comiti Tholosano. Hijs ergò mediatoribus de voluntate Baronũ omnium, pax reformata est: dicebant enim quia non aderat vindictæ tempus; sed neq; facultas. Reductus igitur Comes ad Imperatorẽ, fecit homagium: Imperator verò maiora & ampliora illi donauit, quàm cuiquam aliorum; ita vt stuperent, qui aderant. Cunctis quoq; Baronibus, qui trans brachium Sancti Georgii venerant, noua munera largitus est. Necessariis igitur expeditis negotiis, de Constantinopoli in Bithiniam transfretauerunt, aliisq; iuncti sunt.

CAP. XIII.

Continet Niceæ ciuitatis captionem & vltimorum Baronum aduentum.

XIII. COngregati Barones vltra brachium Sancti Georgii versus Niceã iter diriguntur: & cum appropinquarent *Nicomediæ*, occurrit eis *Petrus Heremita*, cũ paucis qui sibi remanserant: cui Barones plurima tribuerunt. Indè processerunt, & *Niceam* obsederunt x v. Maii. Interim *Dux Normandiæ*, cum aliis Comitibus, & gente multa, Constantinopolim veniunt: transierunt enim per *Apuliam* & *Duratium*: fecerunt q; Imperatori homagium; & muneribus honorati, ad alios peruenerunt, & cũ magna lætitia recepti sunt. Fuerunt enim in exercitu c. milia peditũ, equites verò loricati vsq; ad centũ mille. Cogitant autẽ in hoc principio taliter agere, vt cunctis audientibus terrorem immittant. Ciuitas *Nicæna* in plano est, sed propè montes & nemora: & lacum magnum habet ex latere Occidentis, cuius vndæ ad murum verberant: ex alia parte sunt foueæ profundæ, & latæ eiusdem laci aquâ repletæ, aliorumque fontium; muris & bellatoribus viris munitissima. Huic Ciuitati *Solimanus*, & toti contratæ à brachio Sancti Georgii vsq; in Tharsum dominabatur, sibi concessæ ab auunculo *Belphet* Soldano Persiæ, qui eam & vsq; in Syriã recuperauit, tempore Imperatoris *Diogenis*, qui ante hunc *Alexium* tertius fuit. Solimanus iste ad montana se retraxerat, per decem miliaria; & continuè per exploratores quærebat, quomodo aptè posset aggredi Peregrinos, & obsidionem amouere. Peregrini verò, præter quàm ex parte laci, ciuitatem circumdant, & in magna ponunt angustia. Solimanus, per lacum in nauicula transmittit qui ciues confortent, & moneant, vt cùm ipse aggressus fuerit Peregrinos, ex parte vna, ipsi apertis ianuis, eos ex

parte

parte alia persequantur. Nuntii isti, vt possent inueri ex qua parte posset Solimanus intentum commodius perficere, descenderunt aliquantulum à ciuitate remoti: propterea capti, Solimani denudauerunt consilium. Omnes proinde Peregrini parati & in locis suis ordinati sunt. Circa tertiam, Solimanus descendit de montibus: & prima Turchorum acies in gentem irruit Comitis Tholosani; sed repulsa, aciei Solimani iungitur, vt eosdem iterum aggrediantur. At Gotifredus, Boamundus, & Flandrensis Comes, videntes nimiam esse Turchorum multitudinem, & quòd eam Comes Tholosanus sustinere non posset, in illos suas acies direxerunt: & Turchos in fugam verterunt, eorum quatuor millibus interfectis, multis etiam captis: & mille capita interfectorum miserunt Imperatori; nonnulla intra ciuitatem proiecerunt cum machinis, ad terrorem. Ille verò Baronibus multa misit donaria, & iussit illis necessaria cuncta deferri. Multi contra ciuitatem fuerunt insultus: sed Turchi, per nauiculas, armis & victualibus continuè renouantur. Mittunt proinde Peregrini Legatos ad Imperatorem, & à mari in curribus naues portant, per septem miliaria vnâ nocte. Terrentur Turchi tam subitâ deportatione nauigii: & de cætero, sine periculo transire non possunt. Tandem variis ingeniis, turrim vnam obruunt: & ex casu ipsius nimius terror cunctos inuasit maximè coniugem Solimani. Ideò per lacum cum duobus filiis fugit: sed à Peregrinis capitur. Ciuitas inducias petit, vt Baronibus pro deditione terræ loquatur: & in hoc conueniunt, vt Imperatori reddatur: quod & factum est xx. Iunii. Imperator verò, post aliquod tempus, vxorem & filios reddidit Solimano, vt Turchorum inueniret gratiam: sicq; contra Peregrinos, se eiusdem cum eis ostenderet voluntatis.

CAP. XIV.

Continet diuisionem Peregrinorum ab inuicem: insultum Turchorum in eos.

POst assignatam Nicæam Imperatoris Baronibus, iussu magnatum Peregrini iter arripiunt; & secundâ die iuxta pontem quendam castra metati sunt: ibi duobus diebus mansertunt, in crastino verò pontem transierunt: indeque ab inuicem aliquantulum separati sunt, ingressuri desertam terram & inaquosam. *Boamundus* enim, *& dux Normandiæ*, *& comes Carnotensis*, *& Tancredus*, *& comes Sancti Pauli*, cum multis aliis declinauerunt ad sinistram, & descenderunt in vallem, vocatam *Gorgoni*; & iuxta mare circa nonam se locauerunt. Alii verò ierunt ad dextram, & totâ die per pulchra loca ambulauerunt; & super riuos aquarum castra posuerunt: eratque distantia duorum exercituum quasi leucadum duarum. Innotuit hæc diuisio Solimano, commoto animo de amissione vxoris cum filiis, & tam nobilis ciuitatis; sollicito quoque, vt Peregrinis rependat vicem: nunc verò, vt illi videntur, opportunitatem nactus, minorem exercitum à sinistris aggreditur. Peregrini verò arma capiunt, & acies ordinant; statuentes paruulos cum matribus iuxta paludes, & plaustra circumponentes: maioris quoque exercitus per nuntios implorant auxilium. Erant enim cum Solimano vltra c.c. milia equitum; Christiani verò pauci, & pars maior pedestris. Turchi primo congressu sagittis Peregrinos, quasi pluuiarum imbre, sauciant, nescio quod barbarum clamitantes: Peregrini verò, timentes equorum amissionem, in illos laxatis feruntur habenis: illi fugiunt lancearum ictus & ensium: hic quippe eorum mos erat, vt proiectis sagittis fugiant, & nihilominus insequentes sagittent. Redeuntibus autem Peregrinis, & sagittarii reuertuntur; multique corruunt ex populo Christiano. Et dum quasi desperassent, ecce aduenientis auxilii buccinas audiunt, equorum hinnitum, populique tumultum; & conceptâ fiduciâ, aduersariis resiliunt audaciùs: superuenientes verò, cum multo vigore in Turchos irruunt, multos vulnerant, prosternunt, aci interimunt totâ die; fugientesque insequi non cessant, vsque ad castra. Tunc simul cum victoria, inextimabiles obtinuerunt diuitias: Pauperes ibi ditantur, & seminudi sericis Turchorum vestibus induuntur. Dum verò quatriduo varia ad loca diffugiunt, Solimanus reperit decem milia Arabum, qui ad eius auxilium properabant, qui & fugientem arguunt. Tunc ille, vt potuit, singultuosis suspiriis tandem respondit: *Multa vos vexat insania:*

Peregrinorum ignoratis audaciam. Virtus eorum non est humana; sed cœlestis, aut Diabolica: & si proprium deficiat auxilium, expectant diuinum: mortem vix metuunt, inde sibi præmium pollicentes. C C L X. milia fuimus; & ab eis aut occisi, aut cæsi, aut in omnem ventum dispersi sumus. Annuntiato igitur seriosè euentu, cum Solimano fugam capiunt. Ad quascunq; verò Christianorum ciuitates veniebant, mentiebantur per Solimanum Peregrinos omnes, aut deletos aut captiuatos, qui ad destruendas contratas venerant: & cùm sibi aperiebantur ab incautis ianuæ ciuitatis, ferro & igne quæ Christianorũ erant omnia destruebant. Nocuit hoc non modicùm Peregrinis: maiorẽ enim exinde habuêre inopiam cunctorum, quæ eis fuerant opportuna. Peregrini verò tribus diebus in prædicto loco immorati iter arripientes, totam transiêre Bithiniam; & terram intrantes *Pirisidiæ*, peruenerunt ad locum aridum: eratq; calor nimius in Iunio. Periêre proinde vnâ die homines quingenti; mulieres nonnullæ acceleraueruntpartum: tandem fluuium inuenerunt, ex cuius intemperato potu homines & animalia plurima periêre. Post tale infortunium, peruenerunt ad terram fertilem, & bonis omnibus habundantem, ex latere *Antiochiæ minoris*, quæ in prouincia illa Metropolis est.

QVINTA PARS CONTINET VICTORIAS PEREGRINORVM IN REGNO IEROSOLYMITANO, ET EORVM discrimina vsque tempora Regum: habens capitula VIII.

CAP. I.

Continet Tancredi & Balduini victorias, dum cunctos præcedunt: mutuamq; discordiam, & pacis reformationem.

1. COEPERVNT proinde nonnulli præcedere multitudinem: graue enim erat tantæ multitudini posse victualia reperire. *Balduinus* igitur Gotifredi germanus, cum equitibus sexcentis & peditibus multis ex vna parte; ex alia *Tancredus*, cum equitibus quingentis, & aliis peditibus, profecti sunt ad exploranda loca, vnde multitudo transire debebat: si victualia, si difficiles passus habebant; si aliqua pericula imminebant. Magna autem congregatio, Pirisidiæ pertransitâ prouinciâ, *Licaoniam* intrauêre, & vsq; ad ciuitatem *Iconij* peruenerunt: celeriter autem eam terram pertransire statuerunt, propter victualium inopiam. Turchi enim, terræ coloni, ad montes territi confugerant. Peruenerunt igitur ad ciuitatem dictam *Ramasse*: & ibi tribus diebus immorati sunt. *Tancredus* autem regiones perambulans, ad *Tarsum* peruenit Ciliciæ, vnde Apostolus Paulus traxit originem. Hanc ciuitatem fundauit Tarsis, qui fuit filius Iauan, filii Iapheth, filii Noë: *Genes. 10.* Illic igitur Tancredus existens variis inductionibus, minis & precibus, obtinuit ciuitatem, suo titulo deputari, quousq; magnus aduentaret exercitus: eius igitur vexillum magistræ turri imponitur; & ipse securitatis statum ciuitati promittit. In ciuitate autem, & in circuitu, erant Armeni & Græci: hii artes exercebãt lucratiuas; Turchi verò soli armis vtebantur, & munitiones tenebant. Accidit autem, vt illuc *Balduinus* aduenire, & gratiosè à Tancredo receptus est. De manè verò in turri Tancredi vexillum aspiciens, dedignatur, quia maioris quàm Tancredus esset potentiæ: Respondet Tancredus, nullam sibi irrogatam iniuriam: quia vexillum ipsius erectum est, antequã aduentus sui vlla esset opinio. Ille satisfactione hac minimè contentus, ciuitatis exterminium comminatus est, ni alio depositio, suum erigatur vexillum. Hanc iniuriam dissimulauit Tancredus, pro vitando Peregrinorum periculo, & recedens ad proximam ciuitatem vocatam *Adamie*, quam quidam Burgundus obtinuerat, Turchis expulsis: & victualia illi habundantissimè tribuit. In crastino Tancredus iter arripuit, & *Malmistram* ciuitatem, expulsis violenter Turchis, obtinuit. Balduinus verò, postquam Tancredus recesserat, c c c. Peregrinos, ad Tancredum putantes accedere, infra ciuitatem non admisit. Ipsa nocte Turchi, de ciuitate suos ac sua extrahentes, & postquam ad tuta loca deduxerunt, redeuntes, super trecentos Peregrinos

egrinos dormientes irruunt, & penè omnes interficiunt. Voluerunt manè Peregrini populares, interficere militares, nisi ad turres confugissent. Quietato verò ardore, Balduinus cum iuramento asseruit, se Peregrinos non ob aliam causam admittere noluisse, nisi quia iurasset ciuibus, quòd antè communem omnium aduentum nullum admitteret. Dimissâ deinde in ciuitate custodiâ, Balduinus vlteriùs progreditur, & vsque ad *Malmistram* ciuitatem veniens, introitum petiit: Tancredus magis in vindictam exarsit; præmisitque sagittarios, qui pascentes per pratum equos vulnerarent, atque interimerent. Ipse verò cum quingentis equitibus, in eum irruit, multos perimens, & plures vulnerans; sed aduersarii, cùm plures essent, eum retrocedere cogunt: superueniens verò nox, iteratò prohibuit ingressum. In crastino calescens sanguis tepuerat, & mediatorum consilio inuicem reconciliati sunt. Tancredus procedens vlteriùs *Alexandretam* capit. Qui verò erant in montibus Armeni & Turchi, tributa offerunt, vt tuti permaneant. Balduinus, ducem Gotifredum audiens à fera in venatione læsum, reuertitur: magnus verò exercitus peruenit vsque *Iuraſſe*: ibique ortum murmur contra Balduinum de eo quod Tancredo fecerat, sedatur: quia gratiosus alias, & probus, & inductus id egerat; iamque satisfecerat, paratus adhuc facere ampliora.

CAP. II.

Continet prosperos successus Balduini in parte Septentrionali.

MIles quidam Armenus, *Pancratius* nomine, die noctuque Balduinum molestat, vt regionem vberrimam versus Aquilonem, vel gratis accipiat. Assumptis tandem ducentis militibus, & multitudine peditum, Armenum sequitur; inuenitque contratam delitiosam & fertilem. Incolebant eam Christiani pauci: tamen Turchi munitiones tenebant, arma fidelibus prohibentes. Ad primum autem aduentum, cuncti fideles plenè illi tradunt dominium, vsque ad *Euſraten*: Fideles quoque tantam conceperunt audaciam, vt Turchos de tota regione expellerent. Fama itaque Balduini vsque ad ciuitatem *Rages* transit, quæ per diætam vltra Euſraten sita est: sperantque ciues, eius auxilio, libertatem. Hi ad beati Taddæi prædicationem, ad fidem conuersi sunt: sed tributarii erant Turchis, qui erant in circuitu: [Sperantque ciues, eius auxilio libertatem.] Græcum igitur Ducem, qui eos ab hostibus minimè defendebat, ciues interficiunt, & homagium faciunt Balduino, tanquam domino. *Balduc* verò, dominus in propinqua ciuitate, vocata *Sarmes*, ciues Rages nimis afflixerat: propter quod eam Balduinus iam molestare inceperat. Ideò pro decem milibus Bizantiis dominium ciuitatis Balduino resignant, quos faciliter dare potuit: nam ducis defuncti thesauros receperat. Erat & alia ciuitas, vocata *Seroge*, cuius dux nominabatur *Balac*, qui ciues Rages frequenter molestare consueuerat: rogatus Balduinus, vt remedium apponeret, placidè acquieuit. Congregans igitur gentem suam, & conductis ingeniis & bellicis instrumentis, ciuitatem obsedit. Primâ die acerrimum dedit insultum: videntes verò Turchi, quia secundâ die, & tertiâ, similiter ageret, ipsique nullum expectarent auxilium, de vita facti securi, reddidêre vrbem. Balduinus verò in magistra turri Bayliuum posuit, qui eos in pace regeret: non enim habebat populum, qui illis recedentibus, ciuitatem incoleret. Per captionem autem ciuitatis huius, assecurata est via de Rages vsque Antiochiam, cùm priùs vsque ad Euſraten, impedientibus prædictæ ciuitatis habitatoribus, securi pergere non valerent. 11.

CAP. III.

Continet itinera magni exercitus contra Antiochiam.

PRocedentes Peregrini, multa repetiunt incommoda: alicubi terram desertam & inaquosam: alicubi, propter victualium inopiam, spicas vellebant, & manibus confricabant, vt vel famem taliter mitigarent. Mortua quoque est maior pars equorum: vnde equitabant multi, boues, & magnos terræ illius arietes. Tandem intrauerunt *Licaoniam*, prouinciam omnibus bonis vberri- 111.

mam,& refocillati *Iconij*,ſuadentibus incolis, aquam in vaſis & vtribus portauerũt: quia non inueniebatur in via. Secunda autem die in veſperis ad quoddam peruenêre flumen: ibiq; duobus diebus hoſpitati ſunt. Altera verò die præcurſores peruenerunt ad *Heracliam* ciuitatem, quam Turchi, vt Peregrinorum inſignia à longè inſpexerunt, vacuam fugiendo reliquerunt: ibiq; Peregrini quatriduo quieuerunt. In *Armenia* ab indigenis, qui à Turchis affligebantur, gratioſè recepti ſunt; & *Tharſum*, *Adenam*, *Malmiſtram* pertranſeunt. Erat autem miles quidam in exercitu, fortis & ſtrenuus, ex illa regione oriundus: qui terram illam poſtulauit à cunctis Principibus, vt eam in fidelitate Sancti Sepulchri, & DEI, & eorum, cuſtodiret: cui Principes vnaniniter aſſenſum præbuêre: cognoſcebant cum enim virum fidelem, & bellicis rebus aptum. Venerunt deinde ad *Cæſaream* Cappadociæ, quæ Syriæ ex parte Septentrionis iungitur; & gratioſè recepti ſunt. Egreſſi proinde de Cappadocia, peruenerunt ad pulcherrimam ciuitatem, quam *Petrus de Alpibus* petiit, & obtinuit à Baronibus. Inde venerunt ad ciuitatẽ Choaſor; ibi tribus diebus immorati, ſuarum neceſſitatum inuenerunt remedia. Inde vſq; ad *Caſtrum Publicanorum* perrexerunt: quo ſubiugato, in *vallem de Rugia* peruenerunt, vbi inuentos Turchos multos in ore gladii percuſſerunt: quod cernentes Armeni, qui ibi habitabant, lætati ſunt; & cum terra ſua tradiderunt ſe illis: & *Ruſam* ciuitatem, & caſtra plurima obtinuerunt. Deinde vniuerſus exercitus iter arripuit per montana, ſolis feris peruia: ibi ab altitudine montium deſcendunt ad profunda vallium. Eratq; via præpedita fruticis, & denſis ſpinarum vepribus: nullus poterat tranſire eques: penè multi præ labore abiiciebant galeas & loricas. Finito tandem tam ſylueſtri itinere, viam ciuitatis habitaculi inuenerunt *Maraſym*, & ab incolis cum honore & gaudio recepti ſunt: notificauerunt q; Peregrinis adeſſe propinquam ciuitatem Turchorum prædiuitem, vocatam *Artaſe*: & mittitur *Robertus Comes* Flandrenſis cum mille loricatis: & aggreſſi ſunt ciuitatem. Turchi verò non ad muros, ſed potiora fortilitia concurrerunt; Chriſtiani verò, qui ſecum habitabant, concepta audacia, in illos irruerunt, & amputata eorum capita, Peregrinis de turribus proiiciebant: deinde aperientes ianuas ciuitatis, Peregrinos cum gaudio ſuſceperunt. Diſtat autem ciuitas ab *Antiochia*, ſolùm x v. leucas. Cùm verò appropinquaſſet magnus exercitus, cognouit quia oporteret magnam tranſire aquam: & quòd pons ante ſe haberet duas munitiſſimas turres, cum centum archeriis: ſepringenti quoq; Turchi, cuſtodirent ripam. Præmittitur igitur Comes Normandiæ, & non ſine magno belli tumultu, pontem obtinuit. Tranſiens igitur totus exercitus, propè Antiochiam, ad ſex leucas, quieuit. In craſtino verò, inter montes & fluuium, vna leucade propè ciuitatem caſtrametati ſunt.

CAP. IV.

Continet deſcriptionem Antiochiæ ciuitatis, eiusq; obſidionem.

IV. ANtiochia in Celeſyria ſita eſt, in valle habundantiſſima, & repleta terris & habitatoribus multis; & in ſegetibus habundantiſſima; fontibus & riuulis irrigua. Ex parte Orientali, ſunt montes per leucas x L. perdurantes: & ad quatuor vel ſex leucas ſupra montem eſt lacus, propter fontium abundantiam: ibiq; magna eſt piſcium copia. De lacu deſcendit riuus propè ciuitatem, & in propinquum flumen labitur. Montes ſunt alti, & tamen in eis habitationes multum domeſticæ, & vallem claudunt à duabus partibus: mons qui eſt verſus Meridiem vocatur *Orontes*, inter quem & flumen ciuitas eſt ædificata: alius mons verſus Septentrionem vocatur *Montagna Neros*, id eſt, *aquoſa*: per hanc vallem currit fluuius ſupradictus, à Cæſarea Cappadociæ veniens. In monte autem, qui eſt verſus Meridiem, incipiunt muri Antiochiæ, & deſcendendo perueniunt vſq; ad fluuium. Magnum autem ſpatium comprehendit. Infra ciuitatem ſunt duo montes, multùm alti: & in altiori eſt inexpugnabile fortilitium: inter illos duos montes eſt vallis multùm profunda & ſtricta: inde labitur riuulus ciuitati multùm accommodus. Sunt in ciuitate & fontes alii plures; ſed cunctis præualet *fons Sancti Pauli*, ad portam Orientalem: cõducitur & alius fons infra villam ſubtili artificio. A parte Occidentis labitur fluuius *Farfar*, tam prope villam, vt pes pontis muro ciuitatis cohæreat. Longitudo villæ quaſi

ke quasi ad tres leucas extenditur. Hanc ciuitatem *Belphet*, Soldanus Persiæ, de quo supra fecimus mentionem, *parte 3. capit. 8.* dedit vni Turchio, vocato *Anxiens*: sicut Niceam, & contratam superius descriptam nepoti suo *Solimano*: & Damascum alteri nepoti suo, vocato *Duchat*: & Alapiam cuidam seruo suo vocato *Affeger*, qui fuit pater Sanguini, auus Norandini. Duos autem nepotes potentissimos, *Soldanos* vocari placuit: posuitque eos quasi murum ante Persidam, vt Calyphæ Ægyptio, Duchat; Imperatori verò Græcorum, resisteret Solimanus. Sciens autem *Anxiens* venturos Peregrinos, transmisit nuntios & litteras Baronibus Orientalibus, & ore pluribus locutus est: specialiter Calyphæ Baldacensi, & magno Soldano Persiæ. Iam enim à Solimano didicerant Peregrinorum audaciam & valorem. Omnes grande promiserunt auxilium. Interim Anxiens vndecunque congregat viros bellicosos; ciuitatem victualibus munit, & armis: Habuitque in ciuitate septem milia equitum, & LXX. milia peditum armatorum. Tantæ igitur, & tam munitæ ciuitati obsidionem apponunt XXVII. die Octobris. Erant autem Peregrini, viri bellatores, vsque ad CC. milia. Inbelles verò erant non pauciores, computatis paruulis & mulieribus: nec poterant tamen circumdare ciuitatem. Habebat enim quinque portas in plano, vna erat versus Oriens, *porta Sancti Pauli* vocata: quia sita est super Abbatiam Sancti Pauli, quæ est in descensu montis: Secunda est versus Occidens, vocata *porta Sancti Georgij*: & inter has duas portas est longitudo ciuitatis, versus Aquilonem. In descensu montis sunt tres portæ quibus iter versus flumē: vna vocatur *porta Canis*, quæ est superior. Vnus pons lapideus iacet antè portam illam ad transeundum paludes, propter fontes Orientales & alios riuulos: Media vocatur *porta Ducis*: & distat vna ab alia per mediam leucam: Tertia vocatur *porta pontis*, quia lapideus pons est ibi per quem transeunt flumen: à porta enim Ducis vsque ad pontem, flumen appropinquat ciuitati. Ideò istæ portæ, & porta Sancti Georgii non potuerunt obsideri. A parte superiori, obsedit *Boamundus*, cum suis: Post eum in valle *Robertus* Dux Normandiæ, *Robertus* Comes Flandriæ, *Stephanus* Comes Blesensis, *Hugo* Magnus, vsque ad portam Canis. Ante portam autem illam erat Comes *Tholosæ*, & Episcopus *Podiensis*; & comprehenderunt totam plateam, vsque ad aliam portam ad quam locatus erat Dux *Gotifredus* cum multis, occupantes totam plateam vsque prope portam Pontis. In iis tribus locis erant viridaria, in magna copia, quæ Peregrini destruxerunt, vt illic sua tentoria ponerent.

CAP. VI.

Continet insultus & cautelas varias tam obsidentium, quàm ciuium obsessorum.

POsiti Peregrini inter ciuitatem & fluuium, pro se & equis victualia sufficienter habere non poterant: ideò transeuntes flumen illa procurabant. Exeuntes verò interdum per insidias trucidabantur, coactique Peregrini, super naues pontem ædificauerunt, prope castra ducis Gotifredi, ad eundum & redeundum eis perutilem: & ab isto ponte vsque ad pontem lapidis, erat vna magna leuca. Per duos autem pontes lapideos, Turchi nocebant pluries Christianis cum sagittis, nec poterant eos insequi nisi per pontes. Læsus plurimùm est Comes Tholosanus, maximè in equorum amissione; cogitant proindè, primò pontem destruere; nec valuerunt: Secundò castrum ligneum pro defensione construere; sed igne consumitur: Tertiò maximis opilant saxis, custodiam apponentes ne amouerentur. Demum artati fame, eligunt Barones, qui districtum Turchorum cum grandi comitiua profundè intrent, & victualia reportent. Multas & magnas egerunt prædas; & cum Turchis sibi obuiam factis pugnantes, victores effecti sunt. Igitur cum victualium copia, ad fame penè consumptos rediere. Calyphas etiam Ægypti munera mittit per nuntios Baronibus, rogans ne ab obsidione recedant; promittens auxilium cum victualibus & pecunia. *Anxiens* multum debilitatus, ad amicos nuntios transmittit, cum litteris, vt propere ferant opem; stentque in insidiis; donec more solito, Peregrini ad pontem veniant congressuri. Ad hoc peragendum conueniunt ciues Alapiæ, Cæsareæ, & illi de Haman, & plures alii. In magno fuissent Per-

egrini periculo, ni Armeni, qui intra ciuitatem morabantur, cautos eos fecissent: sicut & in multis sæpius faciebant. Tunc Peregrini, vniuersaliter arma sumpserunt: pedites remanserunt ad castrorum custodiam; equites processerunt non amplius septingenti; & inter lacum & fluuium quendam vocatum *Daufer*, nocte quieuerunt. Turchi verò & ipsi fluuium transeuntes, primò miserunt archerios: Barones verò & milites, laxatis habenis in Turchos irruunt, & tandem in fugam conuertunt; & cædendo, per decem leucas sequuntur: occideruntque vsque ad duo milia. Turchi verò, qui erant in castello vocato *Hárent*, XIV. leucis distante ab Antiochia, hoc videntes, locum Christianis liberè dimiserunt, VII. Februarii. Inter cætera autem Barones mille equos, quibus multùm indigebant, lucrati sunt; & quingenta capita Turchorum secum reportauerunt: ducenta infra ciuitatem proiecerunt cum machinis; trecenta super palos posuerunt extra ciuitatem, vt cùm ad muros accederent, illa viderent. Fuerunt autem prædicti Turchi XXVIII. milia equites. Concordauerunt deindè Barones facere fortilitium in loco alto, quod imminebat exercitui Boamundi: tunc & securi fuerunt, quasi essent intra mœnia ciuitatis. Venerunt deindè nuntii, dicentes quòd *Ianuenses* victualia illis venderent, si adessent, qui securè illa conducerent. Sed non latuit hoc eos, qui erant in ciuitate, miseruntque quatuor milia equitum electorum, qui Peregrinos non modicùm læserunt in via. Tunc dux *Gotifredus* cunctos arma capere iubet. *Anxiens* ex signis aduertit Peregrinos à suis fore læsos: & de suorum reditu sollicitus esse cœpit. A præcursoribus igitur, Peregrini cognoscunt Turchos redire. Apto igitur loco & tempore, subitò in Turchos irruunt, prosiliunt, stupefactos quoque vulnerant & prosternunt; & dum ad pontem se reducunt, Gotifredus eâ parte se illis opponit, & retrocedere cogit: cuncti cum magno pugnant vigore. Anxiens verò videns tanti prælii furorem, cum suis exit; ianuasque statim claudi iussit: sed tanto timore concussi sunt, vt acies nunquam ordinare valerent: tantus erat hominum clamor hinnitusq; equorũ, vt tonitrua vix audires. Vidēs autem Anxiens suorum excidiũ, iussit ianuas aperiri. Turchi verò cum tanto impetu ad pontẽ currunt, vt plures præcipitarentur in aquam. Gotifredus tunc vnũ, qui se diu molestauerat, sic per mediũ scidit, vt vna medietas in terram ceciderit, alia medietas in ciuitatem equo euecta sit, licet egregiè armatus esset. Ipso bello, Turchorũ vltra duo millia periêre, inter quos fuerunt XII. Admiraldi: descenditque sanguinolentus fluuius vsque ad mare. De hac victoria stupefacti fuêre non minùs quàm læti, nuntii Calyphæ, qui aderant. In crastino conuenientes Barones, & de victoria DEO gratias agentes, postea statuerunt quoddam fortilitium fieri ante pontem, vt prohiberetur introitus ac exitus. Et cùm illis remansisset exitus solùm per portam Occidentalem, quæ erat inter pedem montis & fluuium *Daufer*, ille exitus peregrinis non nocebat, quia citra fluuium *Fer* locati erant: tamen quia indè victualia recipiebant, aliud ibi fortilitium erexerunt. Ad latus quoque fluminis erat locus pascuis aptus, ad tres vel quatuor leucas propè ciuitatem: ibi tenebant animalia sua: quod aduertentes Christiani, per occulta iuerunt itinera, & interfectis custodibus vsque ad duo milia bonorum equorum duxerunt ad exercitum, & alia animalia multa. Balduinus etiam audiens exercitum fuisse in multa necessitate, victualia & dona plurima misit Baronibus, & etiam popularibus, quæ multùm gratè susceptа sunt.

CAP. VI.

Continet Antiochiæ captionem: inuentionem lanceæ Saluatoris: & victoriam contra Corbagath.

VI. ANtiochena ciuitas per beatum Petrum ad fidem conuersa, stabilis semper in fide permansérat: licet hæresis Mahumetica in circuitu serperet, quasi cancer. Verùm annis XIV. antè obsidionem huius, cùm *Belphet* omnia occupauit vsque Constantinopolim, sub Turchorum dominio facta est: Christiani verò, depositis armis, nihil auctoritatis in ciuitate habebant. Erat autem turris solemnis in muro ciuitatis, versus Occidens ad portam Sancti Georgii: ibi dicti Christiani artes & mercationes suas exercebant. *Hermuferus* autem, quidam ipsorum, gratiam reperit coram domino ciuitatis, eiusque Notarius factus est. Hic *Boamundi* famam audiens,

diens; per filium internuntium familiaris efficitur occultè nimis; & quæ de secretis domini scire poterat, illi reuelabat. Tandem illi aperuit, quòd *Anxiens* à Soldano Persidis CC. milia pugnatorum expectabat: suasitq; illi, vt à Baronibus ciuitatis dominium impetraret, & daret illi turrim prædictam. Tentatâ super hoc occultè Baronum intentione, nonnulli se iuri suo velle cedere negauerunt. Interim Soldanus Persiæ, *Corbagath* transmittit cum multitudine bellatorum, litteras illi tribuens, vt cuncti Bayliui illi obtemperent; secumq; ex omnibus partibus per quas transiret, posset ad libitum sumere bellatores. Et cùm *Rages* peruenisset, bellum illi intulit; nocere non valuit. Postquam autem tribus septimanis ciuitatem obsederat, nil agens recessit. Missi verò à Peregrinis exploratores, referunt Turchos esse vicinos; totam replere terræ superficiem. Tunc Barones iura sua, de acquirenda ciuitate, Boamundo concedunt. Ille ab amico promissa requirit, & nocte per scalas appositas, turrim ascendit. Sequitur multitudo, muros occupans; aperitur pusterla, & intrant equites; ciuitatem capiunt, & infideles vbique interimunt, III. die Iunii. Nec propter rumorem nocturnum Turchæ de suis hospitiis moti sunt: putabant enim, iuxta quod decretum fuerat, vt omnes Christiani, qui in ciuitate erant, ipsâ nocte perimerentur. *Anxiens* verò fugiens ab Armenis ciuibus capitur; capiteque truncatur. Multi tamen ad castrum, quod ciuitati imminet confugerunt, nec eiici potuerunt. Tertio verò die *Corbagath* ciuitatem obsedit: multi fuerunt insultus. Tandem fame ciuitas cruciatur: Sed post promissam ad pœnitentiam conuersis victoriam, contra hostes exire disponunt: & cum summa reuerentia *Lanceam* nuper inuentam Domini Saluatoris, pro vexillo erigunt; & contra hostes taliter processerunt. Processit enim *Hugo* frater Regis Franciæ, & *Flandrensis comes* cum sua acie. Subsequitur postea *dux Gotfredus*: Tertiò, *Robertus comes Normanus*, cum suis: Quartò, *Podiensis Episcopus*, portans Lanceam Saluatoris; & cum illo fuit magna pars exercitus comitis Sancti Egidii, qui ad custodiã ciuitatis remanserat: Quintò, *Tancredus*: Sextò, *Boamundus*, qui ex consensu omnium Baronum dominus ciuitatis factus fuerat: & cum eo expeditiores pedites processerunt ad bellum, & milites, qui ex necessitate equos vendiderant. Prælati, monachi & clerici saccis induti, cruces in manibus portantes, gloriosum de Corbagath habuêre triumphum. Post dictam victoriam Barones, de communi consilio, per sollemnes requirunt nuntios Constantinopolitanum Imperatorem, vt, secundùm pacta, ad obsidendum Ierusalem personaliter veniat; vel protestantur omni se obligatione solutos. *Hugo* autem *Magnus*, amisso in via socio, propter Turchorum insultus, Constantinopolim veniens Ambaxiatam coram Imperatore fecit; indeque transiuit in Franciam, non sine nota infamiæ. Imperator verò ad obsidionem Ierusalem minimè Peregrinis sociatus est; infortuniis territus atq; grauaminibus, quæ in Antiochia illis contigerant.

CAP. VII.

Continet itinera peregrinorum in Ierusalem.

POst hæc, tanta in ciuitate Antiochiæ pestilentia fuit, vt XXX. vel XL. in die VII. sepulturæ traderentur. Peregrini igitur, Barones requirunt, vt pro implendo voto, pro vitando periculo, versus Ierusalem iter arripiant. Illi deliberato respondent consilio, quia nimio & periculoso prohiberentur calore; nec possent pro se & equis victualia inuenire vsque ad Kalendas Octobris. Diuiduntur proindè Barones, & prædas agunt. *Boamundus* in Ciciliam profectus cepit *Tharsum*, *Adane*, & *Malmistram*, & suos in munitionibus posuit. Ipso tempore, quia ad ciuitatem *Rages*, propter Balduini munera & familiaritatem, Latini plurimùm concurrebant, ciues proindè vriliratem minus consequentes, & ad consilia minus requisiti, cum Turchis eius proditionem tractauerunt: quod illum non latuit; & principaliores peremit: Admiraldos quoque plures, fictos amicos, imò proditores expertus, à sua familiaritate amouit. Barones etiam, communiter ad capiendum ciuitates illas tantùm erant dediti, vt vix populari clamore retrahi possent, & versus Ierusalem ad complenda vota iter dirigere. *Comes Tholosæ* tandem iter cœpit, cum decem milibus peditum, & trecentis equitibus. *Dux Nor-*

mandiæ, & *Tancredus* sequuntur: habuit quilibet quatuor millia equitum, & multitudinem peditum. Victualia multa reperiebant in via: transierunt enim per *Cæsaream*, *Hamam*, & *Culamelam*. Domini ciuitatum, illis præsentabant victualia, & thesauros magnos. Cogitauerunt autem ad maritimam descendere regionem, vt noua audirent de Baronibus, qui remanserant in Antiochia, & necessaria commodiùs inuenirent. In tota via pacificè transierunt, nec fuit occursus malus: nisi quorundam Turchorum latrunculorum, qui fessos & remanentes post exercitum occidebant: sed illos per insidias ceperunt. Ex tunc, securi transierunt à dextris & à sinistris: vsque ad passum quendam, quem homines castri vnius prohibere voluerunt Peregrinis: sed Peregrini illos bello superauerunt, castrumque combusserc. Volitauit vndique fama eorum, & vndique illis mittuntur exenia, donec ad planum venerunt ciuitatis vocatæ *Arachis*, quam fundauit Araceus filius Chanaan; & est propè Tripolim ad quinque leucas. In his duabus ciuitatibus, aliisque locis adiacentibus erant multi Peregrinorum captiui, à primo videlicet tempore quo Antiochia cœperat obsideri: omnes tunc redduntur; & ne ciuitates lædantur, magna mittuntur tributa: promittuntque nullum Peregrinorum lædere. Pauci procedentes aggrediuntur *Tortosam*: sed Turchi nocte, timentes multitudinis aduentum, ad montana confugerunt: in crastino Peregrini ciuitatem intrauerunt, & spolia diuiserunt. Aduenientc autem Martio, populus qui remanserat in Antiochia, rogat *comitem Flandriæ & ducem Gotifredum*, vt se ad ciuitatem Ierusalem deducant: allegantes quàm benè alii transierant. Profecti igitur cùm peruenissent ad *Liciam* ciuitatem, quæ pro Imperatore Constantinopolitano tenebatur, inuenerunt se x v. milia. Indè rediit Boamundus ad Antiochiæ custodiam: cæteri fuerunt ad *Gibel*: ibi incipiebat districtus Calyphæ Ægyptii super mare: deindè venerunt vsque ad ciuitatem *Arachis*, aliisque iuncti sunt. Tunc murmur inter Peregrinos oritur, quòd *Lancea* Antiochiæ inuenta, non esset lancea CHRISTI: sed pro quadam baractaria, & lucri gratiâ id actum est. Venit simplex Sacerdos, cui reuelatio facta fuit: & petiit ignem maximum præparari, & in ipso cum Lancea intrare: vt vel sic crederent, si illæsus exiret. Sextâ igitur feriâ, qua die CHRISTVS Lancea est transfossus, ignis accenditur; & Sacerdos præmissa oratione, illæsus ignem intrauit & exiit. Tunc etiam redierunt nuntii à Calypha Ægypti, qui de Antiochia missi fuerant. promissio verò illius, quæ priùs tamlata fuit, nunc explicatur: quia concederet Peregrinis, vt ducenti vel trecenti, sine armis, simul possent ire in Ierusalem, & facta oratione abscedere. Super quo indignati Barones, respondent absque eius licentia se ituros. Remittunt igitur *Tripolis* obsidionem, clamante populo, vt irent Ierusalem. Ibi celebrauerunt Pascha, decima die Aprilis: & per maritimam regionem euntes vsque *Cæsaream*, illic celebrauerunt Pentecosten. Hanc autem viam fecerunt consilio Surianorum, qui habitabant in Libano, maximè propter commoditatem nauigii *Cyprensium*, *Venetorum*, *Ianuensium* & quorundam *Frixonum*, qui gratia peregrinationis venerant. Inde recedentes dimiserunt *Iaphan* à dextris, & peruenerunt *Lidam*. Audientes verò quòd propinqua esset nobilis ciuitas *Rama*, transmiserunt comitem Flandriæ: qui eam reperit hominibus vacuam, sed victualibus plenam. Tertia die recedentes peruenerunt *Nicopolim*, quæ & *Emaus*: illuc miserunt *Christiani de Bethleem*, & impetrauerunt auxilium armatorum, ne Turchi, qui de variis locis congregabantur, Ecclesiam destruerent Natiuitatis CHRISTI. Peregrini autem, cum multa deuotione, ipsa nocte ad locum accedunt pro defensione; & orantes, loca Sancta osculis demulcent: nonnulli vsque propè Ierusalem currentes, prædas ad exercitum ducunt. Interrogati vndè illa adducerent, respondent, de propè portam Ierusalem. Illi audientes tam propinquam esse ciuitatem, præ gaudio & deuotione, flere cœperunt: & versus Ciuitatem accedentes, quando illam viderunt, deposuerunt calciamenta de pedibus suis, & protendentes manus ad cælum, gratias DEO egerunt, qui eos conduxerat ad Ciuitatem Sanctam super cunctas DEO dilectam.

CAP.

CAP. VIII.

Continet obſidionem Ieruſalem, & qualiter capta fuit.

CVm ad obſidendum Ieruſalem ſe præparant Peregrini, non ampliùs xx. mi- VIII.
lia pugnatorum inuenti ſunt, & ſexcenti tantùm equites: imbelles verò quaſi alia x x. milia: In ciuitate autem conuenerant, vſque ad x l. milia pugnatorum. Conſiderantes igitur diſpoſitionem Ciuitatis in monte, à parte Orientis, propter *vallem Ioſaphat*; à parte verò Meridiei, propter *vallem filiorum Ennon*, eam inexpugnabilem iudicant: & ideò obſidionem poſuerunt à *porta Sancti Stephani*, vſque ad portam, quæ eſt ſub *turre Dauid*, ex parte Occidentis: ad *portam* etiam *Anguli*, quæ ex tunc dicta eſt *porta Tancredi*, vſque ad portam Occidentis obſidionem poſuerant. Sed amouerunt eam, quia ibi inutiliter commanebant, propter vallem mediam inter eos, & turrim Anguli: & perrexerunt ad locum medium, inter *Templum Domini & montem Syon*. Quintâ autem die, in Ciuitatem communem fecerunt inſultum, & cœperunt omnia barbacana. Ciues enim peregrinorum audaciam non ferentes, pauore ſoluti ſunt: & ſi habuiſſent Peregrini tunc ſcalas, cæteraque neceſſaria, obtinuiſſent vrbem. Durauit autem inſultus, à ſummo mane vſque in Meridiem. Poſt hæc, deliberant ſcalis, & machinis, & huiuſmodi bellicis inſtrumentis vti. Dum igitur talia parantur, exercitus ex aquæ defectu cruciatur ſiti. Ad plures enim leucas, ciues obturauerant fontes. Habitatores verò *Bethlem* & *Thecuæ*, loca ſibi nota fideliter oſtendebant: pergebant interdum per leucas tres vel quatuor animalia, & per campum vagantia ſiti peribant: timebantque aëris corruptionem ex fœtore cadauerum. Ciues etiam hoc aduertentes, à parte non obſeſſa exibant; & aliquos lædentes, nonnullos occiderunt. Inde quoque noua continuè habebant cibaria: faciebant etiam ingenia ingeniis Chriſtianorum oppoſita: & Chriſtianos, qui ſecum in Ciuitate erant, miris grauaminibus affligebant. Ad fabricanda verò ingenia, per menſem & ampliùs Peregrini immorati ſunt. Statutâ ergo die, præcedentibus reliquiis, fit proceſſio vſque ad montem Oliueti. *Petrus Heremita* ad bene agendum in ſermone cunctos hortatus eſt: populus verò ieiunus, orauit Dominum, vt hereditatem ſuam de manibus infidelium liberaret. Turchi, hæc de muris contemplantes, mirantur quid Chriſtiani agant; factas quoque cruces, probrosè pertractant: quod multum cordi fidelium fauciebat. Factâ autem oratione in Eccleſia montis Oliueti, ad caſtra redierunt: & cunctis diſpoſitis, Barones cernentes partem obſeſſam bellatoribus & ingeniis plus eſſe munitam cæteris, nocte præcedente inſultum, caſtrum ligneum & cætera inſtrumenta, inde amouentes, cum multa difficultate quaſi per miliare conduxerunt verſus Aquilonem, inter portas Sancti Stephani & Anguli: & tria caſtra ad muros applicuerunt: ac cætera parauerunt omnia ante diem. Orto autem Sole, mirum Chriſtiani dederunt inſultum: Turchi verò imbrem telorum tranſmittunt, & lapides: multi vulnerantur, & interficiuntur plurimi: ſed cuncti elegerant Peregrini mori potiùs, quàm ſine victoria viuere. A mane vſque ad veſperam bellum durum valde protractum eſt: à tribus partibus dabatur inſultus, & incertum erat, vbi melius ageretur. Tandem nox bello finem impoſuit. Sequenti die, ſummo mane, cuncti ad priora rediêre officia: fit intus & extra cædes non parua: vſque ad veſperam anceps prolongatur bellum. Tandem feſſos Peregrinos & cogitantes caſtella retrahere, Turchi detident: Sed feſſos ac retrahentes ſe Peregrinos miles quidam incognitus, in monte Oliueti illis apparuit, ventilans perlucidum clypeum: tali ſigno ſuadens reditum ad inſultum. *Gotifredus*, ſigno perſuaſus, ad populum clarâ voce ait: *quia Vrbem, ſi redierint, obtinebunt*. Heremita quoque, qui in monte Oliueti pœnitentiam agebat, eis prædixit, quia ipsâ die caperent Ciuitatem. Communi igitur voto redeunt; & quaſi nil paſſi laboris, & de victoria quaſi certi maiori ſolito pugnant ardore: tandem qui cum Gotifredo erant, capiunt fortiſſimum barbacanum, & vſque ad murum Ciuitatis proceſſerunt; ac iuſſu Gotifredi in ſaccis plenis fœno & bombice ignem ponunt: tunc fumus tetertimus eleuatur, & ventus Borealis illum ad Turchorum deducit obtutus: quo grauati à muris abſcedunt; & Chriſtiani ſuccedunt, & ad ima deſcendunt; ſed primus

omnium *Gotifredus*. Apparuit tum multis nobilis *Episcopus Podiensis*, qui in via decesserat, primus super muros Ierusalem, ad sui sequelam excitans Peregrinos. Turchi verò cernentes Christianorum vexilla super muros, & multos iam strictis gladiis per viam discurrere, fugæ consulunt. Contigit hõe quadam sextâ feriâ, horâ nonâ: quo tempore Dominus illorum est passus in Cruce: vt cognoscerent stipendiati crucifixi Domini, non suis viribus, sed eius munere se obtinere victoriam. In vindictam autem iniuriarum CHRISTI, Peregrini nulli parcebant sexui vel ætati: tot in stratis interfecti erant, vt non aliter quam super cadauera transire possent: discurrebantque per calles sanguinis riuuli. Multi verò infra septa Templi fugerunt, quæ munitissima erat: sed modicum profuit illis. Nam *Tancredus* cum magna parte exercitus, quæ eum sequebatur, locum violenter obtinuit: & in eo tamen loco, inuenta fuerunt, post peracta negotia, decem milia interfectorum. Post consummatam victoriam ad referendas gratias summo Regi, in processione, discalciati, ad Ecclesiam Sancti Sepulchri vniuersi procedunt. Ibi tantus erat gemitus, tanta lachrymarum effusio, tantaque deuotio, vt nihil ibi audiri posset, nisi gratiarum actio & vox laudis. Capta est autem Ciuitas, M. XCIX. A.Dni. 1099. XV. Iunii.

SEXTA PARS, CONTINET PLENAM TERRÆ SANCTÆ LIBERATIONEM: AC REGNI IEROSOLYMITANI SVB Latinis Regibus dilatationem: habens capitula XXIV.

CAP. I.

Continet qualiter Gotifredus Rex Ierusalem electus est: eiusq; pietatem circa DEI cultum.

1. POST immensos labores, Peregrini quieuerunt cum gaudio diebus septem. Die verò octauâ, præmissâ oratione, ac inuocatâ Spiritus Sancti gratiâ, intendebant Barones Regis electioni. Multitudo autem clericalis ordinis adueniens, requisiuit, vt Regis electionem electio præcederet Patriarchæ: quia spiritualia corporalibus præeminebant. Licet verò congrua videretur petitio, praua tamen erat intentio. Autor factionis huius erat Episcopus ciuitatis, quæ *Maraturane* vocatur, in prouincia Calabriæ. Hic, cum *Hernoldo* Clerico, æque sordidæ vitæ, licet æmulo prius, conuenerat, vt vnus eorum Patriarchatum Ierosolymitanum, alter Archiepiscopatum Bethlehemitanum acciperet: licet spurius esset Hernoldus, & filius Sacerdotis. Barones verò neglectis eorum verbis, aliquos probos viros statuerunt, qui eligibilium Baronum vitam moresque perquirant. Hii vocatos familiares Principum, sub pœna præstiti iuramenti, vrgent sine fictione aliqua de suis dicere dominis veritatem circa prædicta. Omissâ autem visitatione aliorum, familiares Gotifredi aiunt, quia consuetudinem haberet familiaribus multùm tædiosam aliquando: cùm enim aliquam intrabat Ecclesiam, si Missam habere non poterat, recedere inde nolebat: sed aspiciebat sanctorum picturas, petens à Clericis quid de eorum vita gestisque signabant. Sicque moræ prolixitate, interdum grauabat familiares & socios: parata quoque cibaria aliquando vastabantur. Hoc audito, gaudent inquirentes tale in eo, quasi maius vitium inueniri, quod ascriberent non vitio, sed virtuti. Congregatis igitur Baronibus, probi viri prædicti inuenta referunt: illi verò communi & concordi voto in Regem eligunt *GOTIFREDVM*. Fit proinde Peregrinis ingens gaudium: erat enim virtutum suarum meritò, apud omnes gratiosior vniuersis. Post Regis electionem, improbus Episcopus superius nominatus, querelas hinc inde seminat, quòd propterea impediatur electio Patriarchæ, vt Ecclesiarum diripiantur bona, & iura pereant Clericorum. Quibusdam igitur illi consentientibus, nonnullis resistentibus, *Hernoldus* electus est. Tunc magna portio Ligni Crucis, quæ metu Turchorum

rum in loco paucis noto abdita fuerat, reperta est infra Ecclesiam Sepulchri; & inde vsq; ad Templum, processione solemni deportata est: populi autem frequentia tam piis laudibus sequebatur, ac si corporeis oculis Christum aspicerent in Cruce pendentem. Post hæc Rex cœpit omnia ordinare, discordes pacificare, errata corrigere, de die in diem in cunctis proficere. Hic Francigena natione fuit, Bononiensis comitis filius, vt figura docet: & *Gotifredi* ducis Lotharingiæ ex sorore nepos cui sine liberis mortuo, in ducatu successit.

Henstachius Comes Bononiæ — *Inde fratres* — *Godefredus Dux Lotharingiæ*

Guido de Ierusalem missus ad terræ custodiam.	*Henstachius patri successit.*	*Godefredus auunculo successit. I. Rex Ierusalem*	*Balduinus frater ei successit.*

Fuit autem pius & rectus; liberalis valdè, & absque cupiditate: DEVM super omnia diligens; firmus & stabilis in promissis; fastum & blanditias multùm abhorruit: in armis probatissimus; pauperibus & religiosis beneficus, cunctis benignus: deuotè orabat cum lachrymis, circa diuinum officium multùm sollicitus. In Ecclesiis enim Sancti Sepulchri & Templi Domini, de Patriarchæ & Clericorum consilio ponens Canonicos ad DEI cultum solemniter celebrandum, magnas eis præbendas & honorificas assignauit. Monachis quoque, qui ei in via quotidie Missas & diuina officia celebrauerunt; monasterium in valle Iosaphat, postulantibus, gratiosè concessit, & possessiones plurimas largitus est: recessurus etiam de patria sua, *Bulionum*, optimum ducatus sui locum, matrici donauit Ecclesiæ. Requisitus autem à Baronibus, vt more Christianorũ Regũ diadema sumeret, nequaquam acquieuit ibi gemmeam portare coronam, vbi Rex Regum spineo fuit diademate coronatus: ciuitatis Sanctæ Ierusalẽ meritò asserens debere sufficere Regibus Christianis coronationem tam insolitam, ipso memorabili factam die quo a ligno Dominus regnauit.

CAP. II.

Continet victoriam Peregrinis à DEO datam contra innumerabilem multitudinem perfidæ nationis.

CVnctis adhuc Baronibus extantibus in Ierusalem, fama vndique per vrbem volat: quòd *Calipha Aegyptius*, potentior Orientalibus vniuersis, paruulum populum dedignans sua subintrare regna, ciuitates capere, & munitiones destruere, vndiq; contracto exercitu Principem militiæ suæ *Elafdolef* ante se vocat, & summâ districtione iubet in Syriam proficisci; & præsumptuosum cum magno vigore aggredi hostem; sicque ex terra illum eradere populum, vt de eo in perpetuum amplius sermo non sit. Infelix Princeps iste fuerat Christianus Armenus, propter immensas diuitias luxuriamque factus apostata: aliâ quoque vice Ierusalem domini sui subiecerat imperio, quam vno vix anno possederat. Ad recuperandam igitur prædam tam celeriter amissam, de infinita exercitus multitudine confidens, totâ animi intentione procedit; & iuxta *Ascalonam* castra metatus est; fueruntque cum illo Arabes & Damasceni, licet priùs ab inuicem dissiderent: *supra part. 3. cap. 5. & part. 5. cap. 5.* Cùm verò Christianis Principibus res innotuit, habitâ deliberatione, ad Sepulchrum CHRISTI vniuersus conuenit populus: & clamauit ad Dominum cum lachrymis, vt de tanto periculo se liberaret; Ciuitatem quoque Sanctam quam ad eius honorem nuper acquisierat, nequaquam sineret infidelium sordibus inquinari: deindè processionaliter ad Templum Domini veniunt, & celebratis diuinis, ad propria redeunt. *Gotifredus* postea, cum *Comite Flandrensi* ad planum *Ramæ* processit, cæteris Baronibus in Ciuitate remanentibus, exceptis fratribus Ducis, qui requisiti iuerant *Neapolim* oblatam recipere. Sciens autem *Gotifredus* Saracenorum multitudinem, quasi locustas, replere terræ superficiem, pro cæteris Baronibus fratribusque transmisit; mandans vt intactâ Ciuitatis custodiâ, secum vniuersos adducerent: & cùm ad locum dictum *Ybelym* per-

uenissent, inuenti sunt equites Christiani non amplius M. C C. pedites verò, quasi decem milia. Senserunt autem à remotis quasi commotionem aduenientis multitudinis, & inimicorum aduentum suspicati sunt: præmittuntque ducentos milites quasi exploratores, qui boum, camelorum, aliorumque animalium tantam inuenerunt copiam, vt omni regioni sufficere iudicaret. Captâ autẽ præda, à custodibus de pluribus informantur. In crastino autem, summo mane, Dux iubet acies ordinatè procedere, quasi sex leucis distantibus inimicis. Videntes autem Turchi, illos ad se venire audacter, & prædam consequentem extimantes armatorum multitudinem, dum præcipuus eorum fugam iniit, cuncti terrore concussi, illò fugiunt, vbi meliùs tutari sperant. Tunc Peregrini gratias DEO victori egerunt: de copiis verò fugientium, mirè ditatus est populus Christianus: reditque cum gaudio ad Ciuitatem Sanctam Ierusalem. Ipso die victoriæ, auctor omnis malitiæ *Episcopus Maturannæ ciuitatis*, abscedens, nusquam comparuit.

CAP. III.

Continet reditum peregrinantium: paucorum quoque remanentium miram virtutem in capiendo Iopen, Ramulam, Porphyram, & Genezareth: & qualiter Patriarcha in quarta parte Ciuitatis Sanctæ Iurisdictionem obtinuit.

III. POst conquisitam ciuitatem Sanctam Ierusalem, Peregrini finem intenti sui, non inchoati negotii, assecuti, videntes suum desiderium adimpletum, de Sepulchro Domini ac Ciuitate Sancta Ierusalem nil vltra quærentes, cum gaudio ad propria reuersi sunt. Nonnulli verò altiori prudentiâ & magnanimitate præditi, mente diligentiùs pertractantes, Ciuitatem Sanctam in medio positam esse nationis prauæ: nam ab Orientali plaga, vallatur Arabibus, Moabitis & Amonitis; à Meridionali, Idumeis, Ægyptiis & Philistæis; ab Occidentali, ciuitatibus maritimis Ptolomayda, Tyro, Tripoli, ac cæteris vsque Antiochiam; à Septentrionali, Damasco, Cæsareâ Philippi, regione Decapoleos, Tyberiade, ac tota prouincia Galileæ, qui omnes legi fuberant spurcissimi Mahumeti. Cognoscentes exindè Ciuitatem præfatam Ierusalem Sanctam, non posse diu sub Christianorum manere dominio, nisi hostes longiùs propulsentur, cum sua hostia, monente Scriptura, voluerunt caudam consummationis offerre: scientes quia *non, qui inceperit, sed qui perseuerauerit saluus erit.* Sancta quoque animalia in Ezechiele, cùm ambularent non reuertebantur: elegerunt proinde in summo potiùs manere discrimine, quàm in periculo relinquere Ciuitatem. Remanserunt autem pauciissimi: non enim habere poterant vltra trecentos equites, & duo milia peditum bellatorum. In tanta voluit DEVS eos remanere pauperie, vt de eo solo confiderent; qui illis tot terrarum spatia, & innumera Turchorum milia subiecit, & nequaquam dicere valerent, *manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*: sed cum Iuda dicerent Machabeo, *facile est concludi multos in manu paucorum, &, non est differentia in conspectu DEI, liberare in paucis vel in multis: quoniam non in multitudine exercitus, victoria belli; sed de cœlo fortitudo est.* Cùm igitur vexillum Crucis in bello ferrent, & de cœlo sperarent auxilium, tantus timor, ac tremor inuasit per circuitum infideles, vt *vnus persequeretur mille, & duo fugarent decem milia*: & partim aduersariorum acie cæsa, partim fugata, expugnabant munitissimas ciuitates, castra inexpugnabilia capiebant: Sicque successibus atque continuis victoriis, Sanctam Terram Promissionis reddebant ac subiiciebant nomini & cultui Christiano. Principium autem victoriarum suarum fuit *Iopen*, in qua Petrus Tabitam suscitauit à morte: ibique cecidit super eum mentis excessus; & vidit cœlum apertum, iussusq; est de linteo mactare ac comedere immunda. *Act. 10.* In figura, quòd in gentibus debebat destruere vitia, eosq; incorporare Ecclesiæ. Hanc ciuitatem, primus liber Machabeorum situat iuxta mare; & secundus Paralipomenon, portum addit, ad quem *Yram* Rex Tyri, pro ædificatione templi, mittebat necessaria Salomoni. Vt igitur fideles, ad succursum Christiani exercitus ab Occiduis partibus venientes, aptum portum haberent, &

Matt. 24, 13. Ezech. 1, 12.

Deut. 32, 27. 1. Mach. 3, 18.

Deut. 32, 30.

Act. 9, 40. & 10, 10.

1. Mach. 14, 34. 2. Paral. 2, 16.

secu-

ſecurum refugium, quaſi vallo in circuitu obſidēt ciuitatem, & fortiter expugnando cœperunt. *Ramulam* quoq; ciuitatem, quæ à quibuſdam *Ramatha* dicitur, in campeſtribus ſitam, nobilem & populoſam, & valido muro circumdatam, excelſiſque munitam turribus, ſimili virtute adepti ſunt. *Caypham* deindè, quæ alio nomine *Porphyra* dicitur, in littore maris, ſub prima parte montis Carmeli, quatuor diſtantem ſtadiis, & nono miliario ab Acon, conformiter acceperunt. Poſtremò, *Tyberiadem* acceperunt, quæ & *Cenereth* dicitur, ſecundo miliario diſtans à Genezareth, à quibus denominatur mare adiacens, ſicut & à tota quam pertranſit prouincia Galileæ. Tyberiaden autem, & totum Principatum Galileæ Gotifredus *Tancredo* cum Porphyra, donauit. *Patriarchæ* quoq; requirenti, quartam partem Ieruſalem dedit in purificatione Virginis. Ratio autem requiſitionis fuit hæc. Calypha Ægyptius *Boumeſor* MLXIII. Ieruſalem obtinuit, & cunctam in circuitu regionem, maritimam quoq; vſque *Liciam*, quæ eſt prope Antiochiam, & mittens ad vniuerſas ciuitates Bayliuos, tributa impoſuit: mandans etiam vt muros, & omnia quæ ad ſecuritatem ciuitatum pertinent, diligentiùs repararent, ſed maximè Ieruſalem, cuius muri propter frequentatas obſidiones dirupti erāt: addiditq;, quòd Chriſtiani ibi ad reparationem quartæ partis murorum cogerentur. Chriſtiani paupertatem allegant, nec audiuntur: quin potiùs reſpondetur, quia cuncti gladio peribunt, ni iuſſa perficiāt: precibus tandem cuiuſdam magni Turchi, obtinent dilationem, donec ad Imperatorem Conſtantinopolitanum pro impetrando auxilio mittant. Imperator *Conſtantinus*, cognomento *Monaques*, paupertati Chriſtianorum & periculo compatiens, promittit ſe opus facturum de redditibus Inſulæ Cypri, ſi à Calypha obtinere poſſunt vt in ea parte Ciuitatis ſoli habitent Chriſtiani: Petita igitur gratia, obtenta eſt: & benè gratia, quia prius, cōmixti Turchis à vicinis iniurias ſuſtinebant innumeras; nunc verò ab eis ſeparati dimittuntur in pace, nec aliquis exercet iuſtitiam ſuper eos niſi Patriarcha eorum. Indè ius quartæ partis Ieruſalem obtinuit Patriarcha. Durat autem hæc quarta pars à porta Dauid vſque ad portam Sancti Stephani. Cùm autem in expeditione eſſet *Gotifredus*, & Turchi, qui habitabant montana Samariæ, vbi eſt Neapolis, mitterent illi exenia, ægrè obtinuerant videre tam famoſum Ducem. Tandem ad papilionem ducti, vident in terra ſedentem: illi mirantur, & quærunt, cur non in throno aureo ac ſericis pannis? quod cùm per interpretem didiciſſet, reſpondit: *nullum eſt opprobrium homini in terra ſedere, in quam ex ea ortus, rediturus eſt.* Nuntij verò prudentiam & humilitatem eius admirati, vbique diuulgauerunt. Medio verò tempore, *Boamundus* Princeps Antiochiæ cum magna comitiua peditum equitumque ad *Valaniam* ciuitaem vſq; peruenit, expectans *Balduinum* comitem Rages. Condixerant enim viſitandi Sepulchri implere votum ſimulq; viſitare electum Regem. Tunc ad ciuitatem *Liciam*, Peregrini multi de Italia venerant, cum quibus erat venerabilis *Archiepiſcopus Piſanus*. Cuncti igitur pro ſecuritate ſimul iuncti, vſq; ad XXVI. milia, pro viſitando Sepulchro Domini, iter arripiunt. Sed in omni via aſperitate hyemis, & victualium penuriâ affliguntur. Sed tandem Chriſto duce ad Ciuitatē Sanctam perueniunt; loca, cum deuotione multa & lachrymis viſitant, Chriſti conſecrata præſentiâ. Aduenientem quoq; ſacratiſſimam Chriſti Natiuitatem, in Bethlehem cuncti læti ſuſpiciunt: & præ dulcedine Spiritus intueri non ſufficiunt ſpeluncam illam ſacram, in qua Veritas de terra orta eſt; & terra noſtra dedit fructū ſuum: in qua puerpera Virgo, Dominum infantem pannis inuoluit, lactauitq; vbere de cœlo pleno. Vſq; ad illa tempora Patriarchalis vacauerat Eccleſia. Tunc *Daybertus* Piſanus Archiepiſcopus eligitur, & in ſede locatur, irritaturq; quicquid circa *Hernoldum* factum fuerat: & cùm eſſet Archidiaconus Eccleſiæ Sancti Sepulchri, inter Regem Balduinū primum & præſulē, ſchiſma procurauit: & cùm præſul perſecutioni ceſſiſſet, per Regem ſubſtituitur *Ebremart:* ſed per *Ceberinum* Legatum deponitur, mortuo interim Dayberto; ipſeque Legatus Patriarcha eligitur: poſt quem, *Hernoldus* tempore eiuſdem Regis. *Boamundus* verò & *Balduinus*, in reditu in flumine loti Iordanis, per *Tyberiadem* & *Phiceā* tranſeūtes, & Cæſaream ad dextram relinquentes, intrauerunt *Ytuream*, tranſeuntes ad ciuitatem *Mahumet*, indè verſus maritimam declinantes, ad propria rediêre. Hæc quidem omnia primo anno geſta ſunt, ſub regimine Deo dilecti & amabilis populo Chriſtiano *Gottifredi de Bulione*, per quem Deus operatus eſt ſalutem

A. Dni. 1063.

fidelis populi,& terræ Sanctæ liberationem. At,qui præcioſa eligit,viliaq; contemnit,hiis completis, illum ad cæli gaudia euocauit. Sepultus eſt autem in Eccleſia
A. Dni. 1108. Sancti Sepulchri MC. XVIII. die Iunii, ſub monte Caluariæ,vbi Chriſtus crucifixus eſt: ille enim locus propriè pro Regum ſepulturis ſeruatus eſt. Interim *Boamundo* ciuitas offertur vocata *Meleteine*, vltra Eufraten in Meſopotamia ſita, per *Gabrielem* Armenum, ciuitatis dominum. Aiebat enim ſe velle potiùs eam illi ſponte donare, quàm inuitus amittere: non enim ſperabat à Turchorum inſultibus eam poſſe tueri. Sed dum Boamundus vltra Eufraten incautè pergit, à Turchis capitur: deindè Turchi ciuitatem obſident. *Balduinus* verò, dum obſidionem amouet, ciuitatem obtinet, quæ priùs oblata fuerat Boamundo: pro liberatione quoque Boamundi laborans,nihil agere potuit.

CAP. IV.

Continet Balduini primi coronationem, captionem Arſur & Cæſareæ, geminamq; de Aegyptijs victoriam.

IV. POſt incliti Ducis Gothifredi vitæ exceſſum: frater ipſius BALDVINVS Ediſſenus Comes,ab adoleſcentia militaribus eruditus,exercitatus in armis,& in bellis ſtrenuus, omnium vno conſenſu in dominum electus, & in Regem coronatus
A. Dni. 1101. eſt,apud Bethlehem in Natiuitate Domini. MCI. Tunc *Tancredus* memor iniuriæ ſibi illatæ (*ſuprà part. v. c. 1.*) noluit illi ſubiici; renuntiauitq; dominio ſibi tradito, (*ſuprà capitulo proximo:*) & Antiochiam profectus eſt ad gubernandam ciuitatẽ, ad quod pluries fuerat inuitatus, donec Boamundus libertati daretur; & ſi mori illum contingeret ſine hærede,hic ei debebat ſuccedere,tanquam frater. Rex autem, *Hugoni de Sancto Homer* reſignata donauit. Tancredus verò nobilem ciuitatem *Appamiam*, belli violentiâ cepit; *Liciam* quoque precibus & minis à Græcis obtinuit,donec Appamiæ prædictæ poſſet retinere dominium. Dedit etiam Rex dominium *Rages Balduino de Burgo*, conſanguineo ſuo: Ille quoque cum *Iocellino*, altero conſanguineo ſuo,de Francia venienti,principatum diuiſit. Rex igitur ad inchoatam regni dilationem ſollicitus, & prouidus in agendis, audiens ad portum Iopen, *Ianuenſium* aduentaſſe LXX. galeas,quaſi in veris principio,cùm ſolent Reges ad bella procedere,tam nauium ipſorum quàm etiam perſonarum fretus auxilio, *Aſſur* expugnauit, quæ alio nomine *Antipatrida* nominatur,ab Antipatro,de quo ſuprà *part. 1. cap. XII.* fecimus mentionem. Eſt autem ciuitas maritima,inter Iopen & Cęſaream ſita, denſis ſyluis amœna,& vberrima paſcuis. *Cæſaream* etiam Paleſtinæ, quę antequam per Aſcalonitam Herodem augeretur in honore Cęſaris, *Turris Stratonis* vocabatur, ſimili Ianuenſium auxilio mari terraq; obſidens, ſubiugauit. Ibi Ianuenſes repertum vas pretioſum,ſiue de viridi lapide,quem *Smaragdum* aſſerunt, pro parte mercedis acceperunt,& matrici Eccleſiæ dederunt. Eſt enim in littore maris ſita, vtilem tamen portum nõ habens: ab Oriente autem, habet paludem aquæ dulcis magnæ & profundæ quæ Crocodillos nutrit: hortorum ac paſcuorum gaudet copiâ.
Act. 21. 8. Ibi manſionem habuit Philippus cum filiabus ſuis: ibi Cornelius Centurio audiuit
Act. 10. 4. ab Angelo: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoria in conſpectu Domini: ſed accerſi Simonem in Iopen: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Act. X.* Ibi etiã Paulus diu detentus vt Romam pergeret,ſuam proſequutus eſt appellationem. *Act. XVI.* Poſt hæc rediit Rex verſus *Ramam*. Hanc ciuitatem ędificauerunt Arabes propè Lidam, cùm Peregrini primò iuerunt ad partes illas, poſt tempora Mahumeti. Erat autem ciuitas magna & populoſa, munita muris & turribus multis: hanc vacuam repererunt: ſed quia ad eius cuſtodiam neceſſaria erat populi multitudo, ædificauerunt caſtrum in vno angulo ciuitatis. Interea *Hugo Magnus*, qui non ſine ſui dedecore in Franciam redierat, (*ſuprà part. v. cap. VI.*) iterum aſſumptâ Cruce, cum magnis Baronibus, *Comite Bleſenſi*, *Gulielmo Comite Aquitaniæ*, & *Comite de Vermedois*: primùm viam vſq; in Conſtantinopolim tenuerunt: Et cùm tranſiſſent *Niceam*, ab inuicem diuiſi à Turchis derobati ſunt; multi quoque interfecti, cæteris nudis fugientibus: Et cùm *Tharſum* peruenisſet Hugo Magnus, mortuus eſt. Imperator enim Conſtantinopolitanus, qui lætâ eos facie receperat, Turchis eorum itinera & conditiones reuelauit, quaſi ſcorpio blandâ facie, caudâ pungens: peruenerunt tandem

tandem *Tortosam*. *Raimundus* verò Comes Tholosæ ciuitatem obsedit, & breui tempore cepit, cunctos ciues interimens: ibi equos, & multa alia lucrati sunt vniuersi de exercitu; ciuitatem verò Comiti dederunt. Ipsisq; abeuntibus, ille in ciuitate remansit. Cum verò Ramæ præfatum negotium ageretur, *Calypha Aegyptius* Principem militiæ suæ cum decem milibus equitum, & xx. milibus peditum, misit ad Peregrinos exterminandos de terra: quæ apud Ascalonam castra posuit. Quo audito Rex, de Rama Ierusalem properat, metuens ne præoccuparent ciuitatem Sanctam Ierusalem. Ibi suum congregauit exercitum, & duxit inter Ramam & Lidam equites CCLX. pedites verò CM. Indè versus Saracenos pergunt, sequentes Crucis vexillum. Rex autem, facta oratione, *ut ille sibi donet victoriam qui potest saluare in paucis*: post orationem, concepta fiducia, in hostes irruit: Et licet in principio durum fuerit bellum, tandem Christiani habuêre victoriam, principe Saracenorum cum v. milibus interfecto. Ceciderunt autem ex Christianis equitibus LXX. tantum. Fuit autem hoc secundum bellum Babyloniorum MCII. in plano Ramæ. Post dies aliquot, Turchi qui fugerant, adiunctis sibi aliis de Ascalone, vsque ad XXX. milia, cum multa arrogantia venerunt inter Lidam & Ramam. Rex hoc audito, inconsultè cum paucis properat vt factum exploret: & cùm nimis appropinquasset illis, de reditu confusus, congreditur; tantâ virtute bellatur, vt Turchi penè in fugam conuersi sint: tandem multitudo præualuit: & ex Christianis pluribus interfectis, Rex cum cæteris fugâ liberatus est, & in Rama primò, indè in Arsur receptus est. Tandè pertexit Iopen, vbi a Regina & cæteris tanquam mortuus habebatur. Illuc ad Regis auxilium venit *Hugo* dominus Tyberiadis cum XXIV. militibus de montanis quoq; venerunt Regi in auxilium alii XXIV. equites. Confortatus Rex, in vindictam exarsit, & contra hostes processit, qui ad quatuor leucas propinqui erant, iuxta nemus facientes scalas & ingenia ad obsidendum Iopen: cuncti autem in ipsos prosiliunt, quasi vrsa raptis catulis: & plenam habuêre victoriam, & equis & animalibus cæteris q; bonis ditati sunt. Sequenti anno Rex *Ptolomaydam* pergit: quæ & *Acon* dicitur, quia à duobus fratribus condita fit, Ptolomeo scilicet, & Acon, dicitur etiam & *Aphyron* antiquitus vocitata: ibi optimus Syriæ portus ab Austro est. Erat autem ciuitas inter mare & fluuium *Belum* præterfluentem, commodè satis fundata: munita muris, & antemuralibus, turribus, fossatis, & barbacanis fortissimis: triangulam habens formam vt clypeus, cuius partes duæ mari cingebantur, tertia pars campum respicit, qui ipsam circundat à parte Septentrionis: habens tres leucas latitudinis, vel circa: & habundat pascuis, hortis & vineis, agrisq; fertilibus. Rex igitur, vndiq; contractis auxiliis, ciuitatem oppugnat: post dies verò viginti, cùm frequentes insultus durosq; congressus Ptolomenses amplius ferre non possent, eâ conditione oppidum Regi tradunt, vt liberis personis ac rebus, vt liberet, abscederent.

A. Dni. 1102.

CAP. V.

Continet gesta in Comitatu Edessano, & Principatibus Antiocheno, & Galileæ.

V. Boamundus, postquam annis quatuor captiuus fuerat, datis obsidibus pro transmittenda pecunia, liber Antiochiam rediit. Inuitatus autem à *Balduino* Comite Edisseno, & Iocellino consanguineo eius ad obsidendum ciuitatem *Charam*, vndè vocatus est Abraham, quæ à Rages quasi XIV. distabat leucis, cum nepote Tancredo perrexit. Et cùm tandem ciuitas fame vrgeretur, & iam deditio pararetur, accidit contentio inter Principes, qui eorum in ciuitate maior reputari deberet: sed dum contendunt, superuenit Turchorum innumerabilis multitudo, & Christianis fugientibus, *Balduinus* cum consanguineo Iocellino captus est: *Boamundus* vero ad Rages confugit: ibique rector ciuitatis *Tancredus* ordinatur, quousque Balduinus à carcere liberetur. Boamundus deindè multis debitis aggrauatus, in Apuliam redit, vt thesauros & pugnatores congreget: & ad *Philippum* Regem Franciæ vsque procedit, accepitque duas filias ipsius, *Constantiam* sibi; *Tancredo* Ceciliam: redituque in Apuliam cum quatuor milibus Peregrinorum equitum, & XL. milibus peditum. Interim MCV. *Raymundus Comes Tholosanus*, qui Christi amore Terram Promissionis post Crucem assumptam, nunquam deserere voluit, in

A. Dni. 1105.

obsidione Tripolis moritur: in qua obsidione successit illi *Guilielmus* nepos ipsius quousque venit *Beltrandus* Tholosanus Comes Raymundi filius, qui super obsessa ciuitate quæstionem mouit, cum Guilielmus continuasset obsidionem annis quatuor: sed eo pacto conueniunt, vt pars certa cuique tribuatur; & si alter sine herede moritur, superstes illi succedat. Sed Guilielmus, dum discordes inermis pacificat, sagittâ percussus interiit. Eodem milleſſimo * *Rodoanus* dominus Alapiæ, collectâ Turcho rum multitudine, per Antiochenum destrictum currens, omnia, extra fortilitia destruebat. Vt verò hæc audiuit *Tancredus*, conuocatis vndique auxiliis, multitudinem illâni iuxta Tarsum aggressus in fugam conuertit, & strage magnâ editâ, animalibus & spoliis ditatus est. Eodem etiam anno, *Calyphæ Aegyptio* suggesserunt Admiraldi, exercitum mittere ad destruendum in Suria vniuersaliter Christianos: asserentes quia multi redierant; multi quoque peste & gladio consumpti sunt. Ille terrestrem, & marinum transmittit exercitum. Rex, omni congregato exercitu, pergit Iopen, & Patriarcha portat Crucis vexillum: fuerunt que equites quingenti; pedites duo millia: Turchi verò qui per terram venerant xxv. milia. Cùm autem *Ascalonam* peruenerunt, partem marinam exercitus miserunt Iopen; pars altera versus Ramam processit, & terra personuit instrumentis. Cùm autem viderent Christianorum acies sequentes Dominicam Crucem, pro cæteris mittunt vt illis succurrant. Sed commisso prælio, cum Principe Ascalonitarum quatuor milia ceciderunt: Princeps verò militiæ Calyphæ, cum cæteris, in fugam conuersus est. Tunc multùm est ditatus populus Christianus: & pro redemptione vnius, qui aliquando fuit Baliuus Ptolomaydæ, Rex habuit xx. milia Bizantiorum. Orta quoque tempestas, marinum exercitum aut submersit, aut in manus Christianorum dedit. Tunc etiam *Hugo* princeps Galileæ, ad decem leucas propè Tyrum vidit monticulum fortilitio aptum, ibique firmauit breui tempore castrum, vocauitque *Thoronum*, inter mare & Libanum tenens locum medium, iuxta se optimi territorii, arborum & vinearum copiam habens. Ex hoc quoque prohibiti sunt Tyrenses ab insultibus contra eum: & versâ vice iniuriam passi, debilitari cœperunt. Hic quatuor milia Damascenorum aggressus, qui ad nocendum terræ venerant, multos strauit: sed tandem & ipse vulneratus occubuit. *Boamundus* quoq; Antiochenus Princeps, qui in Apuliam Crucesignatos adduxerat, ad vindictam Peregrinorum qui ab Imperatore Constantinopolitano iniuriam passi fuerant, nauibus transuectus ad partes Imperii, per maritimas partes transiens, cuncta vastabat, & duas magnas ciuitates vocatas *Epyrum* destruens, ad obsidendum *Duratium* processit: cogitauerat enim benè profundè partes intrare Imperii, plurimùm indignatus ex totiens replicatis Peregrinorum iniuriis: sed Imperator audiens vastationem Imperij, congregato exercitu, illi occurrit; misitque nuntios, & in pacis tractatu promisit Peregrinis dare auxilium & fauorem: Boamundus verò illi promisit amorem & indemnitatem. Quibus peractis Peregrini Francigenæ per Imperium transeunt: Boamundus verò in Apuliam reuertitur. Et cùm disposita domo sua ad iter vltramarinum omnia præparasset, morte assumptus est, relicto ex noua vxore paruulo filio *Boamundo*. *Tancredus* verò, qui eius loco remanserat in Antiochia, & gubernator Rages in Mesopotamia, cum Turchi Orientales replessent terræ superficiem, post captionem Balduini & Iocellini, omniaque extra fortilitia, vastarent, ipsæque ciuitates victualium penuriâ vrgerentur, Regis implorat auxilium. Sollicitè autem Rex congregato exercitu, Euphraten transit. Turchi tunc à discursu quiescunt, scientes Christianos non diu mansuros, quia inquietarentur in alia parte Regni. Rex itaque congregatis vndique victualibus, fortilitia munit, & maximè ciuitatem Rages, & versus Meridiem redit. *Balduinus* autem, A.Dni. MCIX. pro se & Iocellino, obsides dedit, pro exhibenda certa summa pecuniæ: 1109. sed obsides breui tempore de custodia fugientes, ad propria redièrc.

CAP. VI.

Continet captionem Bibly & Tripolis, fictionem Balduini, & mortem Tancredi & Beltrandi.

VI. BEltrando Tholosano Comite Tripolim obsidente, aduenerunt LXX. galeæ *Ianuenſium*. Habito autem communi consilio, ad obsidendum terrà mariq; *Biblium* pergunt,

pergunt, & obtinent; redeuntq; Tripolim: superuenit Rex, & fatigata ciuitas obsidione septem annorum, obsidentium se manibus sub certis tradidit pactis: cuius dominium Beltrandus à Rege accipiens, illi fecit homagium. *Balduini* iam à Turchorum captiuitate liberati, cunctam fictionem narrare libet. Hic aggrauatus alieno ære, militibus stipendia exhibere non poterat: excogitato autem consilio ad socerum *Gabrielem* Armenum pergit, à quo præditus grate recipitur: post mutuam collocutionem dierum aliquot, informati milites, Comitem in præsentia soceri alloquentes, stipendia petunt, seruariq; promissa: eo verò curialiter respondente, & inducias postulante, ardentiùs conqueruntur, dicentes se vrgeri inopia, & plures taxatos transisse terminos: det proindè debita eis stipendia, vel certè pignus obligatum eisdem: alias in vindictam Terram suam igne ferroq; vastabunt. Petit Armenus sibi interpretari quæ animosè loquuntur: deindè perquirit quod pignus eis debeat exhibere: & respondetur, quia Comes ni soluat, se ad barbæ obligauit rasuram. Quo audito Armenus resupinus cecidit, nimiaque perturbatione animi, loquelam amisit: tandem ad se rediens, Comitem cum multa stomachatione aggreditur, quomodo vir tantæ opinionis, mundi honorem, faciei decorem, & virtutis signa tanto exposuerit periculo, & se quasi Eunuchum perpetuo condemnasset opprobrio: post reprehensionem verò, accepta promissione ab eo iuramento firmata, quòd nunquam tale simile attentaret, petita stipendiorum summa, XXX. M. Bizantiorum militibus assignauit. Post hæc Rex, adiuncto sibi Beltrando Comite Tripolitano, filio Comitis Tholosani, *Beritum Geris* vocarum antiquitus, quia à Gergeseo fundata, filio Chanaan, terra marique aggreditur: & post duos menses obsidionis, turribus ligneis mœnibus applicatis, & scalis muro coniunctis, obsidentes vrbem violenter ingressi, multos trucidant; nonnullos carcere, catenis quoque captiuant. M C X I. Est autem ciuitas hæc maritima, inter Sydonem & Byblium sita, in prouincia Phenicis, sub Tyro Metropoli, arboribus fructiferis fertilis & amœna, vineisq; ac syluis. In Berito, quædam erat imago linea Crucifixi, quæ non multùm post passionem ipsius, à Iudeis ridiculosè, ad CHRISTI est ignominiam crucifixa: & cùm esset lancea transfixa in latere, exiuit sanguis & aqua, quibus liniti sanabantur infirmi. Conuersi sunt propterea Iudæi qui in ea ciuitate fuerant vniuersi. *Sydonem* quoque in manu forti suo subiecerunt dominio, anno eodem capti Beriti, fretus auxilio quorundam de *Nouergia* ad Palestinam venientium cum nauibus LV. Volentibus autem Sydoniis, sed non valentibus resistere populo Christiano, in proprio sanguine tabuerunt, sicut per *Ezech. XXVIII.* dixerat DEVS: *Ecce ego ad te Sydon, & glorificabor in medio tui, & scient quia ego Dominus cùm fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea: & immittam eis pestilentiam, & sanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum.* Est autem *Sydon* ciuitas egregia, supra littus maris, sita in prouincia Phenicis, vulgariter dicta *Sagetæ*. Fuit autem ciuitas magna, in campo per longum disposita, tendens ab Aquilone in Austrum, sub monte Antelibano: sed de ruinis eius alia ædificata fuit parua, sed munita, habens hinc indè duo castra, satis munita: vnum ab Aquilone in rupe, in corde maris, quod ædificauerunt Theotonici Peregrini; aliud à parte Australi in colle situm, quæ omnia Templarii possidebant. Terra adiacens, arboribus fructiferis & syluis, agris frugiferis, & pascualibus vineisque abundans. Sydonis quoque fines Dominus noster visitare dignatus est. *Matth. XV.* Et ante portam Orientalem ciuitatis antiquæ, ædificata est capella in loco vbi Chananea orauit pro filia. Incipit autem prædictus *Antelibanus* à fluuio Elenchero, & protenditur vltra Tripolim, fortè per quinque leucas; & nusquam recedit à mari per duas leucas, nisi iuxta Tripolim, à quo distat quasi per tres leucas: interdum tamen ita accedit ad mare, vt nulla relinquatur via. Habundauit autem in vineis optimis, secundum illud Oseæ XIV. *memoriale eius sicut vinum Libani*: & continuatur bonitas huius vini vsque Margath. Industrii quoque viri ibi fuisse leguntur, *III. Reg. V.* dicente Salomone ad Yram, *Non sunt in populo meo viri qui nouerint ligna cædere, sicut Sydonij.* Completis victoriis in parte maritima, ita vt Occidentales fideles liberum iter haberent in Ierusalem, completum videtur quod per Ezech. XXV. promisit DEVS: *Perdam reliquias maritimæ regionis, faciamq; in eis vltiones magnas, arguens in furore: Et scient quia ego Dominus,*

A. Dni. 1111.

A. Dni. 1112. *cum dedero vindictas meas super eos.* Deinde, M C XII. *Tancredus* moritur; & post eum *Beltrandus* Comes Tripolitanus, cui successit *Pontius* filius, accepitq; in coniugem *Ceciliam* quæ prius Tancredo nupserat. Tancredus verò decedens, gubernationem Antiochenæ Principatus *Rogero* reliquit filio Riccardi, qui *Boamundo* puero, filio Boamundi, ex Apulia venienti tanquam vero heredi assignet: omniumq; Baronum assensu hoc firmatum est. Taliq; euentu *Rogerus*, *Antiochenus Princeps* in historiis appellatur.

CAP. VII.

Continet Iocellini fortunam & Rogerij victoriam contra Turchos.

VII. POst hæc fames in contrata *Rages* orta est: *Iocellinus* verò necessariis habundabat, nec tamen Comiti, domino, & consanguineo suo, vel in modico subuenit: transeunti quoque Comitis nuntio refert Iocellini familia, quàm probus prudensque sit Iocellinus, quàm aptus dominio: cautè proindè faceret Comes, si acceptâ pecuniâ, totam illi terram committeret gubernandam. Nuntius audita refert domino: qui lecto prosternitur, infirmitate ex parte simulatâ, nec ex toto mentitâ. Indignabatur enim nimis: eò magis dicta famulorum putans ex intentione procedere domini, quò cum expertus fuerat tam ingratum. Accersitum itaque neporem, Comes ingratitudinis primò, deindè perfidiæ arguit, carceri, catenisque condemnat, nec pœnam remisit, nisi prius cunctis redditis quæ gratis acceperat, omni iuri renuncianti quod habebat. Huic Rex compassus donauit Tyberiadem ciuitatem, qui Tyrensibus, non obstantibus intermediis montibus, multas iniurias intulit. A. Dni. 1114. M C XIV. tantus *terræmotus* Orientem permouit, maximè in Cilicia, vt *Malmistram*, & in circuitu fortilitia cuncta dejceret: & alibi, ciuitates aliquæ ita deletæ sunt, vt ædium nullum remanserit vestigium: homines quoq; per campos errantes, à terra absorberi metuerent. A. Dni. 1115. Sequenti anno *Borges* Turchiæ potentissimus Princeps cum multitudine bellatorum, Antiochenum Principatum ingreditur, & vltrà progrediens, inter Alapiam & Damascum fixit gradum; deliberans quà ex parte Christianos posset grauiùs lædere. Interim *Doldequinus* Damasci Rex, suspicatus Regni inuasionem, cum Rege Balduino & Principe Antiocheno, magnis datis exxeniis, treugas iniit, & mutuum spopondêrunt auxilium. Mira erat hæc afflixio annua Christianis, & xx. annis post captam Ierusalem continuata est. Itaque Antiochenus Princeps, periculis præcauens, Regum Ierusalem & Damasci implorat auxilium, & obtinet. Tunc Borges ad propria redire se simulabat: Reges proindè sine fictione recedunt. Quo agnito, Borges qui & *Bursequin*, in principatum Antiochenum regreditur, & cuncta agit ad libitum, animalium prædam, locorum combustionem, hominum stragem. Iratus ex hiis Antiochenus Princeps, adiuncto sibi Comite Rages, illum vsque ad *Castrum Rubeum* insecutus est. Instructis igitur vtrinque aciebus pugnatur, prævaluit autem multitudini virtus fidelium bellatorum: vindicatur sanguis innoxius, præda redimitur, & interfectis tribus millibus Turchis, eorum copiis ditatur populus Christianus.

CAP. VIII.

Continet Montis Regalis ædificationem, & munitionis quæ scandalum dicitur, mortemq; Regis.

VIII. IAm dilatatum & assecuratum descripsimus regnum ab Occidentali parte: nunc restat ad Orientalem plagam stilum conuertere. Quoniam cis Iordanem res benè acta est, ad Orientem, trans Iordanem, Rex bellicosus & audax, quasi leo faciem vertit; & in Arabia, quæ *Syria Sobal* dicitur, in colle sublimi castrum erigit. M C XV. A. Dni. 1115. & dicitur *Mons Regalis*, eò quòd à Rege fundamenti sumpsit initium. Erat autem castrum munitissimum, frumenti, vini & olei copiam habens, salubrem aërem & amœnum: omnem adiacentem regionem vsque ad fines Moabitarum, & aquas contradictionis propriæ subiiciens ditioni. Hic Domino munere, in bellis fortunatissimus fuit. A. Dni. 1114. Licet enim M C XIV. cum Rogero Antiocheno Comite iens, & remanente iuxta flumen Comite, processisset ad explorandum Turchorum aduentum, Turchi quoque montem quendam occupantes per partes quatuor paratæ insidiæ, singulis in his quatuor milia equitum deputatis, à quibus Rex inter-

ceptus

ceptus est, ita vt nec fugâ liberari potuerit, nisi mortuis ex militibus suis M D. euersumq; sit per eosdem Turchos, Cœnobium in monte Tabor, & monachi interfecti: Tyrum quoq; cùm obsedisset, non expugnauit, vt sequenti dicetur capitulo: tamen in aliis tanta prosperitate vsus est, vt vix credatur narrantibus. Vidit quoq; Rex prudens Ciuitatem Sanctam quando ad remotas partes copiam trahebat militum, magno patere discrimini. Nam eam regionem Turchi tunc sæpiùs visitabant: erat quoq; tam pauci habitatores Latini, vt vix vnam ex principalibus stratis replerent: Suriani quoq; admodum pauci remanserant. Mittit proindè ad fideles quos vltra Iordanem sub Turchorum seruitute manere audierat. Illi libertate & possessione ædium allecti, cum familiis & animalibus properant: sic ciuitas Ierusalem habitatoribus repleta est. Deinde Rex collecto exercitu, Iordane transmisso, Syriam intrat Sobal; & indè desertum peragrat, & vsque ad Rubrum Mare descendit: reperitque Ciuitatem *Helym* in qua erant XII. fontes & LXX. palmæ: *Exo. XV.* Habitatores autem territi, naues conscendunt, ciuitatem eis liberè relinquentes. Rex postea ad castrum Regale rediit, & indè Ierusalem. Grauatus postea Rex de frequenti Tyrensium equitatu infra regnum, multoq; in mari nauigio, propter quod terrâ mariq; sæpiùs prædas agebant: vltra Ptolomaydam, ad quinque leucas propè Tyrū, in loco fontibus irriguo, ac pascuis habundanti, pratis, & hortis, vbi Alexandero-lim Tyrum obsidens, *castrum Alexandrium* ædificauit supra mare, ipse reædificauit, *Scandalium* vocans. Saraceni Alexandrum, *Escandar* nominant: vulgari igitur corruptione, R. mutatâ in L. reædificatum castrum *Scandalium* vocatum est. Sequenti anno, Rex corde pertractans iniurias ab Ægyptiis illatas, cupiens eis rependere vices, congregato exercitu, per maritimam in Ægyptum procedit; & *Faramiam* ciuitatem capit, prædamq; bellatoribus diuisit. Ibi itaque de Nili piscibus comedens, profluuio ventris extinctus est: XVIII. annis quibus regnauit, variis auctus victoriis: qui nunquam in Ciuitate vbi Christus coronatus est diadema portare consensit: honorificè sepultus sub Caluaria, in loco qui dicitur *Golgotha*. M C XVIII. anno regni sui XVIII. A. Dni. 1118.

CAP. IX

Continet Balduini secundi Regis electionem.

BALDVINVS *de Burgo II. Rex* } *coniuges* { MARSILIA *filia Gabrielis Armeni.*

Melisent. I. Aylis. II. Hodierna III. Iueta nata post coronationem. IV.

IX. POstquam *Balduinus de Burgo* XIX. annis Edessanum rexerat comitatum, ascendit in cor illius vt visitaret Ciuitatem Sanctam Ierusalem; Regem quoque qui illi Comitatum contulerat. In via igitur de morte Regis recepit nuntium: & primò cōsternatus animo, tandem iter prosequitur, & in Ramis Palmarum, dum per portam vnam ciuitatis ingreditur, funus Regium defertur per aliam. Sepulto Rege, Prælati & Barones conueniunt, vt de futuro Rege deliberent. Inter cæteros *Iocellinus* dominus Tyberiadis, eorum aduertens controuersiam: quibusdam dicentibus, quia ius regni ad *Eustachium* Bononiæ Comitem deuolutum sit hereditario iure; aliis asserentibus ante ipsius aduentum possibile esse, eius absentiâ perire regnum: sic cunctos alloquitur: *Regni periculum, ex diuina Regis absentia, omninodis cauendum congrue iudicatis: possibilem tamen hereditariam successionem respuere non debetis. Ecce præter huius rei notitiam, aduenit quasi missus diuinitus, in bellis probatissimus Edissenus Comes, consanguineus defuncti Regis: nec esset facile vndecunq; eligere parem illi. propinquitas igitur & probitas, meritò illi conferunt hunc honorem.* Recogitant plurimi auditorum quę huic ille intulerat: *suprà cap. VII.* Maiorem proindè adhibent fidem dictis: licet nonnulli aspirantem ad Edisseni Comitatus successionem, notare voluerint. Omnium igitur consensu in Resurrectione Domini, in Ecclesia Sancti Sepulchri Rex Ierusalem coronatus est, secundo Aprilis. Coronatus Rex, Iocellino in gubernatione regionis experto, Comitatum Edissenum concedit, suisq; heredibus: qui iussu Regis, Reginam, cum tota comitiua, transmittit in Ierusalem, filiasq;, ac Regis familiam. Tunc magnus Latinorum inimicus mortuus est *Alexius* Imperator, cui successit *Iohannes* filius, La-

tinis humanior. Mortuus est & Patriarcha *Herzoldus*: Cui successit vir Sanctus *Gormons*, natione Gallicus. Mortuus est & *Aegyptius Princeps*, qui ad terram Sanctam terrâ marique magnum transmittebat exercitum. *Ordo* quoque *Templaris* militiæ tunc incepit: de quo infrà *part. VII. capit. III.*

CAP. X.

Continet Regis victoriam contra Turchos; eiusq; captionem, & Comitis Iocellini.

X. TVrchemanni Principem sibi cui seruirent elegerunt *Gariz*, cui coniungitur *Doldequinus* Princeps Damasci, & *Debeym* Princeps Arabiæ, ad aggrauandum pro posse Principatum Antiochiæ: & citra Alapiam castra metati sunt. Princeps verò *Rogerus*, licet Iocellini, Regis quoque & Tripolitani Principis, auxilia implorauerit, tamen ante illorum aduentum congregatis sexcentis equitibus, peditibus verò tribus millibus, cum XX. mille equitibus congressus, animosus miles, sed vitiosus, Christianis omnibus penè cæsis, bello interemptus est. Hunc referunt *Boamundo* iuueni Principatum requirenti reddere noluisse carnalibusque vitiis fœdum, emendam tamen promisisse cum prodiret ad bellum. Rex deindè Antiochiam profectus, deliberatione habitâ simul cum Patriarchis Antiocheno ac Ierosolymitano, ex prædicto euentu afflictâ nimis Orientali Ecclesiâ, misit Legatos ad *Calyxtum* Papam secundum, simulque ad *Dominicum Michaëlem*, Venetum ducem, petentes vt secundùm necessitatis exigentiam eis prouiderent, & necessaria ferrent auxilia. Paratur itaque exercitus, cui prædictus dux Venetus præficitur: *Gariz* verò interim castra capit, & Christianis multa infert incommoda. Rex verò cunctis dispositis, illi obuiam vadit cum septingentis equitibus, præcedente Crucis vexillo, in cuius auxilio Christiani sperant victoriam; Turchi verò in multitudine bellatorum. Sed scriptum est: *non in fortitudine equi, neq; in tibijs viri, beneplacitum erit ei: beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Psalm. 146. II. Facto igitur congressu, M C XIX. in vigilia Assumptionis Dominæ, habuêre Christiani victoriam, interemptis ex eis septingentis peditibus, equitibus centum; ex Turchis verò, quatuor millibus, exceptis vulneratis & captis: prædicti verò tres Principes fugâ liberati sunt. Tunc Rex, Prælatorum, Baronum & omnium consensu, Antiochiæ Dominus factus est: munitis autem fortilitiis, in Ierusalem regreditur. Terra autem grauari cœpit multitudine locustarum vastantium segetes; & frequenti motu agitari propter onera peccatorum: factæque sunt in terra pestilentia & fames. Congregantur proindè cum Patriarcha Prælati, cum Rege Barones Neapoli; fitque sermo, vt populus timeat Dominum, placetque; fratum: emendam cuncti promittunt. Editaque sunt ibi capita XV. ad cunctorum reformationem. In eo concilio multi fuerunt viri probi, & famosi. Rex, sequenti anno, à mercatoribus pedagia cuncta summouit in Ierusalem: cunctaque liberè inferre, vel empta indè portare concessit: indè omnibus gratior effectus. *Doldequinus* Rex Damasci videns occupatum Regem, collectâ manu, Tyberiadis districtum vastare cœpit: sed aduenientem Regem expectare ausus non est. Indè versus Tripolim Rex properat, indignatus quia Comes sibi homagium negauerat: sed Baronum interuentu res debitum finem sumpsit. Indè Antiochiam pergit: nam *Balac* Admiratus Regis Alapiæ, in circuitu sæpius equitabat, elatus nimis: quia incautè equitantem *Iocellinum* Comitem Rages, & *Galeranum* consanguineum ipsius, de nouo apprehenderat. Rex deindè ad Comitatum *Rages*, desolatum valdè, properat; Balac verò à latere sequitur, vt offendat. Transit igitur Rex Eufraten, cum priuatis familiaribus, nihil suspicatus aduersi: & dum nocte equitat, dormientibus multis, Balac comprehensum Regem ducit ad forte castrum vocatum *Quarta Petra*, & iuxta Iocellinum & socios, posuit in catenis. Indignati ex hiis plurimi Armenorum, vsque ad quingentos de melioribus congregantur: & sub habitu aut monachorum, aut mercatorum simulantium se querelas deferre iniuriarum ad dominum castri, occultato sub veste ferro, castrum intrant & capiunt, ac carcerem frangunt. Rumor fit in circuitu, & à Turchis castrum vndique obsidetur. In tanto tumultu Iocellinus euadit.

A. Dñi. 1119.

Rex cum suis castrum munit: sed tandem contra venientem Balac tenere non valuit: ductus deindè in Caram in stricto ponitur carcere cateniisque.

CAP.

CAP. XI.

Continet victoriam contra Turchos: & pacta Surianorum cum duce Venetiarum.

AVdiens *Princeps Aegypti* captum Regem, terreſtrem ac marinum exercitum vndiq; congregat: *Aſcalonę* terreſtris exercitus applicat; *Iaphe*, marinus LXX. galearum, cum cæteris multis nauigiis. Congregantur itaq; fideles non amplius VII. milia, inter quos infantes & mulieres computati ſunt: Turchi verò vltra LXVI. milia computati ſunt, præter eos qui erant in nauibus. Commiſſo itaque prælio, valorem Chriſtianorum militum experti Aegyptii, in fugam conuerſi ſunt: ceciderunt́que in prælio ſeptem milia eorum; ſuiſque ſpoliis ditati ſunt fideles. Tunc quoq; *Dominicus Michael* dux Venetiarum, ad Terræ Sanctæ ſuccurſum properans, propter requiſitionem ſuperiori capitulo factam, apud Cyprum de Ægyptiorum exercitu informatus, Babylonicam claſſem inuaſit. Tantus ibi ſanguis eſt effuſus, vt aquæ & aëris elementa corrupta ſint: ibi Turchorum Capitaneus occiſus eſt; nonnulli verò fuga elapſi ſunt. Veneti quoque nequaquam continuò rediêre: ſed verſus Ægyptum procedentes, ſi forte inimicis Chriſtiani nominis nocere valerent vſque ad Ciuitatem *Larim* nauigantes, decem Turchorum naues reperiunt onuſtas mercibus, quarum præda, interfectis hominibus, ditati ſunt. Hoc audito Barones & Prælati, nuncios ad Ducem mittunt, rogantes, poſt ſalutationem, vt cum nobilium comitiua Ieruſalem veniat: ibi à cūctis feſtiuè ſuſcipitur. Interrogantibus verò ſi Terræ Sanctæ ſubuenire intenderet, belliſq; Saracenos atterere: hoc ſui reſpondit eſſe propoſiti, cauſamq; aduentus. Tūc demùm terra mariq; *Tyrum* obſidere diſponunt. Conueniunt quoq; cum Duce Barones in *Ptolomayda* vrbe, vt in omni ciuitate quam caperent Veneti, vnam rugam quietam & francam habeant, vnam Eccleſiam, vnum balneum, vnū clibanum, omniaq; ſua libera & frāca, ſicut Rex in Ptolomayda quoq; facere valeant clibanū, molendinū, balneum, menſuras bladi, vini & olei: omnia iſta illis libera ſicut & Regi conceſſa ſunt. De Tyro quoq; annuatim trecentos Bizantios, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, de fontico dari debent. Et ſi Venetus cum Veneto cauſam habuerit, ſecundū ipſorum morem & iuſtitiam iudicabitur. Ciuitatum etiam Tyri & Aſcalonæ, ſi eas capi contingat, tertiam partem regaliter & liberè obtinebunt, ſicut Rex alias duas. Verumtamen in defenſione Terræ Sanctæ, ſecundum quod tertiæ partis redditus conuenienter tolerare poſſent, in commune ſeruitium Regis, defenſores habere tenebantur. Fuerūt & aliæ conuentiæ mutuæ: ſed iſtæ in ſcriptis redactæ, & ſigillis Prælatorum ac Baronum munitæ ac iuramento firmatę. Adiunctumq; eſt, quòd liberatus de carcere Rex, aut illius ſucceſſor, hæc omnia confirmabit: quod ſi facere noluerit, pro Rege nequaquam habebitur. XI.

CAP. XII.

Continet Tyri conditiones, & ſitum, ac captionem.

QVam difficilis ſit ad expugnandum *Tyrus*, & ſitus oſtendit, & obſidentium olim labor inutilis. In figura eſt rotunda, & penè ex omni parte marinis fluctib. cingitur: Sic enim Ezech. XXVI. dicitur: *Habitas in mari vrbs inclyta, quæ fuiſti fortis in mari cum habitatoribus tuis.* Quę demum ciuitas aut regnum, vt Tyrus ſuſtinuit impetum *Alexandri? Nabuchodonoſor* etiam tribus annis & decem menſibus eam obſedit: & vt de proximis temporibus eloquamur, *Balduinus* bellicoſiſſimus, cuius victoriæ in præcedentibus fuerunt inſignes, cum Tyrum quatuor menſibus obſediſſet, & reſiſtentibus viriliter Tyriis nihil proficeret, & multis inutiliter grauaretur expenſis, ſoluta obſidione, receſſit. In Ioſue quoq; XIX. cap. Scriptura Sacra, Tyrum munitiſſimam ciuitatem appellat. Eſt autem Tyrus ſupra mare, muro & antemurali, ac turribus eminentibus munita: portus eius idoneus & ſecurus, infra mœnia præbebat nauibus ſtationem. Ex parte verò terræ, triplici muro croſſo cingitur, habetque foſſas profundas & latas, ad quas facile eſſet introducere aquas maris. Muri quoque XII. turribus munitiſſimis ornantur: turribus verò continuatur arx ciuitatis in rupe, in corde maris, & ipſa turribus ac palatiis diſtincta. Caput & Metropolis vniuerſæ prouinciæ Phenicis: piſcibus abundantiſſima, fontibus & riuis aquæ XII.

dulcis irrigua, vineis & agris frugiferis amœna & fertilis ex parte Meridiei vſque Scandalium. Et ex parte Aquilonis, in eius territorio, in loco aliquantulum edito, eſt fons ſiue puteus, ſuper quem feſſus ex itinere, dicitur quieuiſſe Dominus IESVS: habet autem aquas limpidiſſimas intrinſecus ita copioſè ſcaturientes, vt omnia pomeria, & hortos olerum, & vniuerſam regionem irrigent. Hunc autem Salomon
Cant. 4. 15. appellat *puteum aquarum viuentium*, in Canticis Canticorum. Erat quoq; ibi lapis, extra portam ciuitatis Orientalem, ad duos iactus ſagittæ, inter arenas, ſuper quē prædicauit CHRISTVS: qui locus arena illa nutu quam operiri poteſt, licet per aëra volitet inſtar niuis, & tumulos faciat circa parietes vel ſepes. Ibi & mulier deuotè cla-
Luc. 11. 27. mauit: *Beatus venter qui te portauit* &c. *Veneti* autem multùm poſt victoriam ſecum de illo lapide detulerunt. Eſt quoque Tyrus ciuitas veruſtiſſima nimis: Nam eam fundauit *Tyras*, filius Iaphet, & ſuo nomine Tyrum appellauit. Hebraicè dicitur *Sor*, nos verò *Sur* vulgariter appellamus. Ibi natus, eiuſque Rex legitur fuiſſe, Africæ Rex *Agenor* Libiæ filius, ex qua Lybia nomen accepit, cuius filius maior *Cadmus* Atheniis ædificauit, & litteras Græcas inuenit. *Phœnix* verò alter filius, toti regioni nomen impoſuit: cuius filia *Europa* à Ioue rapta ex Africa, Cretamq; aduecta, nomen ſuum dedit tertiæ parti orbis. *Dido* quoque in ea nata eſt, Carthaginenſis conditrix vrbis. Deniq; qui eius laudes immenſas ſcire voluerit, legat XXVI. Ezech. cap. cum duobus ſequentibus: vbi *coronata* dicitur *ciuitas perfecti decoris: cuius negotiatores, Principes, inſtitores eius, incliti terræ*. Sed & Zacharias cū eius laude hanc Chriſtianorum victoriam cap. IX. nequaquam tacuiſſe videtur: *Ædificauit*, inquiens, *Tyrus munitionem, & coacernauit argentum quaſi humum & aurum quaſi lutum platearum: ecce Dominus poſſidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius.* De Ptolomayda igitur exeuntes fideles XV. Februarii, terrâ marique Tyrum obſident. Veneti, per mare omnem acceſſum prohibent; per terram, cæteri. Ædificant deindè caſtellum ligneum, & applicant mœnibus: vtrinq; baliſtis & machinis, lapides & tela iaciunt: vtrinq; mira aggreſſionis & defenſionis virtus oſtenditur. Erat enim in ciuitate *Damaſceni* milites: quia tertiam partem ciuitatis Calypha Ægyptius conceſſerat Principi Damaſceno, duabus ſibi retentis. Erant quoq; in ciuitate copiæ & inſignes diuitiæ, non modò propriæ, ſed vndiq; quaſi ad locum inexpugnabilem deportatę. Acceſſit extrinſecus animi vigor, ex aduentu *Pontij* Tripolitani Comitis, & confortabant ſe mutuò vniuerſi. Dum hæc aguntur, *Aſcalonitæ*, nocendo Chriſtianis ſeduli, nactâ opportunitate ciuitatem Sanctam aggreſſi ſunt: ſed, auxiliante Deo, cum damno & pudore ad propria redière. Poſt hæc, clauſi Tyrenſes cœperūt affligi tædio potiores: in minoribus verò hoc aduertentibus, omnis animi vigor emarcuit: cœperunt & victualia minui. Dum hoc modo deficerent, Calyphę & Doldequino intimant periculum, ni impendant auxilium. Appropinquauit itaq; *Doldequinus* exercitui, ad quatuor leucas: ſed Tripolitanum Principem, cum parte exercitus, expectare auſus non fuit. *Balac* quoq; qui Regem tenebat in carcere, collecto exercitu *Griſopolim* obſidet ciuitatem: cuius domino, ad colloquium vocato, caput amputari iuſſit. Vt verò res innotuit *Iocellino*, cum ſuis illi obuiam proceſſit: & facto congreſſu, Iocellinus hoſtem inuadit: Balac dirè percutit; & tandem caput præcidens, miſit Antiochiam, orans vt Baronibus Tyrum obſidentibus pro ſolatio mitterent: quod factum, ſicut Chriſtianis gaudium, ita Tyrenſibus afflictionem immiſit. Finaliter hoc pacto ciuitas Chriſtianis reddita eſt: vt Turchi, cum ſuis familiis, ac mobilibus, ſalui abſcedant ac liberi; qui verò in ciuitate manere elegerint, congruè pertractentur. Ciuitate igitur per deditionem accepta, in turribus ponuntur vexilla: primò Regis; ſecundò, Venetiarum ducis; Tertiò Tripolitani Comitis,
A. Dni. 1124. MCXXIV. vltimo Iunij.

CAP. XIII.

Continet Regis liberationem: magnasq; victorias contra Turchos.

XIII. MOrtuo *Balac*, Rex, promiſſâ pecuniâ, datis obſidibus, poſt captiuitatem XVIII. menſium liberè dimittitur: & Antiochiæ modum inquirit inueniendæ pecuniæ, & obſides liberandi. Tandem conueniunt vt aggrediantur *Alapiam* immunitam: ciues autem grauati, vel dabunt pecuniam, vel procurabunt obſides liberari. Illi obſeſſi amicis referunt, etiam vltra Euphraten: ni eis celeriter ſuccurratur, ciuitas capietur. Veniunt proindè in auxilium

ſeptem

ſeptem milia equitum, exceptis curſoribus. Hoc cognito Rex obſidionem ſoluit, Antiochiam rediens, & indè in Ieruſalem. Tunc *Burchequinus*, magnus inter Orientales Turchos, cũ multo exercitu ad partes Antiochiæ deſcendit, cuncta deuaſtãs: eratq; cum illo *Doldequinus* Princeps Damaſci. Requiſitus Rex, ad ſuccurrendum Antiochenis properat. Interim Turchi caſtrum *Caphardan* obtinent: deindè tranſacta parua Suria obſederunt caſtrum *Sardum*: & nihil proficientes, ad tertium perrexerunt vocatum *Arzat*. Interim Rex cum Tripolitano Principe illis appropiat cum equitibus MC. peditibus verò duobus milibus: & contra XV. milia congreſſus, campum obtinuit, interfectis ex Turchis duobus millibus, cæteris fugatis aut captis; ex Chriſtianis verò XXIV. tantùm interempti ſunt. Præda verò ditati Barones, munera Regi obtulerunt ad obſides redimendos: poſt redemptionem autem eorũ, cũ multa gloria Ieruſalem rediens caſtrũ fortiſſimum erexit in monte Beriti, vocatum *Glauien. Doldequinus* etiãm poſt dictam victoriam, magna data pecunia, à Rege treugam ad tempus obtinuit: quo tranſacto, Rex collecto exercitu per Damaſcenũ regnum ad libitum equitat: & multa vaſtans, ditatus prędis, ſine damno, reuertitur. Audiens quoq; tunc *Aſcalonam* ab Ægypto nouum exercitum aduenisſe: quater enim in anno ciuitatem Chriſtianis infeſtam, bellatoribus, armis & victualibus muniebant: Rex in inſidiis latens, miſſis curſoribus prædam ſimulantibus, nouos bellatores ad exitum prouocauit: & redeuntibus obuiam factus, LX. ex eis trucidauit; nonnullos captiuos duxit, MCXXVIII. Rex vndique congregato exercitu, viam in Ægypto ſimulat: ſed ad aliam partem tendens, ciuitatibus decem pertranſitis, in diſtrictum Turchorum profundè intrat, tranſiitq; per diſtrictam vallem, dictam *Caput Raab*, quouſque venit in terram *Domedam*, planum videlicet longum & latum, vndè labitur fluuius, & inter Tyberiadem, Citople, & Bethſan mare intrat Tyberiadis. Indè peruenit ad ciuitatem vocatam *Salome*, vbi Chriſtiani habitabant, quia nulla eis inferebatur offenſa. Indè in conuerſione Sancti Pauli tranſierunt vſque ad locum vocatum *Megiſſophar*, vbi Saulum Chriſtus corripuit, cùm pergeret Damaſcum. Illic poſt duos dies quietis, *Doldequinus* princeps Damaſci Chriſtianos aggreſſus eſt: & acriter vtrinq; bellatur vſq; ad veſperam. Tranſibat autem Rex per medias acies, nominatim milites vocans, & monẽs benè agere; verecundũ aſſerens illos canes, tamdiu potuiſſe taliũ militũ ſuſtinere inſultũ. Toto proinde conatu ipſe in ſtrictiores profiliit acies, diuiſitq; gladio, ſtrictis pugionibus ſequẽtibus ſociis. Doldequinus è contra ſuos hortatur ne pereant cum vxoribus, liberis, & patria. Tandem pedites Chriſtiani in Turchos, vbi erant ſtrictiùs congregati, irruunt; & pedites confodiunt, equos vulnerant. Rex verò, per illos quaſi leo tranſibat, optimis ſociatus militibus: multus ibi ſanguis effuſus eſt; interfectaq; ſunt Turchorum duo milia: ex Chriſtianis verò XXV. equites; pedites verò, XXIV. Chriſtiani ergo pro tanta victoria Deo gratias agentes, feſtiuè nimis in Ieruſalem regreſſi ſunt. Poſt hæc, *Pontius Tripolitanus Comes*, auxilio Regis, ciuitatem quandam ſibi vicinam vocatam *Raphaniam*, poſt XVIII. dies obſidionis obtinuit.

A. Dni. 1128.

CAPVT XIV.

Continet Boamundi & Regis mortem: & ſublimationem Fulconis tertij Regis Ieruſalem.

XIV. POſtea *Boamundus* factus annorum XXVIII. de Apulia veniens, à Rege Principatum Antiochenum accepit; & *Ayliſiam*, ſecundam eius filiam, accepit in coniugem: Cupiens autem amiſſum recuperare caſtrum *Caphardan*, congregato exercitu illud obſedit, machinaſq; erexit, & felici initio victor obtinuit: & captis ditiſſimis Turchis, vitam pecuniâ concedere noluit, vt in Turchos conceptum animi oſtendat rigorem. Sequenti vere *Fulco Andegauenſis Comes*, qui priùs vno anno, centum milites in Terra Sancta ad ſuas expenſas tenuerat, Ptolomaydæ applicuit, vocatus à Rege ac Baronibus. Huic infra L. dies, iuxta promiſſum, Rex filiam primogenitã *Meliſendam*, dedit vxorem, & cum ea Ptolomaydam & Tyrum. Ille verò blandè in omnibus Regi, velut patri; obtemperare ſtuduit. *Gormons* Patriarcha Ieroſolymitanus moritur, cui *Stephanus* Abbas, vir multæ religionis ſucceſſit. De Francia proindè rediit *Hugo*, primus magiſter Templi, miſſus ad implorandum auxilium a tranſmarinis Principibus, multam gentem adducens peditum equitumq;. Lætatus Rex, cum Fulcone & Comite Tripolitano & Principe Antiocheno, deliberant obſidere

A.Dni. 1130. *Damascum M C XXX.* Congregatis igitur regni viribus, putant Damascum, aut vi obtinere, aut ad deditionem cogere. Equitant igitur, ad locum perueneruntque *Megisophar*; miseruntq; per circuitum discurrentes, ad victualia acquirenda: euntes verò lucri cupidi in loca varia disperguntur, & omnibus illatis multimodam conduxêre prædam: tunc equites, securitate concepta, tuti rate prædæ per terram diuisi, lucris inhiant. *Doldequinus* verò, Damasci Princeps, hæc ipsum obseruans, eos insequitur, & vbiq; inuentos trucidat: fugientes ergo insecutus, casum denuntiant; illi sociis succurrere festinant; sed nil agunt: nec enim Dei voluntas: peccauerunt enim decori iustitiæ: tantus enim se imber infudit, vt vix quisquam socium cernere posset; tanta violentia venti, vt vix equis insidere valerent. Aduertuntq; prudentes, propter peccata hoc sibi contingere: ibiq; confundi vbi quater habuerut victorias: & vbi vicerunt cum paucis, nunc cum multitudine superantur. Barones itaq; nil vltra valêtes, quasi desperati, ad propria rediêre. Patriarcha Ierosolymitanus etiam moritur, illiq; succedit *Guillelmus*, Prior Sancti Sepulchri, natione Flandrensis. Post quam verò *Boamundus* Antiochiam rediit, *Rodoans* Princeps Alapiæ, cum multo exercitu intrauit terram Antiochiæ. Boamundus verò cum in planitie quadã Ciliciæ, nihil aduersi suspicatus quiesceret, hostes, eius status certiores effecti, in Christianos subitò irruunt; & Principẽ cum cæteris qui fugere nequiuerunt, trucidant: requisitus Rex, in auxilium Antiochenis properat. Interim verò, *Ayllis*, relicta Principis Antiochiæ, sibi vsurpat dominium, inuitis proceribus: & quosdam muneribus sibi reconcilians, ad *Sanguinum* magnum Turchum transmittit cum muneribus nũtium, vt suo possit auxilio dominari: sed captus nuntius, Regi oblatus est. Prohibet deindè Regi introitum: introducto etiam in Antiochiã Rege, in turri filia se tutatur: sed Baronum interuentu, Rex profitenti culpam indulget filiæ, eiq; *Laodiam*, & *Gybel*, maritima assignauit loca, ciuitatem muniens: & pro *Constantia* nepte sua, ex dicta filia, tanquam veræ heredi, iussit seruari: Ierusalemq; profectus est. Ibiq; cœpit Rex grauiter infirmari, & coram Patriarcha & Baronibus, se Regali exuens dignitate, genero FVLCONI, filiæq; sceptrum regni concessit: dixitq; se velle CHRISTI amore in pauperie mori: & canonicorum regularium Sãcti Sepulchri habitum sumpsit. vbi & sepultus est, sub monte Caluariæ, ante Golgotha. *M C XXXI.* die Au- A. Dni. 1131. gusti XX.

CAP. XV.

Continet honorabilem Iocellini mortem: & magnam Regis victoriam: duorum quoq; ædificationem castrorum.

XV. IOcellinus propè Alapiam, dum turrim quandam vellet diruì, sub turris ruina comprehensus, infirmus lecto diu decubuit. Venit tandem Soldanus Yconii, & obsedit Iocellini castrum, vocatum *Croissõn*. Ille vocat filium Iocellinum iam adultum, eiq; mandat, vt congregatis pugnatoribus Soldanum ab obsidione amoueat: Ille mentis inops, potentiæ Soldani se ait non posse resistere. Intellexit tunc pater, qualis ei in Principatu succederet; & se in lectica contra Turchos deportari iussit. Dum verò adhuc esset in via, recepit nuntium, quòd Soldanus, audiens quòd in lectica se portari iussisset, obsidione solutâ recesserat. Iocellinus verò lectica in terra positâ, manus & obtutus ad cœlum erigens, pio corde ac ore multas gratias Deo egit, pro honore ac beneficiis in vita receptis; & potissimè quòd iacens semi-mortuus in lectica, potentem aduersarium terruerit nominis Christiani. Cognoscebat enim hæc omnia, non nisi à Diuina bonitate & curialitate procedere. Et his dictis, spiritum cœlo reddidit. Cui succeßit filius *Iocellinus*, iuuenis ætate & moribus, ebrietate & crapulâ vitiosus, luxuriaq; fœdus. Proceres verò Antiochiæ Regi nuntiant, multitudine Turchorum de sinu Persico ebullientẽ repleßse terram. Rex igitur collectâ manu in auxiliũ pergens, processit vsq; *Sagetã*: Ibi sorori eius Comitißa Tripolis obuiam facta, cum lachrymis deprecatur vt Dominum & fratrem, vt se à *Sanguino*, Alapiæ domino, defendat, qui eam in *Monte Ferrato* obsidere conatur: allegans, quia Comes vir eius, ni auxilium habeat, diutius non poterat se tueri. *Sanguinus* verò audito eius aduentu, obsidione solutâ recessit. Antiochiam deindè pergens

Rex,

Rex, cognouit quieuisse Turchos versus Alapiam, in loco vocato *Canistrene*, satis propè Antiochiam. Igitur nocte suos arma capere iussit: illosq; aggressus per tentoria & papiliones & castra, nihil aduersi suspicatos, vsque ad tria milia gladio percussit, captiuos ducens multos, & prædam impretiabilem. Interim verò Patriarcha, & ciues Ierosolymitani, venientes ad ciuitatem *Nobe*, postea dictam *Bethnoble*, in descensu montium ad planum, in via, quâ itur Lidam, & ad mare, ibi ædificauerunt castrum forte vocatum *Hernaut*, pro tutela transeuntium Peregrinorum: quia Ascalonitæ ibidem, Christianos sæpè per insidias trucidabant. Antè verò quam de Antiochia Rex exiret, Barones, eius consilio, pro Raymundo, Guilielmi Pictauiensis Comitis filio mittunt, vt puellam heredem cum Principatu Antiocheno accipiat: oblatum munus, lætus ille suscepit. Barones deinde regni, ad arcendum Ascalonitarum insultus, *Bersabee* in fine montium, in descensu ad planitiem, reædificant: muris munientes & turribus altis, & latis foueis, ac barbacanis antè ianuas: distat autem locus ab Ascalona, leucis quasi xii. datusq; Hospitalariis est, vt custodiant illum.

Cap. XVI.

Continet mortem Tripolitani comitis: & aduentum Imperatoris Constantinopolitani contra Antiochiam.

XVI. POntius Tripolitanus comes, principi militiæ Damasci *Benzenge* occurrit, sub castro vocato *Mons Peregrinorum*. Tunc Suriani, incolæ montis Libani, relicto Comite fugiunt: Imò & captum Comitem, trucidari per Turchos faciunt. Successit ei *Raymundus* filius, qui collectâ manu, inopinatè proditores aggreditur, & cõscios paternæ cædis interimit. Audiens verò *Iohannes* Constantinopolitanus Imperator proceres Antiochiæ, sine ipsius coniuentia, nouum vocasse Comitem, iniuriatum se reputans, quia sibi de homagio teneretur, anno integro parat exercitum, captisque *Tharso*, *Adene*, *Malmistra*, & *Anauiaza*, Antiochiam obsedit. Tunc *Sanguinus* processit ad obsidendum castrum dictum *Monsferratus*. Princeps verò Tripolitanus, Regis auxilium petit, & impetrat: & in via, nuntiis & litteris recurrentibus, Antiochenas supplicationes recepit, vt celeriter ferat opem. Prælegit autem Rex, Sanguinum ab obsidione repellere: & per homines regionis, ductores exercitus, relictâ à sinistris viâ planâ, & tutâ, stoliditate an malitiâ incertum, viam montium periculosam & artam eligunt. Lætus indè effectus Sanguinus, primam exturbat aciem, indeque confunditur exercitus Christianus. Et cùm non posset Rex illis esse præsidio, consilio Baronum, ad castrum confugit, interemptis vel captis ex magna parte peditibus, & pluribus militibus: princeps quoque Tripolitanus, & ipse captus est. Obsidet deinde castrum Sanguinus, affectans cum Baronibus capere Regem: machinis igitur muros & turres diruit: inclusos quoque cognoscit fame affligi, & rerum inopiâ. Rex ab Antiochenis & comite Edissæno, Patriarcha quoque Ierosolymitano, in tanto discrimine petit auxilium. Cùm verò Sanguinus prope esset, vt castrum haberet, auxilium ab Antiochia & Rages Regi aduenire cognoscens, suadet Regi vt castrum reddat, Comitem autem & cæteros captiuos recipiat, ac liber recedat: sicq; factum est. Rex postea de montanis descendens ad planum, versus Rages perueniens, obuiauit Baronibus in auxilium ei properantibus. Princeps verò Antiochenus, viso Rege, ad propria celeriter rediit: & cùm fieret Græcorum & Latinorum cædes, non sine Turchorum lætitia, pax per prudentes tractatur viros. In hocque conueniunt, vt Princeps Imperatori faciat homagium, & intra ciuitatem recipiat quemcunque ei placuerit intrare: & Imperator similiter illi iurauit, vt si posset acquirere *Cæsaream* Cappadociæ, *Alapiam*, *Hamam*, & *Niceam*, eas donabit Antiocheno Principi. Firmatis itaque pactis, Imperator Principem, amplis honorauit donariis: vexillum verò Imperatoris, super castrum positum est: nec multò post Tharsum ad

yemandum rediit.

CAP. XVII.

Continet quædam Imperatoris itinera, ac mortem: & Belinæ ciuitatis recuperationem.

XVII. ACcidit eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, vt Imperator conuocatis Antiocheno Principe & Comite Edisseno, ad obsidendum *Cæsaream Cappadociæ* pergeret: & cùm magnum Imperator cum Græcis fecisset insultum, nec vsque ad vesperam comedisset, Princeps prædictus, & Comes discalciati ac sericis induti, totâ die luxibus ac conuiuiis vacantes, eorum qui probè egerant vulnera deridebant. Imperator hoc cognito eos benignè redarguit, allegans, quia in hoc DEI seruitio magis Principis vtilitati consuleret, quàm propriæ. Post correctionem promissam, Imperator in Latinis emendam nullam reperiens, suos iubet acriùs impetere ciuitatem, & capto burgo, multitudinem gladiis secant: tandem cùm propè esset, vt castrum caperet, magnâ sumptâ thesauri copiâ, ne ingratis seruiret, solutâ obsidione versus Antiochiam rediit, & in Constantinopolim reuersus est. *Sanguinus*, Alapiæ dominus æmulusq; nominis Christiani, ad regnum aspirat Damasci. Requisitus Rex vt Damascenis succurrat; & ne sui exitio, proximi ardere sinat parietem: promittentibus versâ vice cum Rege esse ad recuperandam *Belinam*, quam Doldequinus abstulerat, & cuidam Turcho custodiendam assignauerat, qui Sanguino illam dederat: consilio Baronum promittit auxilium. Sanguinus, vt Damascenis iungi cognouit exercitum Christianum, campo discessit, & post obsidionem dierum aliquot agente fideliter *Haynars* Principe militiæ Damascenæ: nam & ipse vicinitatem sæui Sanguini metuebat: Rex ciuitatem per deditionem accepit. Imperator quoq; *Constantinopolitanus*, postquam annis quatuor in suo quieuerat Imperio, pluries requisitus, Antiochiam venit: & infra ciuitatem nequaquam admissus, in Ciliciam rediit, intendens post hyemem grauare rebelles: sed dum sagittâ venenatâ aprum ferire satagit, manum propriam vulnerat: Iuniorque filius, qui secum aderat, *Emanuel*, ad Imperium sublimatus est: *Isaac* verò maior natu, qui de via ad sepeliendum duos fratres suos, vna die in itinere defunctos, iussu patris Constantinopolim redierat, subiici illi coactus est. Regina autem Ierusalem, apud Bethaniam Sanctimonialium nobile ædificauit cœnobium.

CAP. XVIII.

Continet laudem Regum atq; victorias: ordinem quoq; totius maritimæ regionis: & mortem Regis Fulconis.

XVIII. *Eccli.44,1.* DIfficile est prosequi quàm felices illi Reges, dilectusq; DEO populus Christianus dilatauerint fines regni. Laudare certè decet viros illos gloriosos in generatione suâ, homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, quorum memoria in benedictione est. Et primus quidem Regum *Faramiam*, quæ est in littore maris sita, non longè ab ostio Nili, antiquissimam vrbem, violenter effractam potenter obtinuit: in hac ait frater *Broccardus* Theotonicus, postea nullum remansisse habitatorem, quia serpentes eam penitus occupauerant: & inde vsque *Psal.77,12.* ad Tampni, sunt leucæ x x. de qua in Psalmo: *Qui fecit mirabilia in campo Tampneos.* Ibi Moyses & Aaron immorati sunt: & est terra Gessen, vbi habitauerunt filii Israël. De Tampni vsque *Memphis*, quæ nunc *Damiata* dicitur, sunt leucæ x v. & distat à mari per duas leucas. Antiqua autem Damiata, vt ait, funditus est destructa: sed fecerunt Saraceni iuxta eam aliud casale longum, nec munitum, ad naues colloeandas & merces colligendas. Post Faramiam sequitur alia antiqua ciuitas, sita in solitudine propè mare, quæ *Laris* nominatur. Deindè sequitur ciuitas quinq; stadiis distans à littore maris, vocata *Belbeis*: Ezech. autem x x x. Pelusium nominatur: *Effundam*, inquit Deus, *super Belusium indignationem meam.* Hæc quidem omnia Christianus exercitus suo subiecit dominio, vltra vltimam Ierosolymitani regni munitionem, quæ *Darum* vocitatur, in maritima terra Ægypti. Est autem Darum præsidium quoddam seu oppidum in confinibus Idumeæ & Palestinæ situm, quinq; stadiis distans à mari. Hanc munitionem Rex quintus Ierusalem, aliquantulum eminentiori loco fundauit, formâ rotundâ, quatuor turres angulares habentem, vbi quondam fuerat monasterium Græcorum: vndè adhuc priscum nomen retinet *Darum*, id est, *domus Græcorum.* Sequitur deinde *Gaza*, ciuitas antiquissima

sima à prædicta munitione: * vna quondam ex quinq; ciuitatibus Philistinorum. *Hæc est deserta: Act. 8.* Quam diruptam & habitatoribus vacuam, Rex quartus Ierusalem reædificauit; & in parte collis aliquantulum eminentis, supra quem dicta ciuitas situm habuerat, præsidium fundauit; fratribusque militiæ Templi, vt ab hostibus defenderent donauit, perpetuò possidendam: Fores autem portæ ciuitatis huius Samson (*Iud. 16.*) dormiens vsque ad noctis medium, manéque consurgens tulit; & ascendit ad montem, in figura CHRISTI in sepulchro dormientis, & portas inferni confringentis, & ad montem gloriæ ascendentis. Sequitur *Ascalona* ad milliaria decem in littore maris sita, formam habens quasi arcus vel semi circuli, cuius corda iacet secus ripam maris ad Occidentem. Hanc, post omnes alias ciuitates vltimò à Saracenis detentam, Rex quintus Ierusalem laboriosissimè subiugauit. Hæc antiquitus *Phylistium* appellata est, metropolis Palestinæ: Herodes quoque, ab ea Ascalonita dictus est. Sequitur ad decem milliaria *Azotum*, distans non longè à mari: nunc ad parui casalis quantitatem redacta est: vbi Phylistium (*1. Reg. 5.*) reposuerunt arcam DEI in templo Dagon dei sui: sed cùm surrexissent diluculo Azotii, die alterâ, inuenerunt Dagon prostratum antè arcam DEI, quasi eam adorantem. Sequitur *Acharon*, octo distans millibus ab Azoto; propè mare sita est. Sequitur *Geth*, non longè à Lida & Ramula: in colle aliquantulum erecto sita fuit: ex lapidibus autem eius, quæ dudum vastata fuerat, Rex iste *Fulco*, in eodem colle, ædificauit præsidium cui nomen *Ybelin*, & Baliano dedit. Deindè in colle iuxta planum quod respicit Ascalonam, ædificat *Albam Speculam*, castrum Ascalonitis mirabiliter nociuum, in distantia octo leucarum. Regnauit autem annis XI. dum autem in territorio Acon leporem insequendo, equo præceps rueret, vitâ functus est: relinquens *Balduinum*, filium primogenitum annorum XII. alium filium *Almericum*, annorum. VII. *Bersabee* quoque dictam vulgariter Gybelyn, terminum Tertæ Promissionis versus Meridiem, ad radicem montis sitam, in initio campestrium, inter montes & Ascalonem, Christiani erexerunt, antequam possent capere Ascalonem, ad Ascalonitarum superbiam & violentas irruptiones commodiùs reprimendas. De *Geth* fuit Golias gigas (*1. Reg. 17.*) quem interfecit Dauid. Per has quinque ciuitates Phylistinorum, circumducta fuit arca Domini. Quandocunque delata est ad aliquam harum ciuitatum, ciues percussi sunt grauissimâ dysenteriâ, & mures ebullientes corrodebant exrales eorum. *1. Reg. 5, 6, 9.* Post prædictas autem quinque ciuitates Palestinorum, sequuntur aliæ ciuitates atque munitiones: *Iopen* scilicet, *Arsur*, *Cæsarea Palestinæ*, *Cayphas*, *Ptolomayda*, *Tyrus*: de quibus omnibus, supra I. V. & V. capit. dictum est. Postea *Sarepta*, quam frequentabat Elyas: ibi iuxta portam ciuitatis modicam capellam ædificauerunt Christiani, vbi filium viduæ suscitauit. *3. Reg. 17, 10, 17.* Postea *Sydon*, *Beritum*: de quibus supra cap. 5. *Biblium*, quod vulgariter dicitur *Gybeleth*, supra littus maris in prouincia Phenicis, quondam *Euea* appellabatur, quia fundata perhibetur ab Eueo filio Chanaan: de hiis 3. Reg. 5. *Bibly præparauerunt ligna & lapides, ad ædificandum domum Domini.* Sequitur *Botrum*, dictum vulgariter *Eotron*. Postea castrum, quod *Nephyn* appellatur: postea *Tripolis*, vbi dicebantur esse quatuor mille textores serici & cameloti, & similium: terra illi adiacens, per leucam in longitudine, & per dimidiam in latitudine, erat quasi Paradysus, *sardinis* ornata, abundans vineis, oliuetis, ficetis, cannamellis. Libanus, distat à ciuitate ista per tres leucas: ad eius pedem oritur *Fons hortorum*, fluens impetu de Libano: (*in Canticis:*) iste fons rigat totam planitiem, & sunt aquæ optimæ, dulces & frigidæ; circeunt etiam *montem Leopardorum*, qui satis est altus, & apparet rotundus, vnâ leucâ distans à Tripoli. Faciunt autem fluuium magnum, qui in tres fluuios diuisus intrat mare. *Cant. 4, 15.* Postea *Arachis*, per vnum milliare distans à mari. Postea *Anteradum* vel *Tortosa*. Sequitur deindè *Aradium*, *Valania*, cum castro *Margath*, *Gabulum*, vulgariter dictum *Gibeb*: & inter omnes vltima, ex parte Antiochiæ situm habens egregium, & temporalium vbertatem, est ciuitas, *Laodicia Syriæ* nuncupata: est enim alia, vna de septem Ecclesiis Asiæ. Quædam etiam Mediterraneæ ciuitates, quas Christiani expugnare non potuerunt, maximè vitra iuga Libani, eis tributariæ factæ sunt, quæ propter vicinitatem poterant à fidelibus commodiùs vexari: vt ciuitas *Emessana*, quæ hodiè *Calamela*

vel *Calamele* nuncupatur & in Cele Syria *Elyopolis*, quæ alio nomine dicitur *Mahubeth*, & *Haman*. Calypha quoq; & Soldanus Ægyptius eorum impetum non ferentes, multa annuatim Regi Ierosolymitano tributa soluebant. Rex quoque Damasci, datâ magnâ summâ pecuniæ, procurabat treugas, vt securitate gauderet. Contra verò ciuitates memoratas, plures q; alias quas non poterant suo dominio subiugare, in extremitatibus terræ suæ, præter ea, quæ præmisimus versus Ægyptum constructa ex aliis partibus, castra & loca munitissima & inexpugnabilia erexerunt: vltra Iordanem, *Montem Regalem*: de quo supra 5. cap. qui & *Petra deserti* dicitur, & vulgariter dicitur *Crach*: quæ est in finibus Moab, & in monte sublimi. De hac Isay: 16. cap. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Syon.* Indè enim post peregrinationem rediit Noëmi, de qua natus est Dauid, de quo CHRISTVS. Cis verò Iordanem, *Sapheth*, castrum munitissimum inter Ptolomaydam & mare Galileæ, non longè à montibus Gelboe & Belueir, non longè à monte Tabor, iuxta ciuitatem egregiam quondam & populosam Iezraël, inter Citopolim & Tyberiadem, in loco sublimi. Merito igitur glorioſos illorum triumphos narret omnis Ecclesia Sanctorum, qui supra mare nullam reliquerunt ciuitatem aut munitionem, ab oppido Faramia, vsque Laodiciam Syriæ, quam non subiecerunt nomini & cultui Christiano: omnes quoque ciuitates ab oppido Pelusio, quod in solitudine est in finibus Ægypti, vsq; ad Edessam & Charan, & confines comitatus Edessani, trans fluuium Eufraten, in regione Mesopotamiæ, per spatium dictarum vltra viginti.

CAP. XIX.

Continet quædam gesta Balduini quarti Regis Ierusalem: & transfretationem Imperatoris Conradi, & Lodouici Regis Franciæ, assumptum laborem.

1. A. Dni. 1143. A. Dni. 1145. FVlcone mortuo M. CXLIII. Regnauit BALDVINVS filius eius. Hic Gazam reædificauit: *supra capitulo præcedenti.* Huius tempore, anno videlicet M. CXLV. *Sanguinus* Edessanam ciuitatem capit: de quo infrà part. 9. cap. 2. Gulielmo Ierosolymitano Patriarchæ succeſſit *Fulcerus*. Deindè ad ciuitatem *Columbar*, sitam super Eufraten, expugnandam accessit: ibi, procurante domino ciuitatis, quadam nocte ebrius, ab Eunuchis suis interfectus est. Manè verò omnis exercitus ad propria rediit, succeſſitq; illi *Cotebedinus* in Mussula, filius eius maior; in Alapia, minor *Noradinus*. Obtulit autem quidam Princeps Turchorum, qui Armenus fuerat, Regi optimam ciuitatem Arabiæ, vocatam *Bostre*, nunc verò appellatur *Bosereth*, & vnum forte castrum, vocatum *Scalcath*. Rex itaq; collecto exercitu iuxta mare Tyberiadis, Iordanem transiit, & per Traconitidem regionem iens, à Turchorum multitudine insidias passus innumeras, periculaq; grauia, cùm post dies aliquot propè ciuitatem veniſſet, & eam habere speraret, vxor dicti Principis ipsam in manibus Turchorum, aliorumque aduersariorum dedit. Christiani in summo periculo sunt constituti, dum redeunt, procurantibus Turchis flammam ignis ac tetrum fumum in facie eorum: & cùm nullum humanum adesset remedium, Archiepiscopo Nazareth, qui Crucem CHRISTI portabat, supplicant, vt pro se oret ad Dominum. Ille, de equo descendens, lachrymosis orauit oculis pro populo ante Crucem; & continuò flamma contrario vento retorta, inimicos Crucis CHRISTI per deuia errare coegit: consequenter verò cùm passum difficilem pertransirent, & ductore carerent, apparuit miles quidam albo equo insidens, vexillum rubeum cum alba cruce, manu tenens, viamq; ostendens, & completo ministerio nunquam comparuit. Debilitatâ vero Christianitate in partibus Orientis, ex amissione Edissenæ ciuitatis, Crux denuò prædicatur. Vndè & Rex Francorum *LODOVICVS*, apud Viceliacum, cum regni Principibus & multitudine innumerabili Crucem accipiens, transmarinam peregrinationem assumere proponit. *Conradus* etiam Imperator sequenti anno, id est, M. CXLVII. & penè cuncti Principes eius à *beato Bernardo* crucem assumunt apud *Fraquenefrot*: sociiq; peregrinationis eius, multiplicati sunt super numerum. Vterq; enim Principum, circa LXX. milia equitum habuisse dicitur. Quid putas feciſſent CXL. millia equitum, si fuisset DEVS cum eis? Ad prædicationem enim ipsius tantus erat cõcursus, vt in vrbe Spirensi, Rex Conradus depositâ clamide in propriis vlnis eum, ne comprimeretur, susciperet, & extra

A. Dni. 1147.

tra Ecclesiam deportaret. Mense igitur Madio virtute incomparabili peregrinationem aggressus, transito prosperè Brachio Sancti Georgii, dimissâ ad leuam *Galatiâ*, pertransitis duabus ciuitatibus *Ponte* vocatis; dimissisq; à dextris terrâ *Frigiâ*, *Lidiâ* & *Asiâ paruâ*, venit *Nicomediam*, & pertransiit *Niceam* intratitq; terram *Licaoniæ*, rectâ & magnâ stratâ dimissâ: & dum ad expugnandum *Iconium* inconsultè diuertit, consumptis terræ germinibus & deficientibus victualibus, cum suis fame afflictus rediit, & persequentibus eum Turchis: conuenerant enim ex omnibus partibus Orientis: Græci quoq; ductores, conscio *Emanuele* Imperatore, per vias prauas & periculosas duxerant exercitum, & in via reliquerant, cùm eum in maiori cognouerunt periculo: & ita vix decima pars euasit. Et postquam diu in Constantinopolim recreatus est, in Ptolomaydam nauibus transuectus est. *Rex* verò *Franciæ* cum Imperatore concordauerat, vt per *Bauariam* transirent: non tamen simùl propter defectum victualium: & transmisso Danubio per *Vngariam*, *Panoniam*, *Bulgariam*, ripe dimittendo ad leuam pergerent vsque *Pueple* & *Andrinopolim*, & indè *Constantinopolim*; & pertransito postea Brachio Sancti Georgii, intrarent *Bithiniam*, primam terram Asiæ, & ante Calcedoniam castra metarentur. Cognito autem Imperatoris casu, Rex Franciæ versus Asiam minorem tendit, & versus maritimam; dimissâque Philadelphiâ venit *Smiram*, deindè *Ephesum*. Deindè Rex venit ad aquas de *Menandre*, vbi multitudo est Simiarum: & repugnantibus Turchis aquam transeunt. Fuit deindè pugna grauis, & de aliquali victoria Franci gauisi sunt, obtentâ prædâ: deindè ad *Liciam* peruenientes, recentia sumpserunt cibaria. Postea in transitu cuiusdam montis Turchi Gallorum magnam ediderunt stragem. Errabat ex tunc exercitus in via, nunc ad dextram nunc ad sinistram pergens: donec *Sataliam* vsque peruenit, quæ ciuitas supra mare sita à Græcis possidebatur. Ibi Rex ascensis nauibus nauigare cœpit, ad leuam relinquens *Ciliciam* & *Isauriam*, à dextris *Cyprum*, & ad *portum Sancti Simeonis* vsque peruenit: indè verò per terram Ierosolymam iuit, ibiq; Imperatorem reperit. Eodem anno Veneti, sub *Iohanne Polano* Capitaneo, magnum ad Terram Sanctam transmiserunt auxilium. Reliqui autem Franci, etiam per deserta, dolo & astutiâ Græcorum & assultibus Turchorum, detrimenta passi, fameq; cruciati, ita vt nonnulli equorum & asinorum carnibus vescerentur, vixq; tandem *Seleuciam* peruenerunt: & indè *Antiochiam*, & *Palestinam* nauibus petierunt. *Balduinus* itaque cum Imperatore Romano, Rege Franciæ, Pattiarcha Ierosolymitano, *Portuensi Episcopo*, Apostolicæ sedis Legato & cum multis aliis Archiepiscopis, & Episcopis, Ducibus, Comitibus aliisque Baronibus, tam de regno quàm aliundè, Damascum obsedit. Est autem *Damascus* ciuitas antiquissima, cunctas Orientales penè excedens in populi quantitate. Hanc ædificauit seruus Abrahæ de quo *Genes. cap. xv.* dixit Abraham: *Filius procuratoris domus meæ ipse Damascus Eliezer erit heres meus.* Damascum habitauit *Esau*, qui *Seyr*, id est, pilosus, & *Edom*, id est, rubeus dictus est. Ab Edom autem tota terra *Idumea* nomen accepit. Est & minoris Syriæ, quæ *Libanica* appellatur, metropolis: Isay. VII. *caput Syriæ Damascus.* Est autem in campestribus, in agro sterili & arido sita. Irrigatur autem aquis, quæ ex montibus per quosdam meatus deducuntur: quâ irrigatione fertilis redditur tota planities, arboribus fructuosis copiosa. Iuxta prædictam ciuitatem, in loco, qui hodie dicitur *Melchisaphar*, vbi apparuit Dominus Saulo, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Principes dicti conueniunt, & cum innumerabili exercitu ciuitatem obsidentes, pomeria ciuitatis violenter confringentes, irrumpunt; fluuium iuxta muros ciuitatis defluentem, ad vsus suos forti manu occupantes. Iam verò Damasceni de suis viribus diffidentes, cùm iam diu Christianis pugnatoribus ex parte pomeriorum resistere non valerent, quosdam eorum, qui de Syriæ partibus, Peregrinis Principibus præbuerant consilium & ducatum, suo more pecuniâ corruperunt: propterea consulunt obsidionem transferri ad partem aliam ciuitatis. Primo autem loco relicto, & à Saracenis occupato, contraque fideles diligenter munito, dum affligeretur exercitus Christianus aquæ & victualium inopiâ; indignarentur quoque Principes Orientalium defectione, infecto negotio redière. *LODOVICVS* deinde Rex Francorum à Palestina nauigans, à classe Græcorum Im-

Gen. 25. 30.

Act. 9. 4.

peratori *Curfolium* ofidenti præſentandus deducitur. Sed à Georgio duce nauium *Rogeri Regis Siciliæ* eripitur: qui vſque Conſtantinopolim pergens, in palatium Regium ſagittas aureas iecerat; & incenſis ſuburbanis, de fructibus hortorum Regis violenter abſtulerat. Altitudo in hoc facto apparuit Diuini iudicii in quo tam valida Chriſtianorum potentia vtinam non elata, nihil agens euanuit. Huius quoque Balduini tempore, *Rogerus* Rex Siciliæ, reconciliatus Eccleſiæ, reſtituto quoq; ei Ducatu Apuliæ per Eccleſiam, exercitum naualem congregat, & contra Saracenos in Africam properat: notabilẽ ciuitatem capit, quæ *Africax* dicitur, villam *Afax*, *Clepeam*, & alia caſtra plura: Regemq; Tunitii ſibi tributarium fecit. Balduinus autem, regni ſui quindecimo anno, cum Damaſci Principe *Norandino* congrediens, multis cæſis, cæteriſque fugatis, victor campum obtinuit. Regnauit autem annis XXIV. & ſine liberis mortuus eſt.

CAP. XX.

Continet mortem principum Antiocheni & Tripolitani, ac Balduini Regis: & plures Turchorum inſultus.

REcedentibus abſq; omni victoria Principibus, inimici Crucis CHRISTI, multâ conceptâ audaciâ, pro nihilo reputant de terrâ illa exterminare fideles. *Norandinus* itaque, Orientales aduocans Turchos, contra Antiochiam properat: cui *Raymundus* Princeps cum paucis obuiat; & temerè ſecurus, dum multitudinem non formidat à pluribus trucidatur. Tranſiit Norandinus vſque ad mare, cuncta deuaſtans. *Tripolitanus comes* poſtea ab *Aſſaſidis* perimitur, relicto filio *Raymundo*, annorum XII. Paruo autem poſt tempore, quatuor *Admirati fratres*, qui Ieruſalem dicebant iure hereditario ſe debere poſſidere, collecto vndique exercitu vſque ad montem Oliueti proceſſerunt. Magna fuit trepidatio in Ieruſalem, propter Baronum abſentiam, qui erant Neapoli congregati. Inuocato tamen piè Diuino auxilio, exiuerunt obuiam Turchis, inepto ſitu repoſitis. Illi verò in fugam cõuerſi, gladio & præcipitio vſque ad quinque milia perierunt, M.CLII. Comitiſſa Antiochiæ ſibi matrimonio copulauit *Renaldum de Caſtellione*, militem probum & prudentem. Captâ fuit *Aſcalona* M.CLIV. quidam dicunt ſub Almarico id actum eſſe. Cùm enim eam Chriſtiani obſiderent, nec proficerent: erat enim munitiſſima muris, & antemuralibus, turribus plurimis & aggere valido, & multitudine pugnatorum: tandem *milites Templi*, per ingreſſum ſe ciuitatem capturos putantes inibi trucidantur. Cæteri verò obſeſſores ante Crucem Domini ſe proſternentes, Diuinum cum lachrymis precabantur auxilium; obtinuerunq;: ita vt Aſcalonitæ ſaluis perſonis & rebus ciuitatem redderent Chriſtianis. Multi quoq; congregati *Turchemanni* à Rege petunt, vt tutè animalia ſua paſcant iuxta Belinam, dato pretio iuxta Regis imperium: & annuit Rex. Suaſerunt autem nonnulli auaritiâ excæcati, vt Rex infidelibus fidem nequaquam ſeruaret: quia inter cætera animalia pulchros haberent equos. Fracto igitur iuramento, ſubitò in Turchemannos irruunt, & pro magna parte, aut capiunt aut interimunt, & prædam ducunt, quâ nullam aliquando putant feciſſe maiorem. *Norandinus* deindè Damaſci iam Princeps effectus, Belinam obſidet & diruit. Rex illò properans, fugato Norandino illam reficit; & poſt aliquod tempus aliquos Barones ad propria remittit. Et dum ſuperfluè ſecurus cum paucioribus redit, à Norandino impetitur; & magnâ ſtrage Chriſtianorum editâ, Rex vix fugâ liberatus eſt: *iuſto iudice DEO, periurium vlciſcente*. Ad remedium autem malorum, *Terricus comes Flandriæ*, ſicut aliàs fecerat, ad Terræ Sanctæ profectus ſeruitium, cum Rege & Baronibus Antiochiam properat. Tunc Norandinus opportunitatem nactus ad obſidendum *Neapolim* profectus, periculoſè nimis infirmatur. Quo cognito Chriſtiani de Antiochia *Cæſaream*, quæ ſuper fluuium Fer, qui iuxta Antiochiam labitur, ſita eſt, profecti ſunt: ciuitatibus hiis duabus ab inuicem quaſi decies XV. diſtantibus: capta fuit ciuitas, & Turchi confugerunt ad caſtrum. Tunc Rex, ad communem vtilitatem reſpiciens, terram diſponebat aſſignare Flandrenſi comiti conſeruandam; cunctisq; placebat Baronibus: ſed pacis æmulus diabolus, Antiocheno immiſit Principi non conſentire, niſi ſibi homagium faceret: propter quod in facto non amplius procedentes, Antiochiam redière. *Fulcerus* Patriarcha tunc moritur, cui ſucceſſit

A. Dni. 1152.
A. Dni. 1154.

cessit *Almaricus* Prior Sancti Sepulchri. Rex verò, neptem Imperatoris Constantinopolitani accepit in coniugem. Norandinus post hæc sanitati restitutus *Sagetam* obsidet: Rex verò ad remouendam obsidionem properans xv. anno regni sui cum Norandino congressus, multis Turchorum cæsis multisq; captis, cæteros in fugam coegit. *Renaldus* Princeps Antiochiæ post hæc, versus Rages profectus, magnam prædam agens, dum reuertitur à Turchis capitur, fugatis sociis aut cæsis. Rex autem, M.C.L.XII. viam vniuersæ carnis ingressus est: iuxta suos prædecessores sepultus. A. Dni. 1162.

CAP. XXI.

Continet victoriam Almarici contra Babylonios: deinde confœderationem cum eis, contra Soldanum Damasci: & quædam Antiochiæ gesta: atq; Calyphæ Aegyptij gloriam.

BAlduino prædicto successit ei frater ALMERICVS M.C.LXIII. Hic *Darum* in eminentiori loco fundauit: *supra capit. XVIII.* Huic Ægyptii certam summam pecuniæ, quam Regi defuncto tribuere tenebantur, cùm dare nollent, contra *Daganum Soldanum* duxit exercitum; eumq; iuxta *Belbeis* bello superauit, plurimis interemptis & captis: qui verò fugerant, Nili ripas frangentes, obuiam Regi fecerunt transcurrere; sicque redeunte Rege, liberati sunt. Erat autem Soldanus sub Calipha, sicut quondam sub Pharaone Ioseph. Grauato taliter Dagano, *Sauargitus*, qui priùs Soldanus, expulsus fuerat per Daganum, ad Norandinum se conferens, contra Daganum petit auxilium. Ille cogitans, quia si Ægyptum intrare valeret, dominium faciliter sibi posset acquirere, *Saracunum* Principem militiæ transmittit. Tunc Daganus Regi Almarico, maiora offert quam habuerit Balduinus, vt se à Saracuno defendat. Rex annuit, vt exitii sui periculo Saracunus efficiatur potentior. Sed à suis Dagano sagittâ percusso, Sauargitus liberè dominatur vt priùs: sed metuens Saracunum ad Regem Almaricum transmittit, vt pacta habeat Dagani; obtinuitque: & simul iuncti Saracunum de Belbeis, quam cœperat, expulerunt. Tunc duo Barones de Francia venientes, post sacrorum locorum visitationem, cum multo comitatu Antiochiam profecti, Antiochenis sibi adiunctis, in Norandini exercitum subitò irruentes, tantam Turchorum ediderunt stragem, vt terræ superficies cadaueribus repleta sit; & incomparabili prædâ ditati sunt. Norandinus verò vndique procuratis auxiliis, ad obsidendum castrum de *Harenc* rediit: prædicti autem victores vanitate elati, dum ad amouendam obsidionem procedunt, superfluè securi, à collectis corripiuntur dispersi; & quibusdam fugientibus, plurimi remanserunt mortui vel captiui. Rex his auditis, Antiochiam properat: confortato populo, procuratur, vt Princeps pecuniâ redimatur: annuit Norandinus: veritus ne ab Imperatore Græcorum eius cognato, de gratia peteretur: suspicatus quoque ne Rex, loco illius, & alium Principem substitueret fortiorem. Saracunus interea ad *Calyphan Baldacensem* accedens, & longâ adoratione secundùm morem præmissâ, deinde osculatâ terrâ sub pedibus, salutauit eum, persuadens Ægyptios æmulos & inbelles, posse bello superari, si copiâ militum haberetur. Calypha, Baronibus mandat, vt illi obtemperent: & transeunt per desertum, vndè ad Terram Promissionis transierunt filii Israel. Ad perturbandum verò exercitum Rex processit vsque ad *Cadesbarne*, & nihil reperiens rediit: post ea intrauit desertum inter Gazam & Ægyptum, indeque vsque ad *Belbeis* processit: ei verò de thesauris Calyphæ copiosè mittitur. Indè Pelusium transit; & vsque ad ripam fluminis peruenit. Saracunus verò ad flumen perueniens, vltra pertransiit; & vsque ad ripam fluminis peruenit: Christiani tamen reliquias inuaserunt. Captiui autem recitabant quòd cùm Syriam Sobal pertransissent, & desertum intrassent, ortâ tempestate Sabulum sic volitabat per aërem, vt obtutum eis adimeret: nec poterant violentiâ venti, in equis consistere: venientes quoque Sabuli vndæ, quasi maris, homines & animalia multa submerserunt. Cernens autem *Sauargitus*, quia Saracunum, postquam Ægyptum intrauerat, breui tempore non posset expellere, procurauit Regem diutius manere, datis tunc c.c. millibus Bizantiorum, totidemque promissis. Iurat Rex ferre opem, donec Saracunus, aut superatus, aut pulsus fuerit, A. Dni. 1163. XXI.

requirens à Calypha per nuntios simile iuramentum. Nuntios hos præcesserunt armati nudatis gladiis, duxeruntque per semitam in qua nihil cernere valebant: deindè ad lucem procedentes, turrim conspiciunt variis stratam marmoribus, opere depictam Mosayco; trabes & ligna auro cooperta erant: Ibi erant fontes per orificia aurea transeuntes, & congregabantur aquæ in loco marmoribus ædificato: aues diuersorum colorum aspiciunt, non sine grandi stupore: vbi nuntii altioribus ductoribus, & Admirato castri assignati sunt; conductique ad turrem ampliùs delitiosam, vbi infinita animalium genera conspiciunt: per multa deindè ostia transeuntes, & insolita mira aspicientes, ad excellentius palatium deducti sunt, vbi multos valdè aspiciunt in decore armorum: postea intrauerunt cameram, vbi erat cortina de Serico, in qua cuncti generis animalia elaborata erant. *Sauargitus* tunc tertiò, secundum morem suum adorauit, deindè ensem deposuit: tunc cortinâ cordulis tractâ, liberum Calyphæ concessit aspectum. Sedebat autem in throno aureo ac gemmeo, miri artificii: aderant autem ei consiliarii Eunuchi. Accedens verò Sauargitus, post osculum pedum, in terra consedit; & periculum Ægypti, Regisque narrauit auxilium; petiturque vt pacta confirmet, iuramento ex parte Regis: Et licet collaterales tali requisitione indignati sint, necessitate vrgente, Calypha pacta iurat, & nuntios honorat muneribus; quibus peractis, rediêre ad Regem: variis deindè mediis, venitur ad pugnam. Habebat Siracunus XII. millia equitum electorum, & decem mille Beduinos cum lanceis: Rex verò CCCLXXIV. habebat milites; Turchi, qui secum erant, impedimentum potius quàm auxilium exhibebant. Et post varios insultus, periêre ex Christianis militibus, centum: ex parte verò Syracusi MDC. Syracunus verò Alexandriam pergens, simulansque victoriam, ciuitatem per deditionem accepit. Cùm verò Rex ciuitatem obsideret, Siracunus, nepotem *Saladinum* cum mille militibus dimittens, propter victualium inopiam discessit. Sed & hunc repulit Rex, Soldanum Ægyptii in suo regno stabiliens, M.CLXVII. rediitque in regnum Ierusalem.

A.Dni. 1167.

CAP. XXII.

Continet obsidionem Cayri, & etiam Damiatæ.

XXII. POst hæc Rex *Almaricus* ad Imperatorem Constantinopolim, se incitantem, vt bellum Ægyptiis communiter inferant, nuntios transmittit, qui Imperatori redeunti de *Seruia*, inter Vngariam & Dalmatiam sita, obuiauerunt: terra certè nemorosa ac mentuosa, ad quam rebelles Imperii in exilium mittebantur, propter quod *Seruia*, à seruitute vocitata est. Firmatis autem conuentionibus, nuntii rediêre. Interim verò Rex, parato exercitu, cœpit *Belbeis*, nulli parcens sexui vel ætati: filium tantùm & nepotem retinuit Sauargitti Soldani. Soldanus verò, excogitato consilio, nititur vel Regem datâ pecuniâ ad reditum declinare, vel contra eum Norandini implorare auxilium. Sed requisitus Norandinus, continuò Syracunum transmittit. Rex verò versus *Cayrum* progreditur, & machinis cæterisque bellicis instrumentis ciuitatem oppugnat: ciues verò, in huiusmodi insueti, terrore concussi sunt. Tunc Soldanus pro amotione obsidionis, & recuperatione filii & neptis, CCCC. millia promittit Bizantiorum. Interim Rex nauigium, per vnum Nili ramum ad ciuitatem *Tamnis* nauigare iusserat; & captâ ciuitate, versus Regem ascendebat. Tunc verò insonuit Syracunum ad Ægyptiorum festinare auxilium, cum multitudine pugnatorum. Instigatione autem malitiosi hominis *Milonis de Planci*, fouentis auaritiam in corde domini sui, receptis centum millibus Bizantiorum, & pro refidiis, obsidibus habitis, Rex Ptolomaydam rediit. Siracunus autem per desertum transiens prope *Cayram* castrametatus est. Hanc ciuitatem ædificatam aiunt post tempora Mahumeti, per annos CCCLXI. *Sauargitus* verò hunc quotidiè visitat: & cum fecunditatem concepit, equo deiici ac trucidari iussus est. *Syracunus* postea omnia occupat, & concessione Calyphæ Soldanus Ægypti efficitur: post modicum verò tempus mortuus, *Saladino*, nepoti ex fratre Nemegedino, regnum reliquit. *Emanuel* verò Imperator, Regi centum galeas armatas transmittit, & alia nauigia

multa

multi[illegible]tur collecto exercitu de Ptolomayda recessit M.CLXIX. A. Dni. 1169.
& *Darum* munitissimam ciuitatem obsedit, quæ quondam dicebatur *Memphis*: xv. leucis distans a Tamnis: quæ antè munitissima ciuitas fuit; nunc destructa: ibi Moyses & Aaron & filii Israel commorati sunt, & est terra Iessen: est quoque ad duas leucas mari propinqua: habens ex parte Occidentali flumen Nili: muris circundata duplicibus. Est quoque antè Damiatam in flumine fortissima turris erecta: ad cuius pedem, duæ fortissimæ catenæ fixæ sunt, quæ vsque ad turrim aliam protenduntur, quæ in ciuitate est, ne introitus vel exitus pateat nauigantibus, nisi de Soldani licentia. Hæc ciuitas totius Ægypti clauis & caput est. In viridariis itaque ciuitatis castrametati, tribus diebus nihil egerunt. Interim illi, licet priùs territi, se munierunt: receperuntque per nauigia, pugnatorum & victualium copiam. Post longam verò obsidionem, fame & frigore intolerabili, & immoderatâ pluuiarum inundantiâ, Rex repulsus ab obsidione recessit, cum maximo exercitus sui damno; venitque Ascalonam, in vigilia Sancti Thomæ; indeque Ptolomaydam, in vigilia Natiuitatis Domini. Sequenti æstate fuit maximus *terræmotus*, de mense Iunii, subuertens ciuitates & castra: & maximè in Celesiria. In Antiochia enim, Ecclesiæ & loca plurima ruunt: similiter in Alapia, Cæsarea, Haman; & in maritima Biblium, & Licia destruuntur. In vigilia quoque Apostolorum Petri & Pauli, hora primæ, Tripolis penè totaliter ruit. Durauit autem terræmotus iste, quasi per menses quatuor, reiteratus inter diem & noctem, vt in pluribus tet vel quater.

CAP. XXIII.

Continet Almarici Regis feruorem pro regni tutela, ac mortem: & qualiter Arsasidæ conuerti voluerunt ad fidem CHRISTI.

SEquenti Decembri insonuêre rumores, quia *Saladinus*, magno de Ægypto & Damasco collecto exercitu, venit contra Ierusalem: & obsedit primò *Darum*, & iam partem murorum machinis obruerat: Rex de periculo certus, cum paucis acies Turchorum pertransiens, castrum conseruauit. Tunc Saladinus *Gazam* obsedit; & effracto muro, multi intrauêre Turchorum, non sine magna eorum cæde: sed tandem, qui extra fortilitium erant, cuncti perimuntur; & paruuli eliduntur ad rupem; qui verò in turri erant, viriliter restiterunt. Sequenti anno, Rex *Almaricus*, considerans Turchorum periculum: maximè quia magni Barones mortui erant, & eorum hæredes erant iuuenes & leues moribus; diuitiis abutentes, & solas corporis delectationes quærentes; prælatis Baronibusq; exponit debilem regni statum. Cuncti autem responderunt vnâ voce, dicentes, quia propter peccata sua, aduersariis suis non possent resistere: & tandem consulunt, vt Papæ & Regibus Occidentalibus periculum exponatur per nuntios facundos & solemnes: Interim verò ab Imperatore Constantinopolitano, qui vicinus erat, subitus impetretur succursus. Sed cum negotium protraheretur in longum, Rex ait illis: *Status regni periculosus est, & in mittendis nuntiis non contentitis: nunc verò dubito indignationem incurrere Cælestis Regis, si opus eius fecero negligenter: & ideò offero me ad eundum vsque ad Constantinopolitanum Imperatorem, sperans eius animum ad nostrum inclinare votum. Ecce ego: mittatis me.* Omnes verò hæc in consilio audientes, stupefacti fuderunt lachrymas: & cum nonnulli regni periculum allegarent ex Regis absentia, Ille respondit: *quia Dominus IESVS interim suum conseruaret regnum: ipse verò quasi procurator ipsius, pro necessariis remediis debebat esse sollicitus*: & præparato nauigio profectus est. Imperator verò opportunum promisit auxilium, & tantis muneribus honorauit Regem & Barones, qui cum eo erant, vt cuncti stuperent: reuertentem quoque Regem, cuncti læti susciperunt. Post hæc *Saladinus*, Ægyptiorum congregato exercitu, per desertum & planum Idumeæ, intrauit semel & iterum Syriam Sobal. Rex verò in Carmelo, vbi habitabat Nabal, castra ponit, expectans ad quam partem Saladinus diuerteret. Interim *Petrus de montibus*, prudens & facundus, studere cœpit in sacris Euangelis & epistolis Pauli: ibique percipiens puræ veritatis doctrinam, & fidei pietatem, horrere cœpit seductiones impii Mahumeti: & paucis primò conceptum mentis aperuit, & ad suum faciliter

trexit propositum. Populo deindè, Mahumeth mendacia & seductiones exposuit, & legem eius seruari prohibuit: datis eis vinum ad bibendum, & ad comedendum carnes suillas, & mandans Christianos in suo regno esse liberos & securos: misitq; Regi, quia baptismum vellet recipere, & fidem CHRISTI, cum suo populo vniuerso: inter cætera petens absolui à debito annuo duorum millium Bizantiorum, quod expacto, occasione quarundam possessionum, Templariis persoluebat: paratosq; se promittebant ad fidem CHRISTI pro viribus defensandam. Rex festiuè nuntios recepit, fitque Christianis ingens gaudium; & honorati muneribus redibant ad propria. Sed cùm Tripolim pertransissent, iam propinqui patriæ, aliqui ex Templariis, ad grande totius Ecclesiæ & maximè Orientalium fidelium detrimentum, illos per insidias trucidarunt: super quo Rex tantùm indoluit, vt amens quasi fieri videretur; & captos actores sceleris, carceri mancipauit: Intendebatque nisi morte præoccupatus fuisset, cunctis fidelibus intimare, quantum detrimentum Templarii intulerint Ecclesiæ Sanctæ DEI. *Norandinus* postquam XXIX. annis regnauit, moritur. *Almaricus* quoque, M. CLXXIV. dysenteriâ infirmatus, contra Medicorum consilium potionem sumens, nimiâ debilitate mortuus est.

A. Dni. 1174.

CAP. XXIV.

Continet gesta Balduini, sexti Regis Ierusalem: mortem quoq; Balduini paruuli, septimi Regis inuicti: & occasionem dissensionis in regno, propter creationem Guidonis Regis octaui.

XXIV. ALmarico successit BALDVINVS filius, ex *Agnete* filia Iocellini secundi: qui, licet permittente DEO, leprosus effectus, regnum tamen strenuè rexit. Anno siquidem eius tertio, cum CCCLXXV. militibus, circa partes Alcalonæ occurrens Saladino, eum cum XXVI. millibus equitum superauit. *Saladinus* quoq;, cum parte exercitus in fugam conuersus est, aliis trucidatis, aliis vinculis carceribusq; inclusis: ex Christianis verò, quatuor aut quinque occubuisse dicuntur. In alio autem prælio, circa Tyberiadem, cum septingentis equitibus occurrens Soldano, qui XX. milia equitũ dicebatur habere, factus superior, mille hostiũ interemit, M. CLXXVII. de Christianis verò pauciſſimi ceciderunt: secum enim habebat victoriale Crucis vexillum. Sed, M. CLXXIX. vexillo Crucis carens, ab illo superatus est: illud enim dimiserat in Tyberiade. M. CLXXX. *Patriarcha Almericus* moritur, cuius simplicitas modicum Ecclesiæ profuit: cui succeſſit *Eraclius*, tam pernicioſi exempli, vt procedentem ornatiſſimam mulierem, quam publicè tenebat, vulgus *Patriarchiſſam* vocaret. In eius electione, publicè dictum fuit, sub Heraclio amittendam esse Crucem, sicut sub Heraclio Imperatore recuperata fuerat, quod & accidit: *infrà part. IX. cap. 10.* Cùm verò Rex, propter prædictam ægritudinem, vxorem ducere noluisset, duas sorores quas habebat, *Sybillam* maiorem, & *Ysabellam*, nuptui tradidit: primam *Guillelmo de Longaſpata*; secundam domino *Enfrido de Toron*. Mortuo autem prædicto Guillelmo, ac relicto paruulo filio *Balduino*, Rex Sybillam tradidit cuidam adoleſcenti de Pictauiensi comitatu, *Guidoni* scilicet, *de Lesinio*: cui etiam, quia infirmitate nimium grauaretur, totius regni administrationem commisit; quâ, cùm incurriſſet Regis indignationem, priuatur: conuocatisq; regni maioribus, paruulum BALDVINVM nepotem suum, Rex fecit inungi, M. CLXXXI. & tam puerum, quàm regni negotia, Tripolitani Comitis commisit prouidentiæ, & tutelæ. Mortuo autem Balduino leproſo M. CLXXXV. Balduino etiam nepote defuncto, M. CLXXXVI. Sybillâ, ad quam regnum iure hereditario pertinebat procurante, GVIDO prætatus, in Regem tunc sublimatus est, Tripolitani comitis irrequisito assensu, qui vniuersi regni gubernator erat: propter quod indignatus est nimis, præsertim cùm aspiraret ad regnum: & absque Regis consensu, contra quem iam rancore & inimicitias conceperat, non sine regni periculo, cum Soldano treugas iniit. Et vt maiorem in regno & contra Regem haberet potentiam, cum domina Tyberiadis & totius Galileæ, matrimonium contraxit: vnde facta est in regno periculoſa valdè & pernicioſa dissensio, dum adhærent Comiti nonnulli, alii verò Regi.

A. Dni. 1177. A. Dni. 1179. A. Dni. 1180. A. Dni. 1181. A. Dni. 1185. A. Dni. 1186.

SEPTI-

SEPTIMA PARS, CONTINET FLORIDVM STATVM TERRÆ PROMISSIONIS TEMPORE LATINORUM Regum: habens capit. III.

CAP. I.

Continet quomodo Terra Promissionis floruit in Principibus, ac Baronibus. Rubrica.

HIEROSOLYMITANORVM Regũ explicitâ gloriâ, de *regni Baronibus* prosequamur. Pro ipsius enim regni tutela, inter Principes & Barones, vt assolet, est diuisum, qui terram sub Rege custodirent ac defenderent, retentâ Regi parte digniori ac meliori: ciuitate scilicet sacrâ, *Ierusalem, Neapali, Ptolomayda,* & *Tyro,* cum quibusdam oppidis & casalibus. Habet autem hæc pars initium à riuo, qui fluit inter Biblium & Beritum; finem verò, in solitudine quæ est vltra Darum. Homines autem *Legij* regni, fidelitate & sacramento, cum certo militum numero, Regio seruitio obligati fuerunt: comes videlicet *Tripolitanus:* dominus *Beriti:* dominus *Sydonis:* dominus *Cayphæ:* dominus *Cæsareæ:* princeps *Galileæ,* qui & dominus Tyberiadis: comes *Iopen* & *Ascalonæ:* dominus *Montis Regalis,* & totius terræ trans Iordanem: dominus *Arsur:* & dominus *Ibelyn,* cum quibusdam aliis: sed hii, aliis præminebant. Distinguitur autem regnum principaliter in quatuor Comitatus, seu Principatus: quorum primus est *Ediſſanus* comitatus, in regione Medorum, à sylua quadam, quæ dicitur Marith, habens initium; & protenditur trans fluuium Eufraten versus partes Orientales, multas in se continens ciuitates, plurimas munitiones & castra. Est autem Ediſſena ciuitas nobilis, Medorum metropolis, priùs in Tobia dicta *Rages,* nunc autem vulgariter dicitur *Roaſe:* ad hanc Tobias de Niniue, quæ vulgariter dicitur *Moſſe,* misit filium ad Gabelum. Dicunt etiam nonnulli eam fuisse Arxath, vbi regnauit Nemroth, sicut in Babylone, Archad, & Calane, in terra Sennaar. *Gen. 10.* In hac ciuitate regnabat *Abagarus,* qui & Domino IESV litteras destinauit, quas CHRISTVS recepit cùm abiit trans Iordanem, quando tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum: *Ioh. 10.* Illas autem litteras Eusebius, lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ, dicit se reperisse in Archiuis Ediſſæ. In litteris autem sententialiter continetur, quomodo Abagarus, audiens CHRISTVM sine medicinis, curare solo verbo infirmos: credit aut esse DEVM, qui de cœlo descenderit; aut esse Filium DEI: vnde rogat CHRISTVM ad se venire, vt recipiat sanitatem; & offert ei ciuitatem suam, vt declinet Iudæorum insidias, sitq; vtriq; communis. Sententialiter respondet CHRISTVS: *Beatus, qui credidisti, cùm me ipsè non videris, ad te non veniam, quia oportet me implere omnia propter quæ missus sum: cùm verò assumptus fuero mittam tibi vnum ex discipulis meis, qui sanitatem tibi restituat, & vitam tibi & his, qui tecum sunt præstet, & vt nullus aduersariorum vos vnquam superare possit.* Misit autem Dominus ad Abagarum, *Tadeum,* à quo reuerenter susceptus est: Apostolus autem, faciem eius cum accepta Epistola Saluatoris eõfricans, sanitati restituit. In gestis quoq; beati Thomæ legitur, quòd litteram manu Saluatoris scriptam legit infans baptizatus, stans super portam ciuitatis, si quando gens aliqua venerit contra ciuitatem, & eadem die aut pacatur aut fugit. Ibi corpus glorioſi Apostoli Tadei, qui eam ad fidem conuertit, dicitur esse sepultum. Est autem illa prouincia à syluis, & pascuis, & fluuiis opulentissima. Dicitur autem regio illa *Mesopotamia,* eò quòd duobus fluminibus ambiatur, & in eorum medio sita sit. *Meſos* enim Græcè, dicitur medium; *potamos,* fluuius. In ea est Charan, vnde egressus est Abraham; & Caldea: insula Eufratis in qua est Babylonia. Est etiam in Mesopotamia Niniue, Meda & Persia. Habet autem Mesopotamia ab Oriente, Tygrim; à Meridie, sinum Persicum; ab Occasu, est sinus Arabicus, & Eufrates; à Septentrione Armenia, montes Taurinus & Caucasus. Sunt quoque in prædicto comitatu Ediſſeno tres Archiepiscopi, videlicet, Ediſſenus, Ieropolitanus, Boricienſis, sub Antiocheno Patriarchâ constituti. Secundus Principatus est *Antiochenus:* cuius Metropolis, Antiochia priùs dicta Reblata, *(in fine Regum:)*

1.

10 20 30 40 50 *Tob. 4, 21.*

postea Antiochia, ab Antiocho, qui eam multùm ampliauit. In ea *Petrus*, vertex Apostolorum, primus pontifex sedit: cuius prædicatione & miraculis ad DEVM conuersa est. Post quem nobilis & potentissimus vir *Theophilus* septimus sedit, cui Lucas Euangelista indigena, & Euangelium & Actus Apostolorum scribit. Hic Theophilus ciuitati nomen suum dedit, vt sicut priùs à prophano Rege Antiochia, sic à sancto præside *Theophilis* vocaretur. Ibi fideles primò *Christiani* vocati sunt, à CHRISTO; qui priùs *Galilæi*, & *Discipuli* vocabantur. Post Romanam autem Ecclesiam, obtinet tertium dignitatis gradum. Habet autem sub se XX. prouincias Antiochenus Patriarcha: & in XIV. earum, Metropolitanos, & centum suffraganeos Episcopos: sex verò reliquæ, sub duobus primatibus sunt, quos *Catholicos* vocant, quorum alter Tripolitanus est, id est, Baldacensis, quæ quondam dicta est Babylonia, alter Annensis, primas Persidis. Est autem Antiochia sita in prouincia, quæ Celesiria dicitur inter montes & flumina, situm habens commodissimum, agros fertiles, & glebæ maximam vbertatem, & fluminum ac fontium singularem amenitatem; ex vicino lacu copiam piscium. Distat autem à mari XII. milliaribus, habens portum in faucibus fluminis, qui *portus Soldini*, & *Sancti Symeonis* dicitur. Habet quoq; à parte Septentrionis montem, qui vulgariter *Montagna nigra* dicitur: in quo multi sunt heremitæ ex omnigenere & natione; & plura monasteria monachorum, tam Græcorum quàm Latinorum. Est enim totus fontibus & riuulis irrigatus; ideò dicitur mons aquosus: *Neros* enim Græcè, aqua dicitur, licet rudes pro nigro accipiant. Tertius Principatus est, *Comitatus Tripolitanus*, initium habens à prædicto riuo, qui est sub castro Margath; finem verò, riuum alium fluentem inter Biblium & Beritum: & est terminus etiam Ieroſolymitani Principatus. Est autem sita supra littus maris, egregia & opulenta valdè, in prouincia Syriæ Phenicis; arboribus, agris fructiferis, & pascuis vberrima; fontibus & riuulis irrigua: ex montis Libani vicinitate, & eidem monti collibus adiacentibus multas habens commoditates: ad radices autem Libani in partibus illis oritur fons amenissimus, de quo *part. XIV. capit. II.* & inter aquas maris ebulliunt ex eo aquæ dulcissimæ. Quartus Principatus est *Ieroſolymitanus*, de quo supra dictum est. Seruiebant autem Regi, *Ieruſalem* de militibus XLI. & armigeris VC. *Baroniæ de Iopen*, *Aſcalona*, *Rama*, *Mirabel*, & *Thelyn*, de militibus centum. *Baronia Principatus Galileæ*, de militibus centum. *Dominium Montis Regalis*, de militibus LX. *Comitatus Iocellini*, de militibus XXIV. *Neapolis*, de militibus LXXXV. & armigeris CCC. *Ptolomayda*, de militibus LXXX. & armigeris quingentis. *Tyrus*, de militibus XXVIII. & armigeris centum. *Patriarcha*, de armigeris VC. *Capitulum Sepulchri*, de armigeris V. *Ioſaphat*, de armigeris CL. *Mons Syon*, de armigeris CL. *Templum Domini*, de armigeris CL. *Latina*, de armigeris L. *Episcopus Tabariæ*, de armigeris C. *Abbas montis Tabor*, de armigeris C. *Cæſarea*, de armigeris L. *Episcopus Bethlehem*, de armigeris CC. *Ybelyn & Mirabel*, de armigeris C. *Episcopus Sancti Georgij*, de armigeris CC. *Arſur*, de armigeris L. *Episcopus Sabadoit*, de armigeris C. *Episcopus Ptolomenſis*, de armigeris CL. *Episcopus Sancti Abraham*, de armigeris L. *Archiepiſcopus Tyri*, de armigeris CL. *Archiepiſcopus Nazareth*, de armigeris L. *Episcopus Sydonis*, de armigeris L. *Archiepiſcopus Cæſareæ*, de armigeris L. *Aſcalona*, de armigeris C. *Leluan*, de armigeris C. *Leyrim*, de armigeris XXV. *Cayphas*, de armigeris L. *Tabaria*, de armigeris CC. Summa, Milites DXVIII. *Armigeri*, IV. millia, DCCLXXV. Cur verò ad regni tutelã Barones tam temuè inseruirent, posset aliquis rationabiliter admirari. Sed quia Reges exigunt iura regni sine defectu, imò potiùs cum augmento, cautum fuit, vt Barones Regi ad ralia se submitterent, vt requirenti Regi in necessitatis articulo, in pluri possent succurrere. Ducebant præterea Barones gratis, vltra ea quæ taxata præmisimus, quando cum Rege procedebant ad bella, decentem, iuxta possibilitatem ac statum suum, armatorum militum comitiuam. Ex quo aduertere possumus, ad quantum dispendium Terræ Sanctæ *mulieres*, quæ matrimonio copulari renuunt, in Baroniis succedere passæ sunt: Nam & si coacta, vellent nollent, seruitia exhiberent, tùm quæ supererogationis erant, & interdum fortè vtiliora, penitus omittebant. *Deberent etiam in terra hostibus circũdata, cuncta esse virilia, & virtuosa.* cùm verò femina dominatur, tota Curia quasi effeminata efficitur, sicut ait quidam Poëtarum: ——*componitur orbis*

Regis

Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edita valent, quàm vita regentis. Et hæc quidē vera esse, per ea quæ frequenter accidunt, tam in regno Cypri, quàm in Amoreæ Principatu, manifesto edocemur exemplo.

CAP. II.

Continet quomodo Terra Sancta promissionis floruit in Clericis & Prælatis: & descriptionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

SIcut enim Terra illa Sancta per Reges & Principes & Barones mirabiliter floruit in victoriarum triumphis, sic egregiè splenduit in ordinatione sacerdotii, Cleri- 11.
que dispositione incomparabili. Primò quidem spiritualis cunctorum pater & Præsul patriæ erat *Patriarcha* Ciuitatis Sanctæ Ierusalem. In ea enim, post Iacobum perticâ fullonis percussum, vsq; ad tempora Iustiniani Augusti, *simplices* præfuêre *Episcopi*, altioris dignitatis prærogatiuâ nullâ fulgentes. Procurante enim eodem Augusto facta est Patriarchalis sedes, tam Antiochenæ Ecclesiæ quàm Alexandrinæ suffraganeis quibusdam subtractis, istiq; concessis, cùm in illarum esset medio constituta: & post Romanam Ecclesiam obtinuit locum quartum. Est autem *Ciuitas Ierusalem*, secundùm omnes eius partes, in monte & eminenti loco sita, in Palestina, gloriosa Iudeæ Metropolis, lacte & melle manans, frumento vino & oleo abundās, cunctisq; temporalib. bonis: fluminibus autem prorsus caret: fontes non habet, excepto fonte *Syloe* sub monte Syon per medium vallis Iosaphat fluente: vt figura ostendit: vbi Isayas sepultus est, in memoriā miraculi, quod Dominus fecit ad preces eius: cùm enim aquæ illæ communes essent ciuibus & hostibus, cuntes ciues aquas inueniebant; hostes verò nequaquā. Vndè & ex tunc illæ aquę non fluunt cōtinuè, sed interpolatè: quandoq; n. copiosas, quandoq; tenues, quandoq; nullas reperiunt aquas. Sunt autē tā in vrbe quā extra, cisternæ multæ ex pluuialibus aquis, ad hominū & animaliū necessitates varias sufficientes. Muro quoq; valido vndiq; cingitur: nec nimiâ paruitate angusta; nec fastidiosâ quantitate superflua. Habet autē à parte Occidentali munitionem ex lapidibus quadris, cemēto, & plumbo fusili, quasi indissolubiliter coniunctis, quæ ex vno latere pro muro est Ciuitatis: & *turris Dauid* appellatur: montem autem *Syon* habet à Meridie: vt figura docet. Ibi est *mons Caluariæ* vbi crucifixus est Dominus. Ibi propè est *locus Sepulchri*, quod erat Ioseph ab Arimathia, & cùm innotuisset Virgini matri quæ dilecto Regi in cruce mortuo astabat, quòd illius esset sepulchrum, vt *Georgius* Archiepiscopus recitat in sermone; ad eum accessit, suasitq; vt omnium vitam suo seruaret sepulchro; & sic loquebatur: *Ecce corpus Domini IESV pendet super Crucem, terribile mihi visui & omni creaturæ: nullus audet petere Sanctum illius corpus, neque aliquis curat de eo sepeliendo, & per me fieri est impossibile. Tu ergò collige mundi thesaurum: ingredere ad Pylatum, & postula corpus eius.* Ille verò iussa perfecit. Erat enim vir bonus & iustus, & discipulus IESV, occultus tamen propter metum Iudeorum. Venit quoque ad Domini sepultu-
ram & *Nicodemus*, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum: & ligauerunt corpus IESV linteis cum aromatibus. Hic, lector, parumper considera quàm diligenter cum sua comitiua Ioseph, de licentia Pilati, expeditè vult Dominum sepelire, propter Sabbathum imminens: appropinquabat enim soljs occasus è regione. Considera Virginem Matrem corpus filii dulciter amplexantem; vulnera illa sacra, maternâ affectione lachymosis osculis demulcere; & corpus diripientibus dicere: *O propietate vos rogo, adhuc vel modicum mihi eum dimittite; vel matrem cum filio sepelite.* Allegantibus quoque quia transiret hora propter Sabbathum, in quo tale quod, secundùm legem, fieri non licebat prudentissimè respondere: quia *propter Sabbathū, Dominum non debere dimitti; & quia cum CHRISTO manere, legem non sit soluere, sed adimplere.* Pascha n. abisto defuncto non cōtaminatur: sed renouatur, nec polluit mortuus iste mundos; quin potius suscitat mortuos, & purgat immundos. Tandem posuerunt eum in monumento nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat: ne videlicet post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse aliud fingeretur. In eo quoq; loco, nocte Dominicæ resurrectionis, ignis sacer ab alto descendere dicitur. Et cùm vbiq; locorum deuotè à fidelibus dicatur: *Surrexit Dominus de sepulchro; qui pro nobis pependit in ligno*: deuotius ibi à canonicis, loco demonstrato, cōcinitur. *Surrexit Dominus de hoc sepulchro.* &c. Et in Euangelio Paschali conformiter

Diaconus pronuntians: *Surrexit, non est hic*: digito demonstrat Dominicam Sepulturam. Forma autem Sepulchi à Beda describitur; quòd sit figurâ rotundum, de subiacente rupe excisum; tantæ altitudinis, vt intus consistens homo, vix manu extentâ culmẽ possit attingere: habens introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus impositus est: in cuius monumenti parte Aquilonari, Sepulchrum ipsum, id est, locus Dominici corporis, de eadem petra factum est, septem pedes habens longitudinis, tribus verò palmis cætero pauimento eminens altiùs. Qui locus non desuper, sed à latere Meridiano totus patulus est, vndè corpus inferebatur: color eiusdem monumenti, rubicundo ac albo dicitur esse permixtus. De hoc Sepulchro & aliis locis ciuitatis Sanctæ Ierusalem, vide *part. XIIII. capit. VIII.* Huius itaq; ciuitatis Sanctæ Ierusalem, Patriacha quatuor habet *Metropolitanos*: quorum primus est *Tyrenensis*, continens sub se suffraganeos Episcopos quatuor, scilicet, Aconensem, Sydonensem, Bitensem, Paneadensem. Secundus autem Archiepiscopus *Cæsariensis*, vnum solum habens suffraganeum, Episcopum Sebastensem: Caypha quoq; sub Cæsariensi continetur dioces: episcopo enim caret. Tertius Metropolitanus, est *Nazarenus*, vnum solum habens suffraganeum, episcopum videlicet Tyberiadensem. Nazareth verò paruula est Ciuitas, sed magnificata à Domino: quæ iuxta montes sita est, in introitu Galileæ ex parte Occidentali. Inter ipsam autem, & Sephorum, perspicuæ emanant aquæ, vbi Reges Israël propter herbarum commoditates consueuerunt exercitus congregare. Ad hanc ciuitatem secreti diuini conscius Gabriel, de cœlo descendit: Virgini nuntiauit de Sancto fore Spiritu fœcundandam, exemplo instruens fœcunditatẽ sterilis & antiquæ. Hæc est illa amabilis ciuitas Nazareth, quæ *florida* interpretatur: in qua flos campi oritur, dum in Virgine Verbum caro efficitur. Campus enim ex se ipso naturaliter producit florem, absq; hominis vllo opere vel labore. Virgo enim campus est nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus: ornatus tamen illo nobili
Isa. 11, 1. flore, super quem constat spiritum Domini quieuisse. *Ascendet*, inquit Isayas, *flos de radice Iesse, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Inuentus quoq; in templo duodennis puer, cũ parentibus descendit Nazaret: & erat subditus illis, cui dedit omnia Pater in manus: ita vt de fonte Sephoritano dilectæ matri portaret aquã, fons autem in fine ciuitatis est: & ibi ædificata est Ecclesia ad honorem Archangeli Gabrielis. Ibi dicitur puer IESVS semel, vase fictili fracto, aquam portasse in gremio matri suæ. Sed quantum putas beatissima ista mater tali filio moderabatur imperium? Vtrobique tamen cerne miraculum: quod enim Deus feminæ obtemperet, humilitas sine exemplo; & quod femina Deo principetur, dignitas sine socio. Ibi quoque prædi-
Luc. 4. 24. caturus, declinans ait: *Nemo propheta acceptus in patria sua.* nec fecit virtutes multas, propter incredulitatem eorum: Vndè & adduxerunt eum ad supercilium montis vt præcipitarent eum. In monte erat ciuitas ædificata, cacumen verò montis, ciuitati eminebat, vbi adhuc locus ostenditur, qui *saltus Domini* dicitur: per quem Dominus descendens impressit se rupi; rupes verò ei cedens locum fecit quasi latibulũ, vbi adhuc vestigia rugarum calciamentorum eius olim impressa notatur: de hoc *part. XIIII. cap. VII.* Quartus *Patracensis*, vnum habens suffraganeum Episcopum Græcum in monte Sinai, in Ecclesia pretiosæ virginis Katherinæ monachis præsidentem. Distat autem mons Sinay à Ierusalem XII. dietis; à Damiata VIII. Est autem Petra iuxta vrbem antiquissimam quæ dicitur Rabath, ante quam ciuitatem Vrias occubuit, procurante Dauid. Habet postea Ierosolymitanus Patriarcha quosdam Episcopos suffraganeos sibi nullo mediante subiectos: scilicet, *Bethlehemitanum*; fuit autem Ecclesia Bethlehemitica prioratus Canonicorum regularium, vsque ad tẽpora Balduini primi Regis Ierusalem: Rex autem propter loci dignitatem, ac reuerentiam sacratissimæ Natiuitatis Dominicæ, eam Episcopalis Cathedræ decorauit honore, auctoritate Paschalis Papæ qui ei & Ascalonem subiecit. Habet etiam *Ebronensem* Ecclesiam: quæ similiter prioratus fuit; & propter loci dignitatem in Episcopatum translata est. Ebron enim aliquando Philistinorum metropolis, fuit, habitatio gigantium: cui nomen fuit antiquitus *Cariatharbe* (*Iud. I.*) quod Saracenicè sonat, *Ciuitas quatuor*: eò quòd quatuor ibi Patres sepulti sunt, Adam, Abraham, Isaac & Iacob; & eorum vxores, Eua, Sara, Rebecca, Lya. De limo quoque vbi ædificata est Ebron, Adæ corpus formatum est. Ibi ager est cuius gleba rubea, quæ

ab in-

ab incolis editur, & per Ægyptum venalis portatur, ac pro specie carissimè emitur. Prædictus ager in quantum latè & profundè foditur, in tantum, DEI dispensatione, finito anno integer reperitur. Iuxta Ebron, est *Vallis lachrymarum*, vbi Adam & Eua centum annis luxerunt mortem Abel: post quos apparuit Adæ Angelus, sit *Strabus*, absolutens eum à vinculo quo se ligauerat, non cognoscituus amplius coniugem Euam: nuntiansq; pro iusto Abel nasciturum Seth, qui *resurrectio* interpretatur, de quo CHRISTVS nasceretur. Mandauit proindè filio pater, ne semen suũ cum semine Cain aliquando iungeret: quod vsq; in generationem septimam, secundùm *Iosephum*, seruatum est. Deniq; videntes *filij Dei*, id est, Seth *filias hominum*, id est eorũ qui descenderant de Cain, quòd essent pulchræ, victi concupiscentia eas vxores duxerunt: natiq; sunt indè Gigantes. Effrenatà quoq; concupiscentiâ, multiplicata sunt peccata carnalia, vt ait *Methodius* martyr, per varios fœditatis gradus, propter quod diluuium induxit DEVS. Post diluuium autem in Tampni inuenti sunt gigantes à qua Tiranes dicti sunt, de quorũ stirpe fuit Enachym: vndè Num. XIII. exploratores dixerunt: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere gigantео, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Ios. quoq; XI. dicitur, quia *venit Iosue, & interfecit Enachim de montanis Ebron, nec vllum reliquit de stirpe Enachim in terra filiorum Israël.* Habet & Patriarcha sub se Abbates & Priores sibi subiectos: pontificalibus ex priuilegio vtentes: baculo scilicet, mitrâ, anulo & sandaliis: qui eidem reuerenter assistunt. Habetq; Patriarchalis Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri, sub monte Caluariæ, Canonicos regulares, secundùm regulam Augustini. Hiis *Prior* præsidet, cui cum prædictis Canonicis, Patriarchæ electio data est, qui vicem tenet Abbatis. Priori autem subsit Ciuitas Iopen & Neapolis, quæ propriis carent Episcopis, sicut & quædam aliæ Cathedrales Ecclesiæ: nè Episcopalis dignitas propter indigentiam, contemptui habeatur.

CAP. III.

Continet quomodo Sancta Terra Promissionis floruit in Religiosis pœnitentiam agentibus, & contemplatiuis.

POstquam terra illa prius inculta, facta est quasi hortus voluptatis, & quasi Paradisus Domini, multas religiosas personas ad se traxit, tam valido deuotionis excessu, vt merito dicerent: *in odorem vnguentorum tuorum.* In odorem prædicatæ mihi sapientiæ poterat currere etiam Regina Saba: In odorem datæ veniæ, etiam latro in cruce: In odorem austeræ pœnitentiæ, Maria Ægyptiaca: In odorem deuotionis mellifluæ, Eustochium & Paula. Sic multi, relictis omnibus, iugum suauc Domini eligentes, ad florida illa prata currebant; & odoratis cœlicis floribus, suauissimos fructus Spiritus degustabant. Sic cœpit Orientalis Ecclesia germinare, quasi vinea Domini, botros nouos: dum à diuersis mundi partibus, ex omni tribu, lingua, & nationẽ ad venerabilia & sacratissima loca, vbi stetерunt pedes Domini, concurrebant: reparabantur Ecclesiæ veteres, construebantur nouæ; ædificabantur monasteria, & habitacula pœnitentiæ apta: in locis variis, & diuersis, vnusquisq; secundùm deuotionis suæ propositum, opportunum & tutum illuc ibat refugiũ. Nonnulli enim, CHRISTI sequentes vestigia, *desertum* eligunt, vbi Dominus ieiunauit XL. diebus & XL. noctibus, ibiq; cum diro hoste cõflixit, quod dicitur *Quarentena*, secundo lapide dictans à Iericho, iuxta aquas sanatas ab Helyseo: illic paruulis constructis cellulis, CHRISTO Domino militabant. Nonnulli, Helyæ prouocati exemplo, in monte *Carmelo*, & maximè in parte illa quæ supereminet ciuitati Cayphæ, iuxta fontem qui dicitur *fons Helyæ*, non longè à monasterio beatæ Virginis Margaritha, solitariam vitam agebant, in aluearibus cellularum, tanquam apes, negotiosè in seruitio Domini mellificantes dulcedinem Spiritus. Quam plures verò in *solitudinibus Iordanis*, vbi fuerat Ioannes Baptista, in multa austeritate Domino seruiebant, etiam cõuentualiter sub Priore: quorum vnus sciscitatus *de locustis* quas Iohannes edebat, continuò respondit, sæpe in refectorio fratribus herbam apponi, quam Languſtã, id est, locustam nominabant, cuius circa monasteriũ magna cõpia habebatur: adiungens quòd illa esset, quâ Iohannes vtebatur ad esum: licet in plerisq; partibus Syriæ, aduenientẽ locustarũ multitudine, collectæ pro cibo seruentur.

III. Cant. 1. 3.

Alij autem in deserto illo quod adiacet Galileæ, in quo dominus frequenter turbis prædicauit, panibus hordeaceis paucisq; piscículis, hominum tot millia pauit: Alij in monte propinquo, in quo Dominus orauit separatus à turba: alij in monte Tabor, qui sublimis est, & arduus valdè. Fuerunt & alij, qui desiderio Terræ illius Sanctæ de suis regionibus exiêre; & illius amore detenti, nil vltra quęrentes, maluerunt inter hominum frequentiam commorari, & cum religionis non parua iactura, quã à Sanctarum ciuitatum Ierusalẽ, Bethlehem, Nazareth habitatione priuari: in quibus legitur & monstratur Dominus cõceptus, natus & passus. De ordinibus quoq; *Cisterciensium* & *Premõstratensium*, in locis idoneis monasteria constructa sunt. In Ecclesia quoque Domini, & montis Syon, & montis Oliueti, erant Abbates & Canonici secundùm *beati Augustini* regulam, Domino seruientes. In Ecclesiis verò de Latinis, & vallis Iosaphat, sunt Abbates & monachi, secundùm regulam *beati Benedicti*. In Bethania verò, quæ est castellũ Mariæ, Marthæ & Lazari, quæ stadiis quinque distat à Ierusalem, in decliuio montis eiusdem, est Abbatia Sancti Lazari, ordinis Sancti Benedicti. Est & alia *Bethania*, trans Iordanem, vbi erat Iohannes baptizans: licet Bethabola habeant quæcunq; exteriorum sunt, veriora, secundùm *Chrysostomum*. Eiusdem professionis Abbatia erat in Ecclesia Sanctæ Annæ in Ierusalem, propè portam quæ dicitur Iosaphat, iuxta probaticam piscinam, vbi gloriosa Virgo dicitur nata fuisse. *Nigrorum* etiam *monachorum* abbatia, erat in monte Tabor. Saracenis etiam totam terram occupantibus, antè tempora Gotifredi de Bullione, Surianis ibi sub oppressionis iugo manentibus, cõcessa est sub annuo tributo quarta pars Ciuitatis Ierusalem versus sepulchrum ad habitandum. Et cum ritum Græcorum in Diuino officio cuncti seruarent: quod Latini, deuotionis gratiã aut negotiationis aduenientes, molestè ferebant: a Principe Ægyptio, negotiator quidam de *Melphia ciuitate*, quæ propè Salernum sita est, muneribus placato, precibus multis obtinuit, vt in honorem beatæ Mariæ propè Ecclesiam Sepulchri Domini, quãtum est iactus lapidis, Ecclesiam Latinorum construeret: vndè vsq; hodiè dicitur *Sancta Maria de Latina*, Latinum habens Abbatem & monachos. Processu temporis, pro Peregrinis recipiendis mulieribus, aliud monasterium constructum est fœminarum, ad honorem Mariæ Magdalenę. Confluente deniq; tantã peregrinorum multitudine vt prædicta duo monasteria ad recipiendum non sufficerent, iuxta Ecclesiam suam prædictus Abbas & monachi, ad opus infirmorum & egenorum, Hospitale & capellam ad honorem *Sancti Iohannis Elaymon* construxerunt. Hic fuit vir Cyprius, & sanctitatis meritis exigentibus, ad Patriarcharum Alexandrinũ vocatus: & quia in eleemosynis multùm erat liberalis, cæterisq; operibus pietatis, *Elaymo*, id est misericors appellatus est: & quia Xenodochium redditus non habebat, de fragmentis & mensarum reliquiis viriusq; monasterii, & de quibusdam fideliũ eleemosynis, Abbas de Latinis prouideri faciebat pauperibus & infirmis. Conquisitâ verò terrâ per Gotifredum, vir quidã, *Geraldus* nomine, CHRISTO deuotus, qui in prædicto hospitali diu seruierat, de prædicti Abbatis mandato, adiunctis sibi quibusdam honestis viris, habitum regularem suscepit, & vestibus suis albam crucem affigens exteriùs in pectore, & regularia instituta, factâ solemni professione promisit: & fratres *Hospitalarij* dicti sunt. Hii diligenter seruiebat infirmis & deuotè dantes infirmis panem de simila; panem verò cum furfure ad vsus proprios retinebant. Præcedente quoque tempore latrunculi, aduenientes Peregrinos aut spoliabant si poterant; aut, quod est grauius, trucidabant. Quidam autem deuoti milites DEI, & fraternâ karitate commoti, in manu Patriarchæ voto sollemni se astrinxerunt ad vias Peregrinis assecurandas, militando summo Regi in obedientia, sine proprio, & in castitate. Huius propositi à principio nouem tantùm fuêre, nouemq; annis, in seculari habitu qualis sibi dabatur à fidelibus, pietatis intuitu suum officium exequẽtes. Rex verò nobilibus pauperibus iuxta templum habitare concessit: qui & à templo *Templarij* dicti sunt: & MCXXVIII. mandato Honorii Papæ, & Stephani Ierosolymitani Patriarchæ, institutа est eis regula, & albus habitus absq; cruce: tempore verò Eugenii Papæ, cruces rubeas vestimentis suis exteriùs consuerunt. Post hæc, cùm multi *Alamannorum* Terram Sanctam peregrinationis gratia visitarent, & linguam patriæ ignorarent, cuidam probo viro inspirauit DEVS, vt simul cum vxore ad recipiendum tales pauperes Xenodochium construeret, Ecclesiamq;, ad ho-

A. Dni. 1118.

norem

norem Virginis gloriosæ. Quidam autem, DEI amore, omnibus renuntiantes, se & sua prædicto Hospitali tradentes, ministerio pauperum se deputauerunt, deposito habitu seculari, crucesq; nigras albis chlamidibus apponentes. Hii ex primis duobus ordinibus aliqua sumpserunt: professionem & regulam, & institutiones militū Templi, tam in bello, quàm in pace prorsus obseruant; infirmos & peregrinos sicut fratres Hospitalis sollicitè & deuotè procurāt. Hii omnes talia habuēre initia, taliaq; studia sanctitatis: humiles erant in obsequiis paupetū; audaces in armis: Christianis benigni; terribiles Saracenis, pro fide proprium sanguinem fundere non timentes: propter quod in omnem terram exiuit sonus eorum; & quasi nouorum Machabeorum gesta linguæ fidelium personabant. Sed procedente tempore, de patrimonio Crucifixi impinguati sunt, incrassati, dilatati, diuitiis & delitiis affluentes, in quibus periit etiam Salomon. Multis quoq; & aliis regularibus viris, monachis, canonicis, anachoritis, sanctimonialibus, castis viduis, terra Sancta, quasi Paradysus deliciarū florebat. Sic certè ornata, sic decorata est quasi Regina à dextris Regis, in vestitu deaurato, circundata varietate, Ciuitas ciuitatū, vrbs Sācta Ierusalē, & Domina regnorum, ac Princeps prouinciarum, Terra Sancta Promissionis, Patriarcharum promissio, Prophetarum alumna, CHRISTI possessio, Apostolorum patria, hæreditas fidelium, hospitium Angelorum. Ad ipsam proindè meritò multi confluunt ex omni natione quæ sub cœlo est: ita vt meritò videatur completum quod concinit Isay. *Surge, illuminare Ierusalem*: quæ priùs subacta Agarenorum perfidæ nationi in tenebris iacebas mœroris: *(supra in fine partis II.) quia venit lumen tuum*: in Regibus: *& gloria Domini*: in Prælatis: *super te orta est: quia tenebræ*, confusionis & angustiæ, *operient terram*: id est, Saracenicam gentem terrenam: *& caligo populos*, infideles: *Super te autem orietur Dominus*: passagii mirabilis mittendo succursum: *(supra cap. II. & III.) Et gloria eius in te videbitur*, in continuis victoriarum triumphis. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti*: de quibus sequitur: *congregati sunt, venerunt tibi: filij tui*, Principes & Barones, *de longè venient*, ab Occidente, *& filiæ tuæ*, diuersæ Ecclesiæ, *de latere surgent*, Meridionali & Aquilonari, sicut cap. XII. dictum est. *Tunc videbis*, cognitionis certitudine, *& afflues*, bonorum multitudine: *& mirabitur & dilatabitur cor tuum*, delectationis magnitudine: *quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*: in Ianuensibus, Venetis & Pisanis: *fortitudo gentium venerit tibi*: Germanorum, Gallorum & Occidentaliū populorum. *Inundatio camelorum*, in prælatis anteriora flectentium genua ad onera commissi gregis fideliter subeunda, *operiet te*: quo enim humiliùs cunctis prælati seruiunt, eò rectiùs præsident vniuersis. *Dromedarij Madian & Effa*: religiosi certè, qui quasi Dromedarii ruminant quæ recipiunt de scripturis: & modico viliq; contenti cibo, ad prolixa itinera Cœlestis contemplationis expedienda celeriter, sunt cæteris aptiores. *Omnes de Saba*, id est, vniuersali Sancta Ecclesia ad DEVM conuersa: nā & Saba conuersio interpretatur: omnes inquam, *venient tibi*, vt fit distributio accōmoda pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Et quia florere Terrā Sanctam Promissionis diximus in Regibus, Prælatis & religiosis, benè sequitur: *aurum deferentes*, quantum ad Reges, Principes & Barones: *thus*, quantum ad Præsules cæterosq; Ecclesiæ ministrantes: *& laudem Domino annuntiantes*, quantum ad Religiosos & cœlestia contemplantes.

OCTAVA PARS, CONTINET CAVSAS DESOLATIONIS, ET AMISSIONIS TERRÆ SANCTÆ TEMPORE Saladini habens capitula sex.

CAP. I.

Continet Græcorum ritum, & Surianorum, in Terra Promissionis habitantium.

TERRAM Promissionis Constantinopolitano Imperatori subiectam fuisse annis non paucis, ac per hoc Græculis genubus ritibusq; institutam, & vrinam non potius deformatam, ex secunda huius tertii libri parte aperte colligitur. Fuit enim quasi altera Samaria, diuisa contra tribum Iuda, Romanam Ecclesiam; variis acta erroribus: quousque à

gentibus vndique desolatam esse conspicimus. Nonne damnata in *primo generali concilio Niceno*, hæresi Arrianâ, quâ CHRISTVS pura asserebatur creatura, *Macedonius*, Catholicis expulsis, imò potiùs necatis, apud Constantinopolim præsul effectus, à quo *Macedoniani* hæretici nominati sunt, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio dixit nihil habere commune? Constantius quoque Imperator erat nihilominus Arrianus. Sed tempore Catholici Gratiani, *secunda vniuersalis Synodus* congregatur Cõstantinopoli, quæ negantẽ Macedonium Spiritũ Sanctum DEVM esse condemnans, Spiritum Sanctum Patri & Filio consubstantialẽ docuit, dans Symboli formam, quæ tota Latinorum & Græcorum confessio ad Missam sollemnibus diebus decantet, vbi etiam additum est: *Cuius regni non erit finis*. Ibi etiam decretum est, vt Constantinopolitanus, tanquam nouæ Romæ Episcopus, post Romanum Episcopum habeat dignitatis priuilegium. Post hæc, *Nestorius* Constantinopolitanus Episcopus asseruit, CHRISTVM purum hominem non DEVM: contra quem congregatur, *tertia Synodus* Ephesina, iussu Cœlestini Papæ primi, & Theodosii iunioris Augusti: vbi condemnatus est Nestorius, duas asserens personas in CHRISTO, vnã CHRISTI hominis; alterã diuinitatis. Deindè in *quarta vniuersali Synodo* Calcedonensi, statutũ est, vt mater Domini Maria non solũ *Christotocos*, sed etiã *Theotocos* appelletur: contra eundem Nestorium, qui eam non DEVM, sed purum hominem asserebat genuisse. *Felix* quoque Papa tertius, condemnauit Achatium Constantinopolitanum Episcopum conuocato concilio, quia Petrum Alexandrinum reuocauit, propter hæresim condemnatum. Sed *Hormisda* Papa, Felici quarto loco succedens, Græcam reconciliauit Ecclesiam, quæ ex prædicta causa sub anathemate erat. *Nicolaus* etiam Papa. I. Imperatorem Constantinopolitanum excommunicat, quia Ignatium Patriarcham Catholicum summouit, alium subrogando. Adrianus quoq; secundus, ei succedens, id ipsum prosequutus, misit Constantinopolim Donatum Episcopum Ostiensem, & duos diaconos Romanæ Ecclesiæ, qui congregato concilio Ignatium restituentes, exortum schisma sedauerunt: ibiq; auctoritate Adriani statutum est, quòd electiones ac consecrationes Episcoporum à Clero tantùm fierent, nullusq; Princeps cuiuscunq; gradus, huiusmodi se immisceret. Imperabat tunc *Basilius* Græcis Regionis Ponticæ Princeps, quem Michaël in suum consortium recipiens Cæsarem, ingratum beneficii, habuit occisorem. Fauẽte igitur Basilio, schisma iteratò exoritur inter Græcos & Latinos: iterumq; Ignatius expellitur, altero substituto: nec ex tunc reuniti fuerunt, vsque ad tempus Concilij Lugdunensis, per annos quasi CCCCV. Assignant autem & tres alias causas huius dissidii: fastum Legatorum, censi solutionem annuam LXXX. librarum auri; diminutionem quoque Imperii factam per Romanam Ecclesiam: *supra part. II. cap. VI.*

A. Dni. 1274. Tandem, MCCLXXIV. pro vtilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare cupiebat, Gregorius X. *Lugduni Concilium* congregauit: *infra part. XIII. cap. XII.* Illi cõcilio Græcorum & Tartarorum celebres interfuerunt nuntii, hoc procurante *Palialogo* Imperatore Græcorum: vbi & Græci altâ voce cum solemnitate cantauerũt de Spiritu Sancto, qui ex Patre Filioq; procedit. Nuntii verò Tartarorum, in Concilio baptizati, ad propria redeunt. *Iohannes* quoq; Papa XXI. legatos ad Palialogum misit, si ipse cum gente sua paratus erat Romanæ parere Ecclesiæ: Qui respondit se ad omnia paratum quę concilium Lugdunense mandauerat. Quantum autem hęc suis placuerint Calogeris in promptu est: quia ipsis reclamãtibus, quasi excommunicatus, remanet insepultus. Aiunt enim in Niceno Concilio determinatum fuisse Spiritum Sanctum à Patre procedere: & in fine Concilii fuisse subiunctum: *Qui dicto Concilio aliquid adderet vel subtraheret, anathema sit.* Sed quid dicent hii Græculi verbis Pauli ad Galathas I. *Licet nos aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Nunquid glossantes, & obscura verba Apostoli exponentes, anathemate innodantur? Sed qui fidei & doctrinę Apostoli contraria prædicant, sententiâ feriuntur. In Niceno enim Concilio de filio erat sermo, an verus DEVS esset, vel pura creatura, sicut impius Arrius asserebat: idq; in concilio longâ fuit inquisitione discussum: de Spiritu autem Sancto quia principaliter non tractabatur, faciliter transeuntes, dixerunt à Patre procedere, nequaquam negantes quin & à Filio similiter procedat. Nec obstat quod allegant illud Io. XV. *Cùm venerit paraclitus quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis qui à patre procedit:* & cætera.

& ca[illegible]ucet ibi solùm dicatur, secundùm superficiem litteræ, à Patre procedere: ramen secundùm verum litteræ intellectum, etiam à Filio procedere dicitur, cùm dicitur *Spiritum vobis à patre*, id est, simul cum patre. Habet ergò Filius super Spiritum Sanctum auctoritatem, non dominii: quia vnus Dominus Pater & Filius & Spiritus Sanctus: ergo originis. Et sequenti capitulo ait: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*: id est, à me procedet. Ex necessitate enim oportet, quòd si omnia quæ habet Pater sunt Filii, & Filius sit consubstantialis Patri, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio sicut à Patre: sicut *Didimus* & *Hilarius* arguunt, Spiritus ergò sanctus est fluuius igneus rapidusque, quem aspexit Daniel VII. cap. egredi à facie antiqui dierum, id est, Patris: facies enim Patris, Filius est: quia sicut vnusquisque per faciem, ita per filium cognoscitur Pater, iuxta illud Matth. XI. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* A facie ergo, id est, à Filio, sicut à Patre procedit. Sed Græcorum nequitiam prosequamur. Ipsi enim Latinorum altaria renuunt; & nisi priùs quasi prophanata diligenter abluant, post eos ibi non celebrant: Nec assurgere volunt, quando Latini presbyteri corpus Dominicum portant ad communicandum infirmos: Nec in azimo pane conficiunt, dicentes, quia CHRISTVS in comestione agni Paschalis, tempus præuenit vnâ die; & quòd Lunâ XIV. passus est: ac per hoc aiunt, eum in fermentato, non in azimo consecrasse; cùm Mattheus, Marcus & Lucas, id factum esse exprimant primâ die azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Satis autem congruo id agunt misterio, qui non epulantur in azimis sinceritatis & veritatis: sed in fermento malitiæ & nequitiæ, quod non expurgant secundùm monitionem Apostoli. 1. Corinth. cap. v. In multis quoque aliis à Sancta Romana Ecclesia deuiant, à qua, schismatici facti, auctoritate propriâ recesserunt: non attendentes quinq; Patriarchales Ecclesias septemque Asiæ designatas per XII. tribus filiorum Israël. Et vt de Patriarchalibus prosequamur: *Ruben*, qui interpretatur, videns filium: ecclesiam figurat *Ierosolymitanam*, vbi primò apparuêre Ecclesiæ filii. *Gad*, qui interpretatur, feliciter: ecclesiam *Antiochenam*, in qua iuxta Damascum conuersus est ille qui feliciter portauit verbum salutis coram Gentibus, & Regibus & filiis Israel. *Manasses*, qui interpretatur, obliuio: ecclesiam *Alexandrinam*, quæ oblita legem CHRISTI, legi adhæsit spurcissimi Mahumeti. *Effraym*, qui interpretatur, crescens vel augmentum: ecclesiam *Constantinopolitanam*, quę ita aucta est, vt vocaretur primogenita filiarum. *Iudas* verò, qui interpretatur confitens: *Romanam* ecclesiam, cui præfuit Petrus, qui CHRISTO fidei verâ confessione ait: *Tu es CHRISTVS filius DEI viui.* cui & CHRISTVS respondit: *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua.* Ideò, cæteris errantibus, sola Romana Ecclesia in fidei vera confessione permansit. Vndè & Isay. IX. de hiis quinque Ecclesiis dicitur. *In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Aegypti, loquentes linguam Chanaã, & iurantes per Dominum exercituum. Ciuitas autem Solis vocabitur vna.* Nõ certè Ierosolymitana ecclesia: quia Ruben, eò quòd thorum patris fœdauit amisit primogenita sua. Ita & hæc, quia fœdo semine verbi fideles Iudaizare voluit, primogenituę imò vniuersalis prælaturæ dignitatem amisit: nec cuiquam conceditur qui in errorum fœditate participant: soli autem Iudæ donatur, cùm Petro dicitur: *Tu vocaberis Cephas*: à quo cæteri discendentes, acephali facti sunt: cui quoque ouile ouium, quod est vnum & non diuisum, committitur: ouesq; pascere simpliciter omnes, non tantùm Latinas, iubetur: cui etiam dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*: &, *tibi dabo claues regni Cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis; & quodcunq; solueris super terram erit solutum & in Cœlis.* Cur tam beatus efficeris Symon, confitens quæ veræ fidei sunt? certè *quia caro & sanguis non reuelauit* tibi, sicut & cæteris; *sed Pater Cœlestis.* Græcis quoque conformes erant in Terra Promissionis homines dicti *Suriani*: vel à ciuitate dicta *Sur*, inter Suriæ ciuitates magnæ quondam reputationis: vel à Syria, *Y.* versa in *V.* Suriani dicuntur, qui in scripturis antiquis Syri nominantur. Hii a diebus antiquis, sub diuersis dominis Græcis, Latinis, Saracenisque, seruituris iugum passi sunt: vbiq; serui, semper tributarii, ad terræ culturam similésue necessitates reseruati: prorsus imbelles; exceptis quibusdam, qui inermes & ad fugam expediti, vtuntur solummodò arcubus & sagittis: suntque homines ex magna parte infideles, vt Græci; duplices, dolosi, vt vulpes; amici fortunæ: propter quod mendaces

Ioan. 16, 15.

Matt. 16. Luc. 22.

Ioh. 1, 42.

Matt. 16, 18.

Matt. 16, 17.

sunt, & inconstantes, aliud in ore, & aliud in corde gestantes: ad furta, & munera faciliter inclinantur; velut proditores, pro modico pretio exploratores effecti, Christianorum secreta manifesta faciunt Saracenis, inter quos nutriti sunt, quorũ etiam lingua libentius vtuntur quam alia, & eorum peruersos mores ex magna parte sequuntur: vnde & vxores suas ac filias linteaminibus vndique inuoluũt, ne videri queant, superfluecq; recludunt: barbas cum multa diligentia nutriunt: commixti enim inter gentes Græcas & Saracenicas didicerunt opera eorum. Vnde in sermone eorum vulgari, *lingua* Saracenica, & in contractibus, eorum vtuntur litterâ: sed *in diuinis scripturis & in spiritualibus*, litterâ Græca, non intelligentes, vt Græci, quæ à Sacerdotibus leguntur: qui eâdem linguâ in vulgari & in scripturis vtuntur. Obseruant quoque consuetudines & instituta Græcorum, tanquam maiorum suorum. Latinis autem Prælatis in quorum diocesibus cõmorantur, ore, sed non corde obedire se profitentur, pauore dominii secularis. Vnde nec eorum *excommunicationes* timent, nisi quantum à fidelium contractibus & commoditatibus separantur: aiunt enim secundum præmissa, omnes Latinos excommunicationis sententiæ subiacere: ideò non valent sententiam excommunicationis inferre. Item, sicut & Græci, quartas *nuptias* non admittunt: sacerdotes eorum & diaconi, licet in talibus ordinibus matrimonia non contrahant, vtuntur tamen vxoribus cum quibus ante susceptionem illorum ordinum contraxerunt. Subdiaconatus ordinem sacrum non reputant. Paruulos baptizatos simplices sacerdotes *crismate* consignãt, quod ad Præsules solos pertinere dignoscitur: Hoc enim confirmationis sacramentum datur ad robur, & propugnatores fidei constituit: ideò insignitur Christianus signo Crucis, in quo Princeps populi Christiani pugnauit & vicit: ad solum autem Ducẽ pertinet, vt quos decreuerit, allignet militiæ. *Sabbatho* quoq;, quasi Iudaizantes, adeò sollemnizant, vt & carnes comedant, & eis ieiunare non liceat, excepto Sabbatho Paschæ: cum Innocentius Papa I. in Sabbatho ieiunium instituerit, quia tali die Dominus in Sepulchro iacuit, & discipuli ieiunauerunt. *De Consecrat. dist. 1. cap. Sabbatho.*

CAP. II.

Continet eorum mores qui Pulani & Maronitæ dicuntur.

11. ILlustrium virorum, qui ad Sanctæ Terræ tuitionem, perfectamq; illius de iugo seruitutis liberationem, in ipsa manserunt, degeneres filii: qui ab illis descenderunt vt rubigo de argento, amurca de oleo, fex de vino: possessionum illorum successores, non morum, *Pulani* vocantur. Parentum magnalia supra *part. vi.* digesta sunt: sed filii in deliciis enutriti, molles & effeminati; balneis plus quàm præliis assueti; mollibus muliebriter induti, circumornari & compositi, *vt similitudo Templi*; desides, & ignaui, contra inimicos crucis CHRISTI pusillanimes & pauidi facti sunt. Vnde Saraceni, qui patrum audaciam quasi tonitruum formidabant, filiorum desidiam, nisi Occidentales populos secum haberent, plus quàm sexum fœmineũ non timerent. Cœperunt etiam ab inuicem, pro re facili, dissidere, inter se lites, & iurgia, & bella ciuilia commouere; treguas cum Saracenis inire; inimicorum CHRISTI pace gaudere, & plerumq; ab eis contra Christianos auxilium postulare. Vires & expensas, quas ad DEI honorem & Sanctæ Terræ tuitionem, & animarũ salutem effundere debuissent, ad fidelium detrimentum, Terræ Sanctæ exterminium, & animarum damnationem consumere non pudebat: verbis quoque compositis & ornatis sic in ore & corde loquuntur, mentis propositum palliantes, vt eos falcibus meritò conferas, portantibus folia sine fructu: vixq; comprehendere valeas amphibologiam, fallaciam, aut quæ diuidunt vel componunt. Vxores etiam superfluè *zelantes*, vix proximorum sinunt patere obtutibus; ad balnea sæpiùs quam ad Ecclesiam vel verbi DEI prædicationem, custodiâ tamen adhibitâ ire permittũt: qui verò inter eos ditiores aut potentiores sunt, per miselios Capellanos, iuxta lectulos Missas celebrari procurant. *Sortilegijs*, experimentis, & maleficiis innumeris, quæ à Saracenis & Surianis didicerunt, eorum fœminæ assiduè vtuntur. Hiis etiam qui de remotis partibus, causa deuotionis, ad Terræ Sanctæ subsidium veniunt Peregrinis, cum expensis & laboribus supra modum, sed & suã Domino offerentes, non modo ingrati, sed etiã multipliciter sunt molesti: mallent enim semper otio

Psal. 143. 14.

torpere

torpere, & desideriis inhiare carnalibus, quàm ruptis frenis, cum Saracenis inire certamen: & postquam in hospitiorum immoderato pretio, cum mercimoniis, cũ cambio, & aliis multis machinationibus eos circumuenientes & depauperantes, in immensum ditati sunt, tunc demum CHRISTI milites, pro CHRISTO exulantes, intemptui & derisui habentes, multis iniuriis & contumeliis affligunt: filios vocantes *Hernandi*, quasi homines fatuos & insensatos. Sunt & alii *Maronitæ*, à quodam *suo magistro* Marone vocati, qui vnam tantùm operationem atque voluntatem in CHRISTO asserunt: cuius erroris actor extitit quidam Macharius Antiochenus Antistes, in *sexta Constantinopolitana synodo* condemnatus, & tanquam hæresiarcha ab vniuersitate fidelium est eiectus. Hii quidem Maronitæ, circa iuga Libani, in Phœnice prouincia, non longè ab vrbe Biblensi, & circa Bastrum & Tripolim inhabitantes, expediti & docti nimis in arcubus & sagittis, vsque ad LX. milia numero, & per annos ferè quingentos ab Ecclesia Sancta & fidelium consortio sequestrati, sua cõficiebant ad libitum Sacramenta: qui tamen postea reuertentes ad cor, tempore vltimi *Balduini* Regis, in præsentia Venerabilis patris *Aymerici* Antiocheni Patriarchę, fidem Catholicam profitentes, Sanctæ Romanæ traditiones secuti sunt. Vndè cum nullus Orientalium prælatorum, exceptis Latinis, anulo & mitra vtatur, ac baculo pastorali; aut tintinabulis, sed percussis malleo vel baculo tabulis, populus ad Ecclesiam congregetur, prædicti Maronitæ præfatis omnibus in obedientiæ signum vruntur, & ritus omnes Latinorum obseruant: ipsorumq; Antistes Concilio Lateranensi interfuit sub Venerabili Papa *Innocentio* III. Vruntur autem Caldaica litteratura: sed in vulgari Saracenico idiomate proloquuntur.

CAP. III.

Continet eorum ritus & mores, qui Armeni ac Georgiani dicuntur.

ARMENORVM populus, in Armenia prouincia, propè Antiochiam, in Christianos & Saracenos inhabitat seorsum: inter omnes Christianos singulares ritus & proprias habens obseruantias: proprium habent primatem, quem *Catholicum* appellant, cui cum summo honore & reuerentia omnes à minimo vsque ad maximum, tanquam alteri Papæ obediunt. Inter eos & Græcos inexorabiles sunt discordiæ, & dissensiones implacabiles, & mutuas obseruantias & ritus horribiliter detestantur. Habent autem proprium idioma, & proprias litteras: & in vulgari sermone diuinas scripturas pronunciant, ita quòd sacerdotes & clerici eorum à laycis intelliguntur, sicut de Græcis *supra 1. cap.* dictum est. *Natiuitatem Domini* secundùm carnem non celebrant, magis autem ipsa die ieiunant: finito autem ieiunio, in die Epiphaniæ cũ solemnitate Dominicæ apparitionis celebrant festum Baptismi CHRISTI, dicentes, se festum celebrare spiritualis CHRISTI Natiuitatis: vndè ait *Ambrosius* in sermone: *Tunc CHRISTVS natus est hominibus, hodie renatus est Sacramentis: tunc enim per Virginem est editus, hodie per misterium generatur.* Sequitur: *Noui partus noua merentur obsequia. Ibi, cum secundum hominem nascitur, mater eum Maria sinu circumfouet; hic, cùm secundum misterium gignitur, Pater eum DEVS voce complectitur: ait enim,* Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Nec in opinione cuiusquam cadat fidelis, quòd propter sacramentum CHRISTVS proprie sit renatus, quia peccatum non fecit, neque contraxit, quòd probat ætas, & matris virginitas: sed facere voluit quod faciendum cunctis imperare disposuit. Meritò proindè sicut exaltamus CHRISTVM Dominum ex matre natum, sic lætamur pro salute humani generis baptizatum. Miremur etiam & lætemur de CHRISTI nati matre intacta, & CHRISTI renati vnda sanctificata. Et penè, si fas est ita loqui, maiori dotata est vnda munere quàm Maria: Illa enim sibi tantùm Virginitatem in partu meruit; ista in lectione nobis contulit puritatem: illa meruit ne peccaret; ista vt peccata purgaret: Illa vnum filium procreauit, & virgo est; ista infinitos generat, & pura est: illa præter CHRISTVM alium ignorat filium; ista cum CHRISTO omnium est omnium fidelium populorum. *Quadragesimam* quoque, quæ Dominicam resurrectionem præcedit, tam arcto obseruant ieiunio, quòd non solùm à carnibus, ouis lacte & caseo abstinẽt, sed etiam nec pisces manducant vel oleum, nec bibunt vinum: fructus tamen & le-

III.

gumina, quoties placet in die comedunt: & vt videantur æmulio suis Græculis ac Suri antis contradicere, in quibusdam festis feriis carnes manducant. In *consecratione* quoque *sanguinis Domini*, aquam vino non miscent; Sed, licet aqua propter sacramenti necessitatem poni non debeat, quia in solo vino consecratio sanguinis fieri potest, tamen nullo modo aqua debet omitti, tum propter Ecclesiæ statutum, quod nullo modo debet contemni: tum propter significationem: significat enim appositio aquæ ad vinum, coniunctionem corporis CHRISTI mistici; quod est Ecclesia (*ad Coloss. 1.*) ad CHRISTVM, qui est caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: *Eph. 1.* Aqua autem, populum signat: aquæ enim multæ, populi multi: *Apocal. xvii.* Tum quia CHRISTVS creditur in consecratione aquam apposuisse, cùm mos esset non solum Iudeorum, sed etiam omnium Orientalium temperato vti vino: cum puro vino in illis partibus etiam intemperatus vix vti posset. Qui ergò solùm vinum consecrat, videtur inter Ecclesiam & CHRISTVM diuortium celebrare. Sciendum quoq; quod *Armeni* summo Pontifici, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam promiserunt: quando scilicet Rex eorum, ab *Imperatore Romano Henrico*, terram suam recepit, & coronam Regiam ab Archiepiscopo Maguntino: ritus tamen veteres & consuetas obseruantias mutare noluerunt. Sunt etiam Christiani *Georgiani* vocati, eò quòd sanctum Georgium in præliis contra incredulam gẽtem, aduocatum habeant & patronum: & tanquam signiferum præ aliis Sanctis singulari reuerentia colunt. Hii sunt bellicosi valdè, & in præliis strenui, fortes robore, innumera pugnatorum multitudine pollentes, valdè formidabiles Saracenis, Persis, Medis & Assyriis, in quorum confinio commorantur: cunctisq; infidelibus, à quibus vndiq; clauduntur, in expeditionibus frequenter valdè damnosi sunt. Vtuntur autem Græco idiomate, in scripturis Diuinis; & Græcorum consuetudines, in sacramentis obseruant: Clerici eorũ rotundas habent rasuras; Layci quadratas: quotiescunq; ad Sepulchrum Dominicum visitandum veniunt, cum vexillo erecto, absq; tributo, Ciuitatem Sanctam ingrediuntur: nec eos Saraceni molestare præsumunt, ne cum repatriant, duriora vicinis Saracenis rependant. Fuerunt quoq; nimium indignati, & minas intulerunt Principi Damasceno, *Coradino* eò quòd absq; voluntate eorum muros Ierusalem euertere præsumpsisset, cùm populus Latinorũ, ciuitatem Damiatæ obsidebat: *infra part. IX. cap. IX.* Crines autem & barbas vnius ferè cubiti longitudine portant, & pileis vtuntur in capite: nobiles quoque mulieres eorum, more Amazonum militant, & armis vtuntur in præliis.

CAP. IV.

Continet ritum & mores Iacobitarum, Nestorianorum, & Mosrabum.

IV. SVnt etiam in Terra Sancta & aliis Orientalibus partibus nonnulli à Latinis & Græcis multùm differentes, quorum quidam *Iacobitæ*, vel *Iacobini* dicuntur: à quodam magistro suo Iacobo, cuiusdam Alexandrini Patriarchæ discipulo. Hii à multis temporibus retroactis, excommunicati sunt à Constantinopolitano Patriarcha cum Dioscoro, & ab Ecclesia Græcorum sequestrati: maiorem partem totius tractus Orientalis inhabitant, quidam in Saracenos, alii verò absque infidelium consortio, proprias occupauerunt regiones, scilicet, Nubiam quæ continuatur Ægypto, & magnam Æthyopiæ partem, & omnes regiones vsque Indiam: plus quam XL. regna, vt asserunt, continentes. Omnes enim Christiani à beato Matthæo Apostolo, aliisque Catholicis viris ad CHRISTI fidem conuersi, inimico hominis superseminante zizania, lamentabili errore sunt longo tempore excæcati. Et primò quidem paruulos suos in vtroq; sexu *circuncidunt*, non attendentes quod ait Apostolus ad Galathas. *Si circumcidamini, CHRISTVS vobis nihil prodest.* Et iterũ, *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Euacuati estis à CHRISTO qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Secundò, errant sacramentalem tollendo *Confessionem*. Non enim Sacerdoti sua confitentur peccata, sed secretò soli Deo, ponentes iuxta se incensum in igne, quasi confessa taliter peccata, cum fumo illo ascendant ad DEVM. Nec aduertunt, quia soli DEO sufficiebat facta confessio, quando offensus fuerat inuisibilis DEVS, nec dum homo factus: At postquam verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quoties peccamus, offenditur homo DEVS, & ideò non tantùm corde DEO, sed etiam ore homini debet fieri confessio

Gal. 5. 2. 3.

feſſio ad ſalutem: & quia vbiq; CHRISTVS eſſe non poteſt, ſuos vicarios inſtituit Sacerdotes. Ideò Iacobi vltimo dicitur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Sic etiam CHRISTVS leproſos ad ſacerdotes miſit, quorum officium eſt inter lepram & lepram diſcernere; & ſententiando proferre vtrum abſolui debeat, an non; an communicare debeat, vel à communione ceſſare. Erubeſcentia quoque confeſſionis & pudoris anxietas, & confitentis humilitas, magna pars ſatisfactionis eſt. Tertiò, errant plerique eorum, etiam antè Baptiſmum paruulos ſuos candente ferro in fronte ſignantes; nonnulli autem in eis cauterio Crucem ſignantes figurant: propter illud quod Iohannes Baptiſta de CHRISTO ait: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*: minimè attendentes quia ſuper baptizatos de nouo in igne apparebat Spiritus Sanctus, demonſtrans ſeptem Spiritus Sancti dona. Ignis enim primò purgat: vt patet in veſte Salamandræ in ignem proiecta; ſic Spiritus Sanctus purgat animam per donum timoris: Iſay. 1v. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Syon, in Spiritu iudicij & ſpiritu ardoris.* Secundò, Ignis liquefacit: vt patet in cera; ſic Spiritus Sanctus liquefacit animam per donum pietatis: *Pſal. fluxit Spiritus eius & fluent aquæ.* Tertiò, Ignis decorat: vt patet in metallis; ſic Spiritus Sanctus animam decorat, per donum ſcientiæ: *Iob. XXVII. Spiritus Domini ornauit Cælos.* eſt enim cœlum ſancta anima habens virtutes quaſi aſtra. Quartò, Ignis conſolidat: vt patet in lateribus; ſic Spiritus Sanctus animam conſolidat, per donum fortitudinis: *Michææ III. Repletus ſum fortitudine Spiritus Domini.* Quintò, Ignis eleuat: vt patet in vaporibus; ſic Spiritus Sanctus animam eleuat per donum intellectus: *Ezech. VIII. Spiritus eleuauit me inter Cælum & terram.* Sextò, Ignis illuminat: ſicut patet in lucernis; ſic Spiritus Sanctus illuminat, per donum conſilii: *Sapient. VII. Eſt enim in illa Spiritus multiplex ſubtilis*, &c. Septimò, dulcorat: vt patet in cibis; ſic Spiritus Sanctus animam dulcorat per donum ſapientiæ. *Eccleſiaſt. XIII. Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Ecce qualis eſt ignis in quo fidelis quilibet baptizatur: nec reperiri poſſet, quod CHRISTVS aut eius Apoſtolus, vel aliquis ſanctorum patrum illum modum poſteris reliquerit baptizandi. Quidam autem *Iacobitarum & Surianorum* in brachiis cruces candente ferro impreſſas geſtantes, ad Paganorum deſtructionem, & ob Sanctæ Crucis reuerentiam eas ſe ferre dicebant. Græci autem ſe aſſerunt illos eo maximè deteſtari, & à ſuo repulſſe conſortio, quia in damnatam ac peſſimam hæreſim incidiſſent: aſſerentes videlicet vnam in CHRISTO naturam, quemadmodum & perſonam: quod in Calcedonenſi concilio eſt damnatum. Quod enim ait CHRISTVS: *Pater maior me eſt.* & in cruce pendens, *ſitio*: Et multa ſimilia, non poteſt ad Diuinam, ſed ſolùm ad humanam ſpectare naturam. Quòd verò ait, *Ego & pater vnum ſumus.* &, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: & conformia hiis, non ad humanam, ſed ad Diuinam ſpectant naturam. Interrogati tamen aliquando Iacobitæ, timore neſcio an veritate coacti, negauerunt vnam tantùm in CHRISTO eſſe naturam. Et iterum requiſiti, cur vno tantùm digito ſe ſignarent; reſponderunt: *Vt in tribus partibus digiti perſonarum Trinitatem; in vno verò digito deſignarent eſſentiæ vnitatem:* licet Græci eis imponant, quia ad deſignandum in CHRISTO vnitatem naturæ. Vtuntur autem quidam eorum littera Caldaica, nonnulli Arabica, quæ & Saracenica: Layci verò, ſecundùm diuerſas nationes & prouincias, idiomatibus vtuntur diuerſis in vulgari. Linguam autem Clericorum ſuorum, qua in diuinis vtuntur ſcripturis minimè intelligunt. Erant quoque in Terra Promiſſionis, & inter Saracenos, etiam ſeorſum ab hiis, in maiori parte Indiæ, Chriſtiani quidam habitantes, dicti *Neſtorini* vel *Neſtoriani* à quodam Neſtorio: de quo ſupra *ca. 1.* qui ex magna parte Orientalem plagam ſui erroris veneno infecit; & potiſſimè illos qui terrã incolunt illius potentiſſimi quondam Principis, quem *Iohannem Presbyterum* vulgus appellat. Dicuntur quoque hii, cum ſuperioribus Iacobitis, longè plures eſſe quam Latini vel Græci. Et vt de hiis qui ſeorſum habitant quorum infinitus eſt numerus ſileatur, ad præſens plures Saracenis commixti, ſubiiciuntur eorum dominio, quàm ſint ipſi impii Saraceni: qui licet legem peſtiferam ſpurciſſimi Mahumeti recipere noluerint, dicto tamen errore miſerabili ſunt decepti; &, (*ſupra 1. cap.*) condemnati: niſi enim in CHRISTO eſſet vna perſona, quæ DEVS eſſet & homo, non poſſent de ipſo verificari quæ immediatè præmiſimus: quorum quædam DEO, &

Matth. 3, 11. *Ioh. 14, 27.* *Ioh. 10, 30.* *Ioh. 8, 58.*

non hominii conueniunt: quædam verò homini & non Deo. Vnde & in Symbolo Athanasii: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita DEVS & homo vnus est CHRISTVS.* & Isay. ait: *Parvulus datus est nobis*: sequitur, *Et vocabitur admirabilis, DEVS, fortis.* & in Psal. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*: quia CHRISTVS fuit Virginis filius, & creator, quando verbum caro factum est, & habitauit in ea. Caldaica autem vtuntur littera: & more Græcorum, non in azimo altaris conficiunt sacramentum. Sunt & alii Christiani qui in Africa & Ispania inter Occidentales Saracenos commorantur; *Mosarabes* vocitati: qui Latina littera & sermone in scripturis vtuntur diuinis: Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ sicut cæteri Latini cum omni deuotione & humilitate obediunt, ab articulis fidei vel sacramentis Ecclesiæ in nihilo deuiantes: Eucharistiam tamen diuidunt in partes septem; nonnulli verò in nouem: quod cùm accidat sacramento, veritatem & virtutē non impedit sacramenti.

Esai. 9, 6.

Psal. 86, 5.

CAP. V.

Continet multorum Occidentalium, ad Terram Sanctam conuentium prauitatem.

V. AD Terræ Sanctæ succursum venit fortitudo maris, de maritimis terris Italiæ: & fortitudo gentium, de vltramontanis partibus Occidentis & Aquilonis: vt supra, *in fine part. VIII.* dictum est. illi in mari potentiores, hii fortiores in terris: illi in marinis prælijs aptiores in nauibus & galeis, isti in terrenis congressibus promptiores, in equis & galeis: illi hostes à remotis, arcubus & sagittis; isti gladijs & lanceis magis feriunt de propinquo. *Italici* homines, grauiores sunt moribus, prudentes, compositi, victu parci, verbis ornati, in consilijs circumspecti, in republica studiosi, impatientes cuiuscunq; dominii, libertatem ante omnia defensantes, politicè viuentes, communia edentes statuta, & edita congruè obseruātes. Erant hii perutiles Terræ Sanctæ non solùm in nauali bello, sed etiā victualibus, mercimoniis & peregrinis etiam deportandis. *Franci* autem, *Alamani*, *Anglici*, cæteriq; vltramontani, minus sunt compositi, & magis impetuosi, in agendis minus circumspecti, & in verbis etiam minus cauti, in victu superflui, & in expensis magis profusi, in consiliis nimis festini, contra dictum sapientis: *Oportet tardè consiliari*: & alius Philosophorum ait: *Velox consilium, sequitur pœnitentia.* In Ecclesia verò multùm deuoti, feruentiores in eleemosynis, & cæteris operibus pietatis; & animosiores in prælijs, valdeque formidabiles Saracenis. Sed propter multorum leuitatem à Polanis *Hernandi filij* appellantur: Qui qualiter & quantum in vitia declinauerint, supra *II. cap.* dictum est. *Italici quoq;*: & potiores maximè maritimæ regionis, à patrum virtutibus declinantes, insatiabili auaritiâ lucris inhiantes, exortâ in eis æmulatione mutuâ, implacabili odio, & immortali discordiâ, libentius contra se pugnant quàm contra impios Agarenos: & qui quondam erant sua virtute terribiles Saracenis, nunc eos dissidio suo lætificant, ex hoc ipsos reddentes ab omni perturbatione securos. Est & alia causa à prædictis, quæ summè in Terræ Sanctæ habitatoribus corruptionem induxit: concursus scilicet hominum omni genere criminum infectorum. Transfretabāt enim quotidie flagitiosi & pestiferi homines, scelerati, sacrilegi, impij, fures, raptores, homicidę, patricidę, periuri, adulteri, cursarij, proditores, lusores, ioculatores, crapulæ dediti & ebrietati; relinquentes quoq; legitima matrimonia, & mulierculas nouis decipientes contractibus: mulieres etiā, propriis relictis maritis, lenonibus adhærebant. Hii quidem & consimiles, prudentum consilio qui statim Terræ Promissionis, & alternas ipsius mutationes diligentiùs inspexerunt, omni aliâ peste, omniq; hominum genere, peccatorum fomentum, ad animarum damnationem, & subuersionem fidelium in Terræ Sanctæ dispendium ampliùs præbuerunt, scelera criminibus, crimina sceleribus cumulantes. Et tantò audaciùs maleficia perpetrabant, quantò promptiùs erat punitionis diffugium: vel ad Saracenos propinquos fugiendo, baptismi fracto fœdere; vel ad propinquas Insulas, cum Latinorum nauigiis transfretando: tantò etiam inuerecundiùs, quantò remotiores ab amicis, propinquis, & notis. Aduentabāt quoq; frequenter viri sanguinem, & filiis Belial: qui in patria sua in malitiis & maleficijs deprehensi, prece plerumque & pretio

pretio obtinebant, membris nō mutilari, vel vitâ priuari: sed ad Terram Promissionis transmitti, & ibi perpetuo condemnari exilio. Hi verò pœnitētiâ non compuncti, sed violentiâ magis coacti, cœlum mutantes non animum, facti incolæ Terræ Sanctæ, peccatorum sarcinâ quam secum detulerant prægrauati, sōlita prauitatis studia exercebant: & hospitia peregrinis immoderato locantes pretiō, modis decipiebant innumeris aduentitios extraneos, & incautos: Sicariis etiam & latronibus, aleatoribus, & publicis meretricibus, spe lucri maioris, receptacula præparabant. Et in his omnibus secum erant manus Principum infidelium, diligentium munera, sequentium retributionem: quibus omnibus ideò iungebantur in culpa, quia facientes & consentientes, æquo iure, pari crimine vindicantur.

CAP. VI.

Continet regularis ac Clericalis status depranationem.

POstquam omnis penè fidelis populus Prælatis, Clericis, & regularibus Terræ Sanctæ transmisit munera diuitias contulit, quasi tributarius factus est, cœperunt *pastores* seipsos pascere: & neglectâ ouium curâ, cœperunt eas tondere, non nutrire; earumque lacte, lanaque contenti, fugere ad luporum accessum, facti mercenarii de prælatis. *Mercenarius*, inquit Gregorius, *locum pastoris tenet, & lucrum animarum non quærit. O pastor & idolum, derelinquens gregem*, ait Dominus per Zachariam. *Pastor* certè, ratione prouentus & commodi; sed *idolum*, ratione neglecti officii, ministerii non impleti: Idolum enim nec videt nec intuetur, cum oculos habeat; nec arcet nec comminatur, cùm virgam teneat; nec admonet, nec affatur, cùm apparentiam habeat Principis & prælati: adoratur tamen & colitur. tales facti erant pastores terræ illius, circa spectanda, cæci & duces cæcorum; circa praua opera arguenda, canes muti; non valentes latrare; honorari tamen volentes: quasi vaccæ pingues in monte Samariæ, de CHRISTI patrimonio impinguati, incrassati, dilatati: de eius paupertate, diuites; ipsius humilitate, superbi, & ignominiâ gloriosi: in domum Domini intrantes pompaticè: Giezi leprâ vtinam nō respersi, dum cathedras vendētium columbas erigunt, quas CHRISTVS euertit: cum Iuda, tam fure quàm proditore, dicentes: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Sæpè à Symone Petro clauem tollentes, vt Symoni magō darent: diuitiis quoque ac delitiis habundarent; & catulos suos non de micis, quæ cadunt de mensa, sed delicatis nutrirent cibariis: turpiq; otio marcidi, & luxu multiplici defluentes, pernitiosa exempla in subditos transmittebant. *Regulares* quoque, vt Clerici, veneno diuitiarum infecti fregerunt iugum regulæ: ruperunt vincula statutorum, superioribus inobedientes, & cum clericis altercantes: & quorum officium erat plangere, nunc quærunt Sacramenta Ecclesiastica ministrare; infirmos non ex pietate, sed questu pecuniæ visitare, mortuos sepelire: recipiunt ad officia & sepulchra interdictos, & nominatim excommunicationis vinculo innodatos: prælatorum sententias contemnunt. Abbates enim, & Priores, & *monachi*, eorumque miserabiles capellani, in alienam messem falcem mittere non timebant: clandestinis matrimoniis personas illegitimas, aut fugitiuas illicitè copulantes. Eneruato proindè rigore Ecclesiasticæ disciplinæ, homines pestilentes, prælatorum sententias contemnebant. Sed & ipsi etiam inter se inuicem inuidentes, inuicem detrahentes, non sine graui scandalo populi Christiani, vsque ad apertas contumelias, odia manifesta, & persecutiones publicas, & ferè vsque ad conflictus non solùm verborum, sed etiam verberum prorumpebant. Non solùm quoque monachi, sed etiam *moniales*, superioribus suis inobedientes, excusso disciplinæ iugo de claustris exilientes, quondam lapides sanctuarii, nunc reperiebantur dispersæ in capite omnium platearum, publica balnea irreligiosè cum personis irreligiosis frequētantes. Et factus est *sicut populus, sic sacerdos*; & regularis quemadmodum secularis. *Ex adipe enim delitiarum & diuitiarum prodiit iniquitas*: ita vt rarus esset, qui inter sanctum discerneret, & prophanum; & pretiosum separet à vili. Nonne scriptum est, *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea?* Et, *si modicum quoque fermenti totam massam corrumpit*; quæ corruptio debuit generari ex tanta, & tam diuersa multitudine hominum impiorum ad Terram Sanctam concurrentium? illuc

VI.

Zach. 11, 17.

Matt. 26, 15.

Esai. 24, 2.

Psal. 72, 7.

Eccl. 13, 1.

1. Cor. 5, 6.

conuenerant multi hæretici atq; schismatici, multi etiam sortilegiis dediti, sacrilegiis infecti, viri sanguinum, homicidæ, superbi, iracundi, elati, contumelioſi, seditioſi, iurgia prouocantes, discordiam seminantes, desides & ignaui, crapulâ & ebrietate grauati, luxuriâ & immunditiâ fœtidi, insipientes, incompoſiti, sine affectione, abſq; fœdere, sine misericordia. In medio igitur nationis tam prauæ atque peruersæ dum habitat populus Domini, didicit opera eorum, & factum est illi in scandalum: quia enim sicut & Iudæus, (*supra parte 1. cap. 1v.*) non repulit Iebuseum maledictum, mendacium homicidium & furtum inundauerunt, & sanguis
Gen. 6, 5. 7. sanguinem tetigit. Videns q; DEVS quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis humani intenta esset ad malum omni tempore; omnis quippe caro corrupuerat viam suam, tactus dolore cordis intrinsecus ait: *Ego delebo eos cum terra:* inducens q; diluuium gentium immundarum, crasit de terra maleficos; & terram illam, descriptam suprà *parte VII.* gloria spoliauit: Sepulchrum quoq; suum, ac cætera loca sacra tradidit inimicis Crucis suæ, dicens: *Puduit minùs in peregrinis quàm castris sordere meis.*

NONA PARS, CONTINET AMISSIONEM TERRÆ SANCTÆ FACTAM TEMPORE SALADINI: HABENS CAPITULA VIII.

CAP. I.

Continet Diuinæ iuſtitiæ æquitatem in Terræ Sanctæ habitatores indignos.

1. Prou. 16, 4. Psal. 24, 11. *Omnia propter semetipsum creauit Altissimus*: & cuncta creata conuertit ad materiam suæ laudis. Sed quis illa enarrare sufficiat? nemo certè nisi docente Prophetâ sciremus, *quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. O misericordia* Domini, quâ plena fuit Terra illa Promissionis in sublimatione regni, in ordinatione sacerdotii, & dispositione mirabili populi Christiani: tunc verè fuit gloriâ & honore coronatus, & in Terra Sancta omnia subiecta pedibus eius, cùm certè ante nouos filios Israël, imò CHRISTI, tremebat contio infidelis; quando vnus persequebatur mille, & duo fugabant decem millia. Et de misericordia quidem sic. De *Iuſtitia* verò, ait Propheta:
Psal. 98, 3. *quia honor Regis iudicium diligit.* Qui enim legitur pater misericordiarum & DEVS totius consolationis; legitur nihilominus DEVS Iudex, iustus, & fortis; legitur terribilis in consiliis super filios hominum; legitur vltionum Dominus: vlciscitur, & requirit rationem de commissis, vsque ad vltimum quadrantem; requirit, & retribuit abundanter facientibus superbiam; requirit à redempto seruitium, honorem & gloriam ab eo quem plasmauit. Esto quòd dissimulet pater misericordiarum, non tantùm Dominus & Creator: & qui parcit filio, non parcit figmento, non par-
Luc. 12. 47. cit seruo nequam. *Seruus*, inquit, *sciens voluntatem Domini sui, & non faciens eam, vapu-*
Gen. 1, 31. *labit multis.* Nihil odit DEVS eorum quæ fecit: Vidit *enim* cuncta *quæ fecerat, & erant valdè bona:* solum peccatum odit quod nihil est; quod non à Creatore, sed à creatura proceſſit: hoc est, quod de Angelo, fecit Diabolum; de amico, inimicum; de cœlo, propulit in infernum: hoc est, quod de delitiis, hominem compulit ad laborem; de Paradiſi accola, fecit agricolam; de Domino, seruum; de ciue, exulem; de filio DEI, mancipium diaboli: & immortalem, in morte concluſit. In peccati quoque destructione multùm fatigationis Saluator assumpſit, nec tantùm laborauit in fabrica vniuersi. Siquidem illa dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt. At hic, & in dictis suis habuit contradictores; & in factis, obseruatores; & in tormentis, illusores; & in morte, exprobratores. Propter peccatum quoque, mutatur homini in crudelem, qui reuera benignus & misericors est: & menti nequiter obstinatæ, apparet durus & implacabilis, cuius natura bonitas, cuius proprium misereri semper & parcere. Exerescente itaque vsque ad sidera prauitate incolentium Terram Sanctam, vt superiori parte ostenditur: dum insolentes fiunt pro victoriis; ingrati pro gratiis; dum ad peccati vomitum redeunt, qui priùs seruire elegerant, cui seruire regnare est, receperunt duplicia de manu Domini, qui repulit taberna-

bernaculum Sylo; qui libellum repudii dedit veteri Synagogæ: factiq; sunt hostes nominis Christiani in capite, ipsi in cauda, qui caudam perseuerātiæ suo sacrificio abstulerunt. Adeò enim concluſit in gladio Dominus populum ſuum, & hereditatem ſuam ſpreuit, vt non ſolùm Terra Promiſſionis amiſſa ſit; ſed omnes etiam penè regiones, ciuitates & munitiones ab introitu terræ Ægypti vſq; ad Meſopotamiam in itinere pluſquàm x x. dierum: & de ciuitatibus quidem maritimis ſolummodo reliquerunt *Tyrum* & *Tripolim*: *Antiochiam* verò, cum paucis munitionibus caſtrum ſcilicet, quod *Curſatium* dicitur, iuxta *Crathum*, & *Margath*, & *caſtrum Album*, *Archis*, & *turrem Ancreadi*, & caſtrum *Nephyn*, in comitatu Tripolitano. Omnes verò Mediterraneas ciuitates & munitiones, ſuo ſubiecerunt imperio, aut fugatis exindè Chriſtianis, aut morte extinctis, aut carceribus mancipatis.

CAP. II.

Continet Ediſſani Comitatus, & infelicis Comitis illius captionem: caſtri quoque Harenc, & Paneadis ciuitatis.

TAntæ autem aduerſitatis amaræ tribulationis calamitas à Comitatu Ediſſano infaſtum ſumpſit exordium: mortuo enim viro ſtrenuo in armis, & prouido in agendis Iocellino Comite Ediſſano, *Iocellinus* iunior filius eius, à paterna probitate & honeſtate degenerans, ſordibus defluēs & libidine diſſolutus, Ediſſam ciuitatem, negligenter muniram relinquēns, amiſit. Obſidens enim eam *Sanguinus* Muſſulæ dominus, (*de quo ſupra parte VII. cap. I.*) quæ caput & Metropolis eſt prouinciæ Aſſur, confractis mœnibus violenter irrupit, anno Domini M. CXLV. cùm A. Dni. 1145. nuſquam priùs fuiſſet idolatrarum infidelitate polluta. Sed & *Iocellinus* ipſe, poſt hæc, diuino iudicio à Saracenis captus, fame & egeſtate conſumptus ac mortuus eſt. Poſtquam verò pars reſidua comitatus obuenit vxori, Conſtantinopolitano Imperatori ſub cenſu annuo conſignauit, qui copiam illuc Græcorum tranſmittens, contra Saracenos terram defenſare promiſit. *Norandinus* autem prædicti Sanguini filius, deceſſu Latinorum gauiſus, licet cum admodum paucis eſſet, Græcos effeminatos & molles, nil reputans, eodem anno totam terram ſuo ſubiecit imperio, captiuatis illis Græculis, vel occiſis. Adiit quoque Norandinus caſtrum *Aranch* obſidere, ad Antiochenum pertinens Principatum, quod ab Antiochia decem diſtat milliaribus. Et quia *Raymundus* Princeps Antiochenus, tunc temporis interfectus erat in bello, filius quoque eius *Boamundus*, in Principatu ſuccedens, à Saracenis tenebatur captiuus, caſtrum ipſum paucis reluctantibus expugnauit. *Paneadem* quoque ciuitatem ſuæ ditioni ſubiecit, abſente Ieruſalem Rege Almerico, atque commorante circa partes Ægypti. Cœpit ex tunc Chriſtianorum conditio deterior fieri; reſiduam tamen terram defendebant, donec regna Ægypti & Damaſci ſub vna conueniunt poteſtate. Propter amiſſionem autem Ediſſæ factam, (*ſupra parte VI. cap. XIX.*) crux denuò prædicatur, & Rex Franciæ ac Imperator tranſfretant: *ſequenti capitulo.* M. CXLVIII. Peregrini Ieroſolymitani, penè omnes peſtilentiâ perierunt. Sequēti anno in Terra Promiſſionis & partibus Orientis, exigentibus peccatis hominum, *terræmotus* multas villas, vrbes & Eccleſias obtuit; & innumera populorum millia hians terra glutiuit: inter cæteros qui tam repentino cadebant excidio *Hermannus* Viennenſis Antiochiæ educatus, exiens in caſtro *Curſario*, in diſtrictu Antiocheni Principatus, in Eccleſia Sancti Petri: videns coruſcationes & fulgura & terræ hiatum ex hiis duntaxat, qui in Eccleſia erant vltra C x L. deglutire etiam ſolo & ipſe dilapſus, piiſſimam matrem Domini apud *Recemadher* parrocinantem, inuocauit, & continuò eius ſenſit auxilium. Nam, cùm circumquaque rugirent, & ad inferiora terræ ruerent, licet coartaretur & penè ſuffocarerut à terra, à Regina Virginum extractus eſt viuus, in natali Apoſtolorum Petri & Pauli, circa ſextam. Et non ſolùm ad emendam: ſed diuinâ prouidentiâ ſæpiùs in illis partibus hiuiuſce terræmotus proueniunt, etiam ad cautelam, vt ſciat vnuſquiſque: ſicut ait *Apoſtolus* ad *Theſſal. IV. Suum vas poſſidere in ſanctificatione, & honore:* & Terram Sanctam polluere caueant, quam Chriſtus pretioſo ſanguinis ſui balſamo conſecrauit.

CAP. III.

Continet modum quo Saladinus regnauit super duo regna, Aegypti videlicet & Damasci.

III. A. Dni. 1174. NOradinus M. CLXXIV. moritur, Rex Turchorum: *Saladinus* regnum occupat, & simul cum regno Ægypti sub suam redigit potestate. *Saracunus* enim vnus ex Satrapis Norandini, regnum Ægypti quod violenter occupauerat, Saladino nepoti suo ex fratre in morte reliquit. Hic *Saladinus* ingenio astutus erat, in armis exercitatus, in agendis prouidus & festinus, liberalis valdè & munificus, non solùm suis, sed etiam quibusdam Christianis, quos ad se muneribus & promissionibus attrahebat. Igitur postquam Ægypti administrationem obtinuit, timens Calypham Ægyptium, de quo *supra part. VI. cap. V.* fecimus mentionem: multis enim accusatoribus non immeritò domino suo Calyphæ factus erat suspectus: nolens ipse sub timore alterius vel dominio remanere, accessit ad Calypham, fingens solitam reuerentiam velle exhibere, & clauâ subitò percussum ad terram deiecit, proditorque occidit: & cunctos filios, cognatos, & potiores amicos, aut interfici iussit, aut carceri perpetuò mancipari: compulitq; Ægyptios Calypham proprium de cætero non habere, sed Baldacensi subesse. Postquam verò Saladinus Calypham Ægyptium dominum suum occidit, *Salech* filio domini sui Norandini iam defuncti, qui puer tunc temporis in Alapia morabatur, regnum abstulit Damascenum, præcipuis regni tyrampnis, partim muneribus & promissionibus, partim metu & violentiâ ad proditionem inclinatis. Addidit quoq; prædicto domino suo cuius ipse & pater eius serui fuerant, opulentissimas surripere ciuitates, *Haman* videlicet, & *Mahubeth*; *Emissenam* etiam ciuitatem, quæ vulgariter *Camele* appellatur, insuper & *Cæsaream magnam*. Mortuo quoque prædicto Norandini filio, cùm in potestate patrui sui *Catebedini* Mussulæ domini, iure hereditario Alapiâ deuenisset, non solùm Alapiam, sed etiam comitatum Edissanum; & totam terram vsque Eufraten, & etiam Mesopotamiæ nobiles ciuitates, *Edessam*, *Charan*, & cætera, Saladinus prædicto domino Mussulæ violenter abstulit, non sine Christianorum magno dispendio: & eò maximè, quia Saraceni, qui à principio, quando primùm Latini terram ingressi sunt, rudes erant in præliis, & quasi inermes, cum arcubus tantùm ad bella procedentes, nunc verò vsu & exercitio, frequentiq; cum Christianis congressu, adepti essent plenius militiæ disciplinam: & more vterentur Latino, loricis, scutis, & galeis, ensibus & lanceis, omniq; armorum genere, tam offensiuo quàm etiam defensiuo.

CAP. IV.

Continet prohibitionem Lateranensis concilij deferendi arma, & huiusmodi Saracenis: lugubrem q; stragem populi Christiani per Saladinum illatam.

IV. CVm talia ad Christiani populi subuersionem agitantur in partibus Orientis, in partibus Occidentis depressæ Ecclesiæ aspexit DEVS: & Ecclesiæ Imperiique dissidio finem imposuit, quo nullum aut vehementiùs efferbuit, aut perseuerauit diutiùs, quia annis XVI. Anno enim M. CLXXVII. *Fredericus* primus ad Papam *Alexandrum* tertium, qui ad ciuitatem *Venetiam* declinauerat, propter ciuium fidelitatem, & ciuitatis inexpugnabilis securitatem, suplex venit: & ad terram prostratis ceruicibus Papa pedem superposuit dicens: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* & à sententiis absoluto, reconciliatus est. Sequenti verò anno Lateranense concilium congregat: vbi ex diuersis partibus, Episcoporum & Abbatum innumerabilis multitudo conuenit. Ibi, *infideles & impij Christiani, qui Saracenis arma, ferrum & lignamina galearum deferunt, & ad impugnandum Christianos necessaria subministrant, vel in galeis coriam, siue in pyraticis nauibus curam gubernationis exercent, excommunicationi subiecti sunt; ac rerum suarum per Principes secalares, priuatione multari, & capientium serui fieri censentur.* Ad Orientalem nunc redeuntes historiam dicamus quòd Patriarcha Ierusalem, Prior Hospitalis, & Magister Templi, M. CLXXXIV. venerunt ad *Philippum* Regem Franciæ: horum tamen tertius mortuus est in via: & portauerunt claues vrbis Ierusalem & Sancti Sepulchri Domini, rogantes, vt ferret auxilium. Ille verò conuocato concilio, prælatis

A. D. 1177. *Psal. 90, 13.* A. Dni. 1184.

ordi-

ordinat, vt subditis prædicent Crucem sumere, & strenuissimos misit milites cum multitudine peditum, suis stipendiis. Sed hoc non obstante, attendens *Saladinus* vir astutus, & in re militari multum expertus, immensum foramen discordiæ in regno Ierosolymitano: de quo *supra in fine part. vi.* fecimus mentionem: & quia, *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*, iuxta sententiam Saluatoris; maximè verò sumpta occasione ex eo quòd *Raymundus Princeps* Montis Regalis, & totius terræ trans Iordanem, dominus quoq; Ebron, & circumstatis regionis, treuguas quas cum Saracenis vicinis Christiani habebant, maximam prædam agens confregerat: ex omnibus sibi subiectis nationibus cõgregauit pugnatorum multitudinem magnam nimis: ex Ægypto videlicet, & Arabia, & Damasco, Alapia quoq; & Mesopotamia; dicitur in suo comitatu præter pedites innumerabiles habuisse L. millia militum. Præmisit autem vir sagax, decem millia electorum militũ, qui per terram Comitis Tripolitani, qui secum treuguas inierat: (*supra in fine vi. part.*) per partes, scilicet, Tyberiadis & Nazareth, vsque ad suburbana Acon discurrerent; & more suo nostros prouocarent, si fortè incautè se prosequentes, aut casu occurrentes, interimere aut capere possent: nec effectu caruit impia machinatio. *Magister* enim *Militiæ Templi* cum fratribus suis, plusquam LXX. incautè egrediens; & *Magister Hospitalis*, qui cum fratribus suis decem, de Castro *Beleuir* reuertebatur à colloquio comitis Tripolitani, à Turchis inclusi sunt iuxta *Casale Roberti*: & licet non amplius quàm CXX. militibus sociari essent, decem millibus Saracenorum viriliter restiterũt, ex eis plurimos prosternentes: sed tandem pauci corripiuntur à pluribus, & trucidato Magistro Hospitalis cum pluribus, cæteri capiuntur: Magister verò Templi cum paucis fugâ elapsus est. Sic primo die Madii, Saraceni de Christianis cruentam victoriam habuêre. Ex hoc euentu Saraceni animosiores effecti, sequenti Iulio omnibus viribus suis in vnum conflatis, *Tyberiadem*, vltimam regni Ierosolymitani ciuitatem, ex parte Damasci obsederunt. Iam enim apparenter *Comes Tripolitanus*, cuius erat ciuitas, à Saracenis ruptis treuguis recesserat, cùm publicè Regis ac regni proditor vulgaretur: munierat autem prædictam ciuitatem contra Saracenos, vxore suâ in præsidio relictâ. Rex verò Ierusalẽ vltimus, *Guido de Lisinio*, & Comes Tripolitanus prædictus, cum omnibus penè regni nobilibus, & copiosa multitudine, quantã nusquã simul fuerat, à primo Latinorũ introitu vsq; tunc, equitibus, scilicet, loricatis M C C. peditibus verò cum armis, arcubus & balistis XX. millibus, ad prædictæ ciuitati ferendum auxilium properant, diuini fauoris auxilio destituti; & iuxta fontem Sephoritanum tentoria sua locant: plus de suis viribus quàm de diuino adiutorio confidentes. Die verò sequenti contra Saladinum exercitus progreditur Christianus: cui occurrit leuiter armatorum equitum multitudo de exercitu Saladini, à dextris & à sinistris Christianos proterrè nimis infestans, sagittis & spiculis equos & equites vulnerando. Fuit autem *Ioannis* militis consilium, vt vnanimiter aggrederentur aciem Saladini: cunctisq; consilium placuit, excepto Tripolitano Comite, cuius consilio in montanis tutantur, locis aridis & inaquosis. Quod prudenter *Saladinus* attendens, sequenti die priusquàm Christiani ad aquam peruenire valerent, ordinatis paganorum tam equitum quàm peditum aciebus, Christianis verò siti arentibus, commissum est bellum: & cum feruerent tunc dies, secundo videlicet Iunii M. C. LXXXVIII. Comes Tripolitanus proditor exercitus, depositis armis, fugit ad castrum *Saphet*. Acconensis verò præsul, Sanctæ Crucis portans vexillum, lethaliter vulneratur, propter quod Crucem Regi tradidit. Rex verò, simul cum Cruce, capitur; & traditur Christianus populus in manus impiorum: nimirum quia, vt sæpius repetitum est, *Nimios in luxus fluxerat cum populo Clerus.* Rarus erat quem non auaritiæ aut luxuriæ inficeret morbus. Christiani itaq; subitò Saracenis terga præbentes, penè omnes à minimo vsq; ad maximum trucidantur; aut certè captiui ducuntur. *Raymundus* quoq;, nobilis Princeps Montis Regalis & Petracensis, qui prius inter Turchos captiuus fuerat annis XVI. deindè liberatus, ante Saladinum deducitur; eiusq; gladio ac manu capite truncatur. Rex verò & Magister Templi, pro triumpho seruantur, & minantur in captiuitatem, cum multis maioris ac minoris ordinis, absque fortitudine ante faciem subsequentis. *Saladinus* autem, manubias ad pontem Tyberiadis diuidi iubet, & meliora in Damascum deferri.

Luc. vi, 17.

A. Dnl. 1188.

CAP. V.

Continet amissionem quasi totius maritimæ regionis.

V. ET factum est postquam percussit *Saladinus* Turchus Christianorum exercitum, in his, qui euadere potuerunt quiq; bello non affuerant, sed in ciuitatibus aut munitionibus manserant, solo auditu territis, quasi mulieres meticulosis effectis, nihil remansit virium: sed emarcuit omnis virtus eorum, ita vt multi Christiani, antè paucos fugerent Saracenos. *Saladinus* proindè fortunam suam non segniter vrgens, post prædictam victoriam, cum apparatu summo *Ptolomaydam* properat; & dum ciuitatem obsidet, eam post biduum per deditionem accepit: recedentibus, conductus secũdum pacta; remanentibus, securitas exhibetur. *Saladinus* enim nullum grauari sinebat, volentẽ secum degere sub tributo; nec vnquam iuramentum violabat; & vix aliquid, rogatus, negabat. Deindè ciuitatem *Beriti*, à desperatis de sua defensione ciuibus absq; contradictione recepit: *Biblium* etiam, sine vlla difficultate obtinuit. Redeunti quoq; per Ptolomaydam, & per maritimam discurrenti vsque Ascalonam, nulla fuit ciuitas ausa resistere. *Ascalonitæ* verò, de loci situ fidentes: munitissimus enim locus est Ascalon, (*supra part. VI. cap. XX.*) marius agentes, Saladino respondent, quòd suam nulli traderent ciuitatem, donec certiores redderentur, an Ierosolomitæ ciuitatem suam redderent vel tenerent. Ipso anno tres Lunæ in cœlo visæ sunt, & in medio signum Crucis: non multò post, in cœlo visi sunt tres Soles. Sol etiam obscuratus est parum antè nonam, & diu durauit: & Lunæ Eclipsis fuit penè vniuersalis VIII. Kalend. Aprilis. Visa quoque est IV. Idus Februarii, paulò antè auroram, sereniss imâ nocte, vsq; ad terram in momento Luna descendere; & post morulam, quasi resumptis viribus, ad locũ suum paulatim ascendere.

CAP. VI.

Continet amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem, & Ascalonæ.

VI. HIs peractis Saladinus antè *Ierusalem* sua figit tentoria: & à parte Occidentali per decem dies continuè dat insultus, ciuibus viriliter se tuentibus: à parte Aquilonari muros machinis obruit: tandem XIV. die obsidionis M.CLXXXVIII. II. Octobris, ciuitatem sub certis pactis, per deditionem accepit: vt videlicet duobus aureis infans redimi valeat; decem verò, qui decem annos excessit; mulier quinq;. Intrantes igitur Saraceni innumeri, loca Sancta prophanant; in Ecclesiis, cæterisque locis DEO dicatis, equos stabulant, & turpia quæque agunt: Ecclesiam quoque Sancti Sepulchri multo auro ne polluatur redimunt Suriani. In templo verò Domini, cum multa reuerentia, adorant Turchi. *Saladinus* verò, antequam illud intraret, parietes eius lauari fecit aquâ roseaceâ: habebat enim quingentos camelos eâdem aquâ onustos: & multa millia pauperum absoluit à pretio præfixato; infirmis etiam iussit necessaria ministrari: deponi quoq; fecit magnã Crucem auream, quæ erat in summitate Templi: quam Saraceni funibus ligantes, cõfusibiliter traxerunt vsque ad turrem Dauid, quæ est in monte Syon, ibiq; eam confregerunt: hoc tamen, mandato Saladini factum non legitur. Capta quoque est Ierusalem à Turchis postquam annis LXXXVIII. fuerat sub dominio Latinorum; & quasi tantundem priùs fuerat à Turchis possessa. Ab illo tempore citra, homines nasci dicuntur cum dentibus paucioribus solito: priùs enim dẽtes XXXII. habuisse dicuntur. Post hæc multis redemptis iuxta condictum, vsq; ad securitatis loca conductus rutus exhibitus est. Interim verò Ierosolymitanorum militum, qui in prælio fuerant, redemptæ coniuges atque filiæ, ciuitatem Ierusalem exeuntes, ad Saladini vsq; præsentiam accedentes, ediderunt lugubrem eiularum: inquisitâ causâ, respondent suos se amisisse viros, sibi quoq; possessiones sublatas; petebant proindè ad aliquid misericorditer restaurari. Ille pietate commotus, eis qui superessent captiuos reddi; puellisq; de thesauris suis ampla munera dari iussit, secũdum quod cuiusq; conditio exigebat; easq; iuxta principatus sui magnificentiam blandè cõsolatus est. At postquam Tripolim peruenerunt, euadentes Saracenorum pericula, in manus Christianorum magis crudelium inciderunt. Comes enim Tripolitanus, cum satellitibus suis, filiis Belial, cùm debuissent confratribus suis exulibus cõpati,

A D. 1088.

quic-

quicquid illis infideles dimiserant abstulerunt, solo nomine Christiani. Accidit autem propter huius crudelitatis excessum, vt cùm mulier quædam paruulum suum gestaret in humeris, & sacrilegi illi auferrent, quæ pro se & filio nutriendo reliquerant Saraceni: nulli enim parcebant sexui, vel ætati, aut cõditioni, quin omnia scrutarentur: supra modum animæ perturbata, & spiritu tristitiæ & desperationis absorpta, in marinas lecit vndas filium ex se natum. Prædictus verò Saladinus *Ascalonam* rediens, cum hac conditione ciuitatem per deditionem accepit, vt Regem Ierusalem & Magistrum Templi, quos captiuos tenebat (*supra v. cap.*) & quosdam alios, libertati donaret.

CAP. VII.

Continet lamentationem super amissione Ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

ADan auditus est fremitus equorum: à voce hinnitituum pugnatorum commota est omnis terra: & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius; vrbem, & habitatores eius: dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectionem populi mei? Adesset vtinam *Ieremias*, fidelis aliquis Christianus, sanctificatus in vtero matris Ecclesiæ, datus Propheta ad diros casus, diraq; scelera complorãda, qui lamentabiles trenos componeret, qui amaro animo eiulans suspiraret. *Quomodo sedet sola ciuitas?* non iam lapidea, sed Ierosolymitana Ecclesia: *plena populo alieno*: nunc magis quàm proprio. *facta est quasi vidua Domina gentium*, in prælio eius præsule vulnerato, & Rege carceri mancipato. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*; vtinam auri, & non delicti! Indè est quòd *non inuenitur, qui consoletur eam ex omnibus karis eius*: indè est quòd omnes *amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici*: quia meritò iniuriam patitur a creaturis, qui contumeliam ingerit Creatori. Iam & illud completum est: *Viæ Syon lugent: eò quòd non sit, qui veniat ad sollemnitatem*; sed magis ad vanitatem. Et illud quoque: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, vt cadat à solio dignitatis, quæ videbatur fundata super firmam petram: Et de inertia sacerdotum dicentium, *Pax, pax; cùm non esset pax*: audire poterant: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent*: de quibus iterum dicitur. *Quomodo obscuratum est aurum*: Clerus videlicet, qui prius sapientiæ splendore fulgebat. *Mutatus est color optimus*, in exemplis; & qui in dedicatis DEO locis quasi *lapides* pretiosi contineri solebant, *dispersi sunt*, quasi vagabundi, *in capite omnium platearum*. Sed ne hiis monachi vel religiosi insultare præsumant, audiant quid in sequentibus de ipsis dicatur: *Candidiores Nazarei eius niue*: propter castitatis lilium. *Nitidiores lacte*: propter dulcedinem lachrymarum. *Rubicundiores ebore antiquo*: propter longam carnis macerationem: *Saphyro pulchriores*: ob serenam meditationem, & cœlestium contemplationem. Consequenter verò, non sic: sed *denigrata est super carbones facies eorum*, quia occupata sunt corda eorum accidia, & cogitationibus suis malis. Vndè & *non sunt cogniti in plateis*, quas frequentant, quemadmodum seculares secularia pertractantes. *Adhæsit cutis eorum ossibus; aruit, & facta est quasi lignum*: quia pro eo quòd se non reficiunt sacris lectionibus, in modum ligni aridi desiccati sunt ab humore spirituali; & ideò non referunt fructum, nihil præter habitũ habentes de vita monastica. Propter hæc omnia *complenit Dominus furorem suum, & effudit iram indignationis suæ, & succendit ignem Dominus in Syon*: non qui super Apostolos de cœlo descendit; sed qui pueros Iob consumpsit.

Ier. 8, 16. 18. Ier. 9, 1. Lam. 1, 1. &c. Ier. 6, 14. Lam. 2, 14. Lam. 4, 1. Lam. 4, 7. &c.

CAP. VIII.

Continet qualiter Tyrum Saladinus obsedit.

VIII. POstquam victor intumuit, ad *Tyri* obsidionem transiit *Saladinus*. Erat autem tunc in ciuitate strenuus vir, *Conradus Marchio Montis-Ferrati*. Nam eadem vt dicitur die, quâ Christiani corruêre in bello prædicto, ipse de Constantinopoli veniens, nauigio ad ciuitatem applicuit. Hic, cùm defensionem promitteret ciuitatis, si post liberationem, eius dominio subderetur; à cunctis ciuibus, ciuitatis casum formidantibus, illi gratiosè offertur. Cœpit proindè ad se suaq; tuenda non segniter agere; sed vndiq; ciuitatem munire, confortare ciues, & pro tuenda libertate

ad probitatem inducere vniuersos. Aduenientes autem *Saladinus*, & scorsum à suo exercitu positis Christianis, vt eorum, qui in ciuitate erant paterent obtutibus, ad *Conradum* transmisit nuntios: quòd si ciuitatem redderet, patrem quem tenebat restitueret, & multis remuneraret thesauris: Quo renuente, à Ptolomayda xxiv. galeas, iussit procedere ad ciuitatis Tyrensis offensam, marisq; custodiam, vt victualia & omne auxilium prohiberent: xxiv. quoq; machinas erexit offendentes continuè ciuitatem. Christiani tamen bellatores, quotidiè bis vel ter, ductore quodam Yspano strenuo milite, contra hostes faciebant insultus; stabantq; Saraceni, cùm exirent, attoniti super illius militis probitate, quem *Guerçium* militem vocabant. Marchio verò vasa nauigabilia sic composuit, quòd propè terram poterant nauigare, & cooperti homines per feneſtras paruulas, alios sagittabant, galeæq; ad ea appropinquare non poterant. Contigit quoq;, vt quidam iuuenis, cuiusdam *Admirati filius*, offenso patre, ad ciuitatem concurreret, peteretq; Baptismum: huius nomine scriptam litteram cum spiculo Marchio transmisit ad hostes: in qua iuuenis Saladinũ salutabat vt dominum; asserebat deindè ciuitatis nosse statum, & nocte sciret fugere Christianos; & si hiis non credebat, nocte ad portum faceret obseruari. Ille tenore litteræ delectatus, galeas bonis replet hominibus. Marchio verò ad muros diligentem ponens custodiam, sed quietam, à barbacanis cũctos summouit: vniuersos autem armatos ad portũ currere iubet, catenâ portus depositâ ad cautelam. Saraceni verò hoc sentientes, fictionem reputant veritatem, & portum intrare festinant: postquam verò aliqua intrauêre nauigia, eleuatur catena, trucidantur, qui in nauigiis erant; & armantur sollemniter Christianis, tam acquisita quã habita priùs nauigia, & inuadunt alios fugientes. Audiens verò Marchio, quòd omnia barbacana essent à Saracenis repleta, illò properat, portas ciuitatis aperit, & obuiã illis processit: continuoq; Saraceni expulsi sunt: & vltra mille, aut vulneribus aut præcipitio perierunt. Videns autem Saladinus se terrâ mariq; superatum, indoluit: obsidionem vltrà prohibuit: in vespera galeas suas & machinas igne combussit, indeq; recessit.

CAP. IX.

Continet qualiter ciuitates Tripolitana & Antiochena, cum quibusdam fortilitiis, à Saladini impetu præseruatæ sunt.

IX. POst hæc Saladinus non segnis nec piger, vsq; *Tripolim* pertransit, & comiti mandat Tripolitano, vt secundùm sibi præstitum iuramentum, ciues sub se iurare faciat. Requisiti super hoc ciues, dum formã petunt præstandi iuramenti, tempus in crastinum protelatur: & summo diluculo Comes ille infelix, diuinitus reperitur extinctus; & circumcisionis in eo inuenta sunt stigmata, quam recẽter susceperat: Habebat & iuxta se Saladini sigillum; & quòd vellet ciuitatem Saladino tradere, aliqui ex eius familia retulerũt: successitq; illi filius Antiocheni Principis *Raymundus*. Videns igitur Saladinus ciuiũ multitudinẽ cum illis, qui illuc confugerant, pro ciuitatis defensione paratã, putans etiam faciliùs eam aliàs, si aliis munitionibus occupatis opportuno rediret tempore, obtinere, discessit. Nolebat enim illic ampliùs immorari, eò maximè quòd Rex Siciliæ *Guilielmus* quendã principẽ valdè potẽtem cum lxx. galeis transmiserat, postquã lamentabilẽ casum regni Ierosolymitani audierat, ad partes reliquas præseruandas; quingentos quoq; milites, & trecẽtos Turcopolos, & victualia etiam copiosè. Pergens igitur versus Antiochiam Saladinus in impetu spiritus sui, se suosq; ad eradicandũ indè Christianos perurgẽs, ad milliaria decem *Tortosam* ciuitatẽ obsedit: & illuc *Guidonem* Regẽ Ierusalẽ, alios q; milites decem, antè se duci præcepit: Regina enim, Guidonis cõsors, de Tripoli ad Saladinũ transmiserat, vt sibi quæ in Ascalone promiserat pacta seruaret; misitq; Reginæ Regem; *Conrado* domino Tyri, Comitẽ patrẽ: liberauitq; Magistrũ Templi, Conestabulũ regni, & Marescalcũ, & alios. Videns autẽ *Saladinus*, quia circa Tortosam nihil proficeret, processit ad quinq; milliaria; & cœpit *Valaniã* & destruxit eam: quia erat propè castrũ Margath, in monte situm: & indè procedens ad quinq; milliaria, cœpit ac muniuit *Gibel*; & dimissâ Lizâ, processit ad obsidendum castrum, quod vocatur *Arx Guilielmi*, in districtu Antiocheno: & infra trium mensium spatium, totum Antiochenum obtinuit principatum, excepto castro inexpugnabili domini Patriarchæ, quod *Cursariũ* dicitur, & ciuitate Antiochiæ: à qua, receptâ multâ pecuniâ à domi-

domino Patriarcha, receſſit ad tempus, ſperans quia circumquaq; munitionibus occupatis ciuitas diu perdurare non poſſet. Subiecit itaq; ſuæ dominationi, in principatu Antiocheno, ciuitates & oppida xxv. & vltra.

DECIMA PARS, CONTINET SVCCVRSVM TERRÆ SANCTÆ AB OCCIDVIS REGIONIBVS EXHIBITVM, TEMPORE Saladini: habens capitula IX.

CAP. I.

Continet miram commotionem Occidentalium populorum: ac ſollicitudinem ſummorum Pontificum ad Paſſagium ordinandum.

VM fama excidii populi Chriſtiani orbem replet, in totis Occiduis regionibus nihil audires præter carmen lugubre, lamentationes, & vhe. Cuncti enim fideles animo proſternuntur; & excoqui cordis dolore ſaucii, quaſi ligna arida aut lapides riguerunt. Delatâ verò re tam lugubri *Vrbano Papæ III.* præ cunctis amarè fleuit ſuper excidio Terræ Sanctæ & populi Chriſtiani: dira quoq; pertrahebat lamẽta, quòd ſuis temporibus Orientalis Eccleſia inſanabilem paſſa eſſet iacturam: quòd pretioſum ſalutiferæ Crucis vexillum, per hoſtes Crucifixi Domini, captum detineretur ab eis: quòd canes illi immundi Terram Promiſſionis conculcarent, & loca ſancta omnia prophanarent. Ad cumulum quoq; malorum ſimultas orta fuerat, inter *Henricum Frederici Auguſti* filium, quem Italiæ pater præfecerat, & Papam. Acceperat enim ille in coniugem *Conſtantiam* filiam *Rogerij* primi Regis Siciliæ, de quibus natus eſt *Fredericus Secundus.* Propter diſcordiam autem illam, Papæ apud Veronam morati, quoquam progredi facultas negata eſt. Sed deindè maturato negotio Ferrariam vſq; proceſſit; ibiq;, cùm receptis tam diris nuntiis, animi conſternatione langueret, febrẽ incurrens, non multò poſt, partim langore febrili, partim tædio negotii tã amari, vitâ functus eſt. Huic ſucceſſit in põtificatu vir omni acceptione dignus *Gregorius VIII.* ſcientiâ & facundiâ clarus; puritate quoq; & integritate animi clarior, ad Terræ Sanctæ ſuccurſum totus accẽſus. Sed tamen decorus flos mox in ortu ſuo exaruit, apud Piſas poſt duos menſes ſepultus. Poſt hunc *Clemens Papa III.* illi ſuccedens, cum vniuerſo fratrum ſuorum Cardinalium cætu, ad tranſmarinorum fidelium ſucurſum, qui pauci valdè velut oues remãſerant inter lupos, totâ intentione, ſollicitus monet & inducit, inuitat & obſecrat Reges fideles, Principes & Barones, ac vniuerſum populum Chriſtianum, in remiſſionem eis omnium peccaminum, iniungendo quatinus CHRISTI Eccleſiæ, & Ciuitati redemptionis noſtræ, induti virtute ex alto, celeriter mittant auxilium, & impigrè ſuccurrant: nec eſt tempus ingratitudinis, vbi furor tam ſæui turbinis, Orientales ſtrauit Eccleſias. Animantur propterea Prælati, Principes, maiores & medii, Crucis ſignum ſumunt in humeris, ſe cuncti mutuò incitant, ſe inuicem prouocant vniuerſi ad præbendum Terræ Sanctæ ſubſidium. 1.

CAP. II.

Continet Imperatoris Romani tranſfretationem, & mortem: obſidionem quoque Ptolomaydæ per Guidonem Regem Ieruſalem.

CErtis perceptis rumoribus quòd Crucem ſumeret Imperator Romanus, Franciæ quoq; & Angliæ Reges, Prælati etiam & Barones, populiq; innumeri, *Saladino* ſolitâ prudentiâ ſagax, Ptolomaydam pugnatoribus ac victualibus affluentiſſimè munit: putans quia non poſſet alibi quàm Ptolomaydæ tanta hominũ deſcendere multitudo: ciuitati celeriter promittens ſuccurſum, ſi à Chriſtianis contingeret obſideri. Primus autem Regum properantiũ ad Terræ Sanctæ ſuccurſum fuit Imperator Romanus *Fredericus I.* cum filio ſuo duce Sueuiæ: ſecumq; traxit, vſq; ad quinquaginta millia hominum: & per terram tranſiens, vſq; *Conſtantinopolim* peruenit: tranſiensque *Brachium Sancti Georgij*, vſque Turchiam victualibus abundauit, iubente Conſtantinopolitano Imperatore. At poſtquam Alamani *Tur-* 11.

chiam ingressi sunt, dum victualia rapere improuidè ac fatuè cœperunt, retrahentibus se Turchis, ita fame & omni indigentiâ tabuerunt septimanis tribus, vt exercitus maior penè pars exstincta sit. Cùm verò intrasset *Armeniam & Salef*, parui fluuii amœnitate, vt quibusdam placet, allectus, balneo, vel secundùm alios, equo lapsus, vix viuus extractus est. Et paulò post moriens, vni ex tribus filiis quem secum habebat, exercitum commisit regendum: M. CXC. qui paruo post tempore naturali lege vitâ functus est. Papa autem *Celestinus*, prædicti Regis Frederici filium *Henricum*, Imperiali diademate coronauit. Quanta putas fecisset strenuus ille Princeps? Iam *Iconij Soldanum*, quia promissum nequaquam seruauerat, persecutus, Turchos debellauerat. Tantus terror inuaserat *Saladinum*, quòd muros Laodiciæ Syriæ, Gibeli, Tortosæ & Biblii, Beriti & Sydonis præcepit dirui: quia per partes illas Imperatorem Romanum transiturum putabat: solis munitionibus reseruatis. Iam ad Regis *Guidonis* historiam redeuntes, dicamus, quia libertati donatus, ad consortem regni, quæ in Tripoli erat accedens, indè vsque Tyrum processit: sed venienti Marchio fores clausit, & postulanti negauit introitum; suamq; non Regis asseruit ciuitatem: per ea quæ dicta sunt *VIII. cap. IX. partis.* Videns autem Rex, quia sibi in ciuitate sua non licuerat hospitari; in toto quoque Ierosolymitano Principatu, nec vnum habebat casale, vbi caput reclinare valeret: indutus verecundiâ, & pudore cõfusus, eò maximè quòd Sancta Terra Promissionis sub eius esset amissa regimine, vitâ quasi neglectâ, stupendo magis quàm imitando facto, ostendit, quia *periculosa res est desperatio.* In ipsa æstate quæ Sanctæ Ierusalem amissionem secuta est, Anno videlicet Domini M. CLXXXIX. cum admodum paucis quos colligere potuit, Ptolomaydam obsedit ciuitatem, tẽtoria sua collocãs iuxta ciuitatem in loco aliquantulum eminenti: cùm essent pro vno Christiano, in ciuitate quatuor Saraceni. Erat autem secum frater eius *Gaufridus de Lisinio*, vir animosus, & in armis strenuus, qui fratris gratiâ, cunctos Peregrinos præcesserat. Cùm verò hæc *Saladino* relata fuissent, gratias DEO dicitur retulisse, quòd Christianorum reliquias, cum Rege suo, in suis manibus cõclusisset. Satrapis quoq; cur ad prædam oblatam non festinaret quærentibus, respondit, quia venturum in proximo expectaret fratrem; & cùm res essent in tuto, differre placebat, vt lætitiæ palmæ consors fieret frater eius.

A. Dni. 1190.

A. Dni. 1189.

CAP. III.

Continet aduenientia tàm Christianis quàm paganis auxilia, & graues euentus. Rubrica.

III. FElix necessitas quæ ad meliora compellit, quæ non ad desperationis currit præcipitium; magis verò ad diuinum confugit auxilium: quia *spes*, docente Apostolo, *non confundit.* Fidentibus igitur in Domino, & in potentia virtutis eius, in auxilium properat *Imperatoris filius*, cum Alamanis prædictis. Venit quoq; nobilis vir, & in DEI seruitio probatissimus *Iacobus de Auenis* cum multitudine nauium, quas *Esueesches* appellant, adducens Flandrenses, Barbansios & Frixiones; & tempore opportuno ante Ptolomaydam sua fixit tentoria. *Archiepiscopi* quoq; *Rauennas & Pisanus* cum magno de Italia agmine Tyrum appulsi sunt. Applicant quoque illuc multi fidelium ex variis partibus orbis, & corde vno & animâ, versus Ptolomaydam properant: Tunc exercitus Christianorum ne subitos & improuisos Saracenorum pateretur incursus, fossato vndique circumducto tutior mansit. Post hæc aduenies *Saladinus* experimento didicit: quoniam semper *nocuit differre paratis*: cœpitque contra populum Christianum machinari cuncta, quæ poterat detrimenta. Multis proindè angustiis tunc afflictus est populus Christianus antè aduẽtum Regum Franciæ & Angliæ: hostis enim, & à tergo & à facie imminebat; intemperies aëris, ac pestilentia, dysenteriæ: multi inediâ coram ciuitate in sabulo peribant; nonnulli decidebant vulnerari sagittis: eorum quoque machinas Saraceni pluries combusserunt: nullâ tamen aduersitate vinci potuerũt. Igitur cùm *Saladinus* Christianos nimiis ex parte fossati vexaret angustiis, semel exierunt ad pugnam: & cùm essent Saraceni multò plures, Christianos expectare nequaquam ausi, castra sua liberè dimiserunt: ad quæ cùm peruenissent Christiani, & equus quidam effugisset domini sui manum, clamore exorto pertimuit populus sine causa, cœpitque fugere: quod videntes Saraceni resumptâ fiduciâ insequuntur audacter, à tergo sagittis equos & equites ferientes: pauci autem de nobilioribus, qui probrosum infideli-

infidelibus terga dare putabant, concluſi à multitudine perierunt: inter quos fuit *Magiſter Templi,* & *Andreas* Comes Brenenſis, cum pluribus aliis: qui verò in ciuitate erant, Chriſtianis fugientibus occurrentes, multos intergemerunt: tantaque erat gentis Chriſtianæ confuſio, tantuſq; pauor, quòd vix aliquis euaſiſſet niſi vir ſtrenuus & in armis exercitatus, præfatus *Gaufridus de Liſinio*, qui ad caſtra conſeruanda remanſerat, cum ſuis præbuiſſet defenſionis auxilium. Accidit deindè in exercitu tãta fames, vt equorum ac cæterorum mortuorum animalium cadauera manducare compulſi ſint: modius enim frumenti, qui pro medio Bizantio habebatur, LX. bizantiis vendebatur: indè factum eſt, vt fame conſtricti vſq; ad XXX. millia hominum, contra voluntatem maiorum, contra Saracenos exirent, vt vel ſic victualia poſſent habere: at Saraceni ſatis dolosè non victualia, ſimulata fugâ, rapere; ſed aurum, argentum, cæteraq; ſuppellectilia dimiſerunt: ad ſubſarcinatos autem prædictis, & multo onere prægrauatos, ſubdoli reuertuntur, & facto in eos cum clamore valido impetu, cuncti penè aut via fugiendo proſtrati, aut in mari ſubmerſi ſunt: nonnulli verò ex hiis, qui euadere potuerunt, terrore nimio in amentiam conuerſi ſunt. Illis quoque diebus *Sybilla* Regina Ieruſalem defuncta eſt: vndè ad ſororem eius YSABELLAM, vxorem nobilis viri *Henfrandi de Toroné*, regnum iure hereditario deuolutum eſt. Quod attendens *Conradus* Montis Ferrati Marchio, qui iam Tyrum occupauerat (*ſupra VIII. cap. IX. part.*) qui in ipſo erat exercitu, regnandi ambitione permotus, cum illa de facto contraxit: Et licet Peregrinis res fœda eſſet horrori, cùm maritus illius ſatis conquereretur amarè, iuſtitia diſſimulata eſt: quia non niſi à Tyro per manus Marchionis venalia haberentur: nonnullos quoq; maiorum ad ſui fauorem, muneribus inclinauit.

CAP. IV.

Continet aduentum Regum Franciæ & Angliæ: & captionem ciuitatis Ptolomaydæ.

IV. NVnc ad paſſagium Regum illuſtrium accedamus. Cùm grauis iacturæ vltramarini excidii nuntius, ad *Philippum* Regem Franciæ, & *Henricum* Regem Angliæ deueniſſet, pro ſedando diſſidio, quod inter eos erat, conuenientes, contra omnium opinionem, pro ſubſidio Terræ Sanctæ Ieruſalem & Sepulchri Domini, ſuaue iugum CHRISTI aſſumunt; multi etiam Prælati, & Barones plurimi, populique innumeri. Statuit quoq; Rex Franciæ, quòd qui crucesignari volebant, ad minus illo anno mobilium & reddituum ſuorum daret decimas: & dictæ ſunt *decimæ Saladini.* Obiit autem Rex Angliæ poſt paucos dies, cui filius *Riccardus* ſucceſſit, qui deſponſare debebat ſororem Regis Franciæ; rogauitq; propter iter vltramarinum differri vſq; ad ſuum reditum. Rex itaq; *Philippus*, ſuo prudenter diſpoſito regno in Eccleſia Sancti Dionyſii, peram & baculum, peregrinationis ſigna, ſumere non dedignans, iter aggreſſus eſt: & cum eo *Dux Burgundiæ*, *Henricus* comes Campaniæ, *Tybaldus* comes Bleſenſis, *Stephanus* comes de Sanſuerrez, *comes Clarimontis*, *comes de Ponti*, *comes Flandriæ*, *comes Sancti Pauli*, & alii. Et cùm applicuiſſet Rex Franciæ *Meſſanæ*, à Rege *Tancredo* honorificè ſuſceptus eſt. Rex quoq; Angliæ de *Maſſilia* venit *Meſſanam*, cui lætus obuiauit Rex Franciæ: & de mutua ſoſpitate non paruam lætitiam oſtenderunt. Fertur illuc vocatus de Calabria *Abbas Ioachim*, duobus Regibus de euentu paſſagii inquirentibus, reſpondiſſe: quia *nondum venit tempus Ciuitatis DEI noſtri redimendæ.* Aduenientе itaq; Martio, naues ac galeas Reges aſcendunt, cum equis multis & bellicis inſtrumentis, & copia victualium. Ad portum verò *Ptolomaydæ*, in vigilia Paſchæ, Rex Franciæ prior applicuit: vbi diu expectatus, quaſi Angelus, cũ multa lætitia receptus eſt: iuſſitq; machinas erigi; ſed diſſimulabat inſultus facere, donec Rex Angliæ adueniret: cuius aduentus vſque ad menſem Auguſti dilatus eſt. Huius dilationis cauſam aſſignant, quia mater ipſius Regina antiqua procurauit, quòd *Rex Nauarræ* daret ſororem ſuam, in ſponſam Regi Angliæ: quo obtento, mater cum hac puella deſpõſanda mittit filiam ad Regem *Riccardum*: mandans vt nequaquam ſororem Regis Franciæ; ſed hanc puellam debeat deſponſare. Et cùm ad *Cypri* Inſulam peruenirent, quam Imperator Conſtantinopolitanus tenebat, & Scapham miſiſſent ad noua aliqua perquirenda de Rege Riccardo: reſpondetur quia de Rege nullam haberent notitiam. Inuitantur autem

Dominæ vt descendant, quibus renuentibus vicarius Imperatoris galeas parari iubet: qui verò Dominas regebant, altiùs pelagizant: & quæsito Rege obuiam sibi facto, sororfratri, ex parte Reginæ matris, sponsam offert; & Græcorum iniuriam narrat. Ille fremens, *Limisso* obsidet, & obtinet: ibi equos, & multa alia conquisiuit; oblatam dominam desponsauit: & ibidem refocillatus est diebus aliquot. Illuc *Guido*, quondam Ierusalem Rex, venit illi obuiam: indeq; processerunt ad portum, qui est prope *Nicosiam*: deinde ciuitatem, totamq; insulam capit: Imperatoris vicarium in tutissimo castro obsidet fugientem, cœpitque, & cum eo consortem, & filiam, & Barones quosdam, magnosque totius Insulæ thesauros ibi reconditos pro tutela: dimissaque Insulâ sub Templariorum custodia, cum tali præda Ptolomaydam vsque peruenit. At cùm res Regi Franciæ innotuisset, dissimulatâ iniuriâ, obuiam venienti processit; & humiliter de equo dissiliens, sponsam suis brachiis de scaphâ recepit. Obsident deindè ciuitatem, ex omni parte vallantes; & totâ æstate illâ præliis intenderunt: qui enim deintus erant, non paruis viribus resistebant: petrarias enim petrariis opponebant, & aliquàndo confringebant: Igneéque Græco castella lignea magnis ædificata sumptibus incendentes, varias Christianis intulêre molestias. Cùm verò die quadam nouos & recentes pugnatores, cum armis & victualibus in naui maxima, quam *dromum* appellant, Saladinus ad ciuitatem mitteret, *Rex Angliæ* cum galeis iuxta portum occurrens, nauem sumpsit, cum maxima Christianorum exultatione; Saracenicæ verò gentis opprobrio & dolore. Inter cætera enim duo dicuntur in ea fuisse serpentes, quos in Christianorum exercitum mittere procurabat. *Rex* autem *Franciæ* diebus ac noctibus sine intermissione muros ciuitatis, turres, & mœnia immissis molaribus concutiens; machinasq;, & domos, & ædificia cuncta subuertens, requiem negabat obsessis. In assultibus verò Acon, comes *Theobaldus* Franciæ Marescalcus, comes *Clarimontis*, comes *Perticensis*, comes *Flandriæ* mortui sunt. Comiti verò Flandriæ successit *Balduinus*, filius Comitis Hannensis, postea Constantinopolitanus Imperator. Tandem videntes Saraceni ciuitatis muros confringi, nec se posse insultus Christianorum amplius sustinere, M. C X C I. x I. Iunii post decursum ferè biennium, postquam cœperat obsideri, hoc pacto Christianis ciuitatem assignant: *vt pro vniuscuiusq; Saraceni liberatione, redderetur Christianus captiuus; & super omnia Sancta Crux redderetur cultui Christiano.* Cùm verò Crucis vexillum nollet reddere Saladinus, *Rex Angliæ* medietatem captiuorum Saracenorum, qui sibi obuenerant, decapitari iussit: *Rex* verò *Franciæ* mitiùs agens, suos pro Christianis captiuis sustinuit commutari.

A. Dni. 1191.

CAP. V.

Continet conditionem maritimæ regionis: & infelicem diuisionem Christianorum Regum, ac Regis Franciæ discessum.

V. CErnès tortuosus coluber *Saladinus*, captam ciuitatem Ptolomaydam, & pugnatorum suorum multitudinem interemptam, cõsternatus est animo. Nã electos ibi locauerat pugnatores: (*11. cap. suprà:*) & diffidens cætera posse rueri, maritima loca destruxit: *Porphyriam* scilicet, & *Cæsaream*, *Iopen*, *Ascalonem*, *Gazam* & *Darum*. Post hæc, Rex *Riccardus Iopen* reædificãs, sub munita fidaq; custodia tutam reliquit. Tantus autem terror inuaserat Saracenos eorumq; Principem Saladinũ, vt facilè esset Regibus non modò Ierusalem regnum conquirere; verumetiam Saracenos vltra consuetos terminos propulsare. At humani generis inimicus, Christiani populi talibus successibus inuidens, superseminauit zizania, inter Reges zelum ac æmulationem immittens: factaq; est *rotentio inter Principes*, dum inuicem mordent, mutuò detrahunt; & *errare fecit eos in inuio, & non in via.* Lætificantur exindè Saraceni, & in spem obtinendi regni respirant: affligitur ex aduerso, multoq; pudore confunditur populus Christianus. Interea *Rex Franciæ* lecto decidit; cœpitq; infirmitate grauari: postquã verò conualuit, repatriare disponit, vt dolositatem æmulorum deuitet, vt aliqui referunt: asserêtes quòd *comes Philippus*, cum imminentem sentiret mortem, illi mandauit, vt repatriandi titulo se seruaret, quia in necem eius conspiratio facta esset; alii verò referunt, quia comitatus Flandrensis allectus cupidine: timebat enim ne inuaderetur à comite Hannensi. Igitur Baronibus cunctis valefaciês, *ducem*

Psal. 106, 40.

Burgun-

Burgundiæ constituit loco sui, illi suum committens exercitum, cum multa summa auri, & argenti, ac victualium copia: & contra omnium quasi Baronum voluntatē, ascensis nauibus, relictâ Sanctâ Terrâ Promissionis, visoq; Romæ summo Pontifice, in Franciam reuersus est. Rediit, vt placuit: sed merito transfretauit, quem DEVS duplici aquæ miraculo honorauit: quia MCLXXXVIII. cum ex defectu aquæ affligeretur, totusq; eius exercitus, quando contra *Riccardum Pictauiensem Comitem* processerat, propter fœdus aliquod violatum, subitò de terræ visceribus aqua copiosissimè emanauit, & post recessum nunquam comparuit. Sequenti verò anno *Ligerim* transire volens, astâ in flumine tentans, vadum reperit, quod est à seculis inauditum; & cum prior omnium transvadaret, inspecto miraculo, totus eum exercitus sequutus est. Quid putas fecisset Altissimus, si processisset contra populum infidelem, quando inter fideles talia operatus est? A. D. 1188.

CAP. VI.

Continet qualiter ad obsidendum Ierusalem processit populus Christianus: & cur à proposito diuertit: reædificationem quoq; Ascalonæ, & Dari.

NVntiatur deindè Regi *Riccardo*, immunitam fore *Ieruſalem*, possèque faciliter sine armorum strepitu conquiri. Vocat igitur Rex, Burgundiæ ducem, cæterosque Barones, & deliberato consilio à Ptolomayda recedentes versus *Iopen*, grauem in via iacturam perpessi sunt. Nam subsequens *Saladinus*, ad latera Christiani exercitus milites ac Turcopolos transmisit, qui sagittarum imbribus, tam equos lædèrent quam milites Christianos: donec cum multa angustia ad oppidum venirent *Assur*. Eo etiam die, Rex *Riccardus* telo sauciatus est. Posthæc Christiani, iuxta ipsum castrum in Saracenos acies dirigēres in fugā verterunt; & terga dantiū stragē non modicam ediderunt. Sed ipso die ignorante Christiano exercitu egregius pugnator *Iacobus de Auenis*, cum pluribus aliis seorsum pugnans cum multitudine populi infidelis, in medio prauæ occubuit nationis. *Saladinus* verò cum hiis qui fugæ præsidio liberati sunt, ad Ierusalem vsq; processit, ibiq; tutatus est: Christiani verò in loco dicto *Bethnoble*, inter Iopen & Ierusalem, castra metati sunt. Regi autem *Riccardo* nuntiatur ibidem, quia de partibus Ægypti, cum multis equis & camelis, victualibus cæterisq; bonis onustis, magna duceretur *caranana* ad exercitum Saladini: ille verò prædæ cupidus, non sine grandi periculo, Christianum reliquit exercitum, secum nocte trahens multitudinem pugnatorum; adduxitq; ad suos prędam cum magna lætitia. Post hæc aiunt quidam, quoniam prædicti, consilio agitato, deliberant ne ad obsidendum *Ieruſalem* hyemali tempore pergant: eò maximè quòd nullam inter Ptolomaydam & Ierusalem munitionem haberent, nisi *Iopen*, nec sine graui & manifesto periculo victualia ad exercitum deportare valèrent. Tunc, non sine multo gemitu, multisq; lachrymis, ac immensa tristicia maioris partis exercitus, redire coguntur. Alii asseuerant, dum in via procederēt, *ducem Burgundiæ* exposuisse Francis, quia ibi erat flos militiæ Francorum: Rex autem *Riccardus* cum paucis erat ibidem; & tamen illi tribueretur victoriæ honor: quod Francię Coronæ est opprobrium; & nunquam ab ea huius verecundiæ macula purgaretur: & dum talibus aliqui consentirent, nonnulli verò contradicerent, Franci inopinatè redeunt; Rex verò *Riccardus* similiter redire coactus est. Asserebant autem qui statum Saracenorum plenius cognouerunt, quòd exercitum illum Saladinus minimè expectasset: nec poterat inuenire qui in ciuitate remanerent eo recedente, Ptolomaydæ exemplo perterriti: cui cùm voluit auxiliari non potuit; suisq; captis, cùm potuit reddendo Crucem, auxiliari renuerit, permittēs potius trucidari. Quia verò nunc ampliùs solito, malè coëuntur Iudæi Samaritanis, Anglici certè Gallis, *dux Burgundiæ* cum gente sua Tyrum properat; & cum Marchione hyemauit ibidem. Rex verò *Riccardus* cum exercitu suo pergens, *Ascalonam* reædificauit; totâ hyeme multum laborans, multumque de thesauris suis euacuans: *Darum* etiam reædificans, munitum reliquit: *Gazam* quoque reparatam Templariis, quorum prius fuerat, tradidit conseruandam: & munitâ diligenter *Iopen*, Ptolomaydam profectus est.

CAP. VII.

Continet promotionem Guidonis ad Cypri dominium: ac iteratam Ierusalem obsidionem: administrationem quoq; regni Ierusalem Comiti Campaniæ Henrico III. delatam, formatis treuguis cum Saladino. Rubrica.

VII. CVM in Terra Promissionis sic variat fortuna vices, contra Latinos *Cypri* Insulam conseruantes, ad Regis Riccardi mandatum, (*supra cap. IV.*) Græci, conspirantes in eorum communem necem, congregati sunt. Concessâ autem diuinitus Latinis, licet paucis, victoriâ; & re gestâ Regi *Riccardo*, ac Templi Magistro delatâ, per Magistrum Templi Regi Angliæ insula resignatur, vt de ea ad libitum ipse disponat: eiusdem quoque Magistri concilio, *Guido*, quondam Rex Ierusalem, qui
A.D. 1192. terram aliquam minimè possidebat, Insulæ regnum petit, & impetrat, M. CXCII. cunctosque milites exheredatos sollicitat vt secum eant: eis enim terram diuidet possidendam: quod & factum est. Eodem anno dum nauis mercibus onusta, à subiectis *Marchionis* non paucis fuisset expoliata diuitiis, & mercatores à dicto Marchione, Tyri Domino, iusticiam peterent, protestantes *domini Arsafidarum* se fore subiectos, nihilque obtinerent; ipseque dominus eorum nuntios misisset, nihil reportâtes, semel & iterum: duos ex satellitibus suis misit, qui fictè, Baptismum suscipientes, nactâ oportunitate iniustum Iudicē peremerunt. Recepto verò huius rei nuntio Rex *Riccardus* à Ptolomayda Tyrum properat; & tertiâ die nepotem suum *Henricum Campaniæ comitem*, relictæ Marchionis dominæ *Ysabellæ*, matrimonio copulat: propter quod apud nonnullos de interfectionis illius procuratione notatus est. Facto autem vere, conuenerunt iterum Rex *Riccardus* cum suo exercitu, cæteriq́ue, communi animo ad obsidendum *Ierusalem*; & processerunt vsque ad locū *Bethnoble*: quò cùm peruenissent, Rex Riccardus mutatus in virum alterum, ait se penitus velle ad suam redire patriam: quod vt Saracenis innotuit, magnum eis gaudium attulit; & tristitiam Christianis: illos spes erigit; istos deiicit dolor & pudor, pro eo quod sublata sacrificii sui causa, tantorum laborum mercede priuari metuunt, cognoscentes quia in periculis & aduersis perseuerantia sola coronat. Recessurus itaque Rex Angliæ, *Henricum* informat ad Terræ conseruationem, promittens thesauros & auxilium transmittere: & exponenti Terræ miserum statum post eius recessum, respondit, quia treuguas cum Saladino componeret, ac in tuto eum statu relinqueret. *Saladinus* autem, sciens Regis discessum de proximo imminere, ait se nullis pactis annuere nisi Rex Anglię, Ascalonam, Gazam & Darum destruat, sicut nuper ædificauerat atque munierat: *Iopen* verò, & indè vsq; Ptolomaydam paratus erat relinquere Christianis. Sciebat enim quòd destructis munitionibus, terra plana non diu posset manere, recedente exercitu Christiano. Sic itaque treuguæ firmatæ sunt.

CAP. VIII.

Continet recessum Regis Angliæ: coronationem etiam primi Regis Armeniæ: peregrinationem Alamanorum: & mortem Saladini: administrationem quoq; terræ Sanctæ deuolutam ad Almericum Cypri Regem.

VIII. FIrmatis itaque Treuguis, M. CXCIII. Rex *Riccardus* consortem, sororem, cæteros-
A.D. 1193. que imponens nauibus, abscedere iubet: ipse verò *Magistrum Templi* alloquens, ait, se à multis non diligi, nec ad regnum suum peruenire posse, sine mortis aut captionis periculo, nisi cautè & incognitus pergat: rogat quoque per Fratres, milites suos quasi vnus ex ipsis, in galea vna, vt pericula caueat, secretò deduci: illi verò precibus eius libenter annuit. Valefaciens igitur comiti *Henrico*, cæterisq; Baronibus, consorti, & aliis nauim paratam ascendit, & indè, sero facto, galeam intrat prædictam; & vsque propè *Aquilegiam* transfretauit, nullaq; cautelâ vitare potuit quin sui proditorem, & in mari & in terra, vbique habuerit. Recuperatis igitur equis, per *Alamaniam* equitant, & *castrum* quoddam ducis Austriæ intrant: & licet antè à pluribus, & pluries fuerit molestatus, tunc, qui secum continuè fuerat ipsum prodente, captus est: custodiebatur tum vndique passus. Expoliatus igitur cunctis

rebus

rebus, *Imperatori Henrico* traditur: à quo per annum & dimidium iniustè detentus, multisq; exactionibus aggrauatus, tandem datis c c. millibus marcharum, in Angliam per mare transiit. Sequenti anno, *Boamundus* Princeps Antiochiæ pro *Leuuono domino Armeniæ*, qui eius erat vasallus, transmittit vt statuto loco ad se veniat. A. Dni. 1194. Ille causlam inobedientiæ allegat, timorē: quia priùs pro fratre suo *Rupino*, similiter Armeniæ domino, miserat; eūq; in carcere detinuerat; terram ipsius postea intrans, occupauerat ciuitates & castra. Tunc Princeps remisit, quia non duceret apparatū: & statuto die, promittunt mutuò se videre. Ad cautelam autem, dominus Armenię ducentos equestres in nemore occultat: locuturus Principi duobus tantùm sociis, relicto seorsum cum cornu *Valeto*: accessit ad locum: protractâ autem locutione, Princeps dominum Armeniæ capi iussit: *Valetus* edoctus, sono cornu edito, ad domini sui auxilium equites vocat, qui non modò eum redimunt; sed etiam Principē suosq; capiunt, & vinculis artant. Captus Princeps, ad *Henricum* terræ gubernatorem transmittit, vt ferat opem: quia non posset nisi eius auxilio liberari. Accedit ille, & cum multa reuerentia à domino Armeniæ susceptus est; totaq; patria eius voluntati subiicitur: principis duntaxat excepto negotio. Et cùm aliquandiu moram in Armenia contraxisset, petiit obtinuitq; cum Principe pacis habere colloquium. Forma fuit concordiæ: vt dimitteretur Princeps; & dominum Armeniæ ab homagio liberum faceret, fieretq; vasallus eius; & terram quam ex tunc cœperat in districtu Antiochiæ, dominus Armenię retineret: & contracto inter filium Principis, & Rupini filiam matrimonio, pacta firmata sunt. Hiis peractis, dominus Armenię *Henrico* domino suo ait, quia magnam possideret terrā, multas ciuitates & castra, & redditibus magnis affluēret, meritò proindè in Regem poterat coronari, maximè quia sibi subesset Antiochenus Princeps: & quia non poterat à nobiliori, regni susciperę diadema, rogabat eius manibus coronari: ille placidè acquieuit, *Regemq; Armeniæ* constituit. Audiens verò *Rex Arsasidarum*, quòd *Henricus* terræ gubernator ad Armenos transisset, nuntios destinauit, rogans, vt eum in suo reditu visitaret: ille annuit. Occurrit autem venienti Rex, & multo honore prosecutus est, ducens eum per districtus sui castra, & loca varia: donec ad quoddam castrum perduxit vbi erat turris alta nimis: & in quolibet merulo erant viri duo, albis induti. Dixitq; Rex hospiti suo, quòd illi subiecti nequaquam ei obedirent, qualiter sui sibi: & cùm rem esse possibilem respondisset, excreasseterq; Rex, duo illorum se continuò proiecerunt deorsum, & confracti in momento expirauerunt: dixitq; Rex Henrico terræ gubernatori, admodum stupefacto: *Si placet, vniuersos dealbatos illos, hijs conformiter, semetipsos præcipitare faciam*: at ille noluit, asserens quòd serui sui ei nequaquam taliter obedirent. Et cùm ad libitum in terra illius moram traxisset, recessurus, muneribus honoratus est. Aitq; illi Rex: *si inimicum aut insidiatorem regni haberet, ab huiusmodi seruis suis continuò interfici procuraret.* Interea *Henricus Imperator* sextus, ad Terræ Sanctæ præsidium transmittit Alamanorum multitudinem, treuguas soluī iubens. Hii cùm in partibus Tyri munitionem, quæ *Thoronum* dicitur, obsidentes, cùm ex conuentione dimissis obsessis, ab eis castrum recipere debuissent, dum nocte vnâ differunt, superueniente Saracenorum multitudine confusi recesserunt: & cùm appropinquassent *Berito*, exterriti Saraceni incolæ vrbem & munitionem reliquerunt: audientes verò de Imperatoris morte, ad propria redière. Nonnulli quoq; eorum fiduciâ prouocati; *Iopen* contra Saracenos munierunt: at Saraceni, in breui & absq; magna difficultate munitionem auferentes, habitatores eius captiuos duxerunt. *Saladinus* verò in Damasco moriturus, *M C X C VI.* ad signiferū suum ait. A. Dni. 1196. *Tu in bellis vexilla mea ferre solebas, fer nunc mortis meæ vexillum: & impositâ super lancea medietate serici panni, proclama: ECCE, REX ORIENTIS MORIENS, nihil amplius, quàm tantundem panni huius, secum de tota gloria sua portat.* Licet autem comes *Henricus* cum Regina contraxerit, & Ptolomaydæ ac Tyri dominium allectus esset, coronari tamen & Rex fieri recusauit: nam semper sicut & cæteri ad reditum intendebat. Contigit tandē vt cunctis præparatis, dum repatriare vellet, de fenestra domus suæ super fossatum ciuitatis Ptolomaydæ decidens, confractis ceruicibus expiraret. *Almaricus* autem Rex Cypri, qui Guidoni fratri successerat, A. Dni. 1194. *M G X C IV. Ysabellam* Reginam desponsauit, *M C X C VIII.* 1198 & terræ administrationem dominiumq;

susceptit.

CAP. IX.

Continet diuisionem ac schisma gentis Saracenicæ: & treuguarum reformationem. Rubrica.

IX. POst recessum Regis Angliæ & Peregrinorum, in quanto periculo remanserint Christiani in Terra Promissionis, citò eis gens impia ostendisset, nisi mortuo Saladino inimicitiæ exortæ fuissent in eis, & discordiæ valdè graues, multumq; necessariæ Christianis. *Saladinus* enim moriens XII. filiis suis terram diuisit: nullamq; terram fratri *Saphadino* reliquit, qui socius victoriarum fuerat. Hic terram propriam non habens, cum filio Saladini cui regnum Ægypti obuenerat, profectus est. Accidit verò vt prædictus *filius Saladini*, *Ægypti Soldanus*, ad venationem iens, equo præceps caderet, & periret. Tunc *Saphadinus*, terræ sumit dominium; ciuitates munit & castra; & vndique milites & armatos, magna promittens stipendia, ad se vocat. Hæc autem noua percipiens alius filius Saladini, qui *Soldanus* erat in *Damasco* & *Ierusalem*, quantum potuit coadunauit exercitum, timens ne se regnumq; suum occuper Saphadinus: quod & fecit. Et quia non modò horum duorum fratrum terras occupauit, verùmetiam omnium aliorum terras & regna, excepto regno Alapiæ: multorum Saracenorum corda commota sunt, vt in nouis rebus solet accidere. Tunc tempus aptum vindictæ obuenerat Christianis, sed nulla aderat bellandi facultas, nec audebant contra Saracenos aliquid attentare, licet pluries iniuriam passi: pro magno reputantes, vt quomodocunque inter eos viuere possent; & terræ residuum quod tenebant, vel simulatâ pace seruare. *Biblij* tamen ciuitatem & munitionem, quibusdam Saracenis, ignorante Soldano, resignantibus, hii ad quos iure hereditario pertinebat, datâ pecuniâ receperunt. Dum igitur Saraceni regnum Ierosolymitanum penè totum possident, & contra se mutuò taliter dissident; Christiani verò ex parte alia nimis afflicti, & ab inimicis vndiq; circumdati, libenter sub *Almarico* & *Saphadino* treuguas renouant, quas firmauerant sub *Saladino* rege q; Riccardo.

VNDECIMA PARS, CONTINET PASSAGIA, VARIVMQVE STATVM, AC DOMINIA TERRÆ PROMISSIONIS à morte Saladini vsque ad transitum Sancti Lodouici: habens capitula XVI.

CAPVT I.

Continet qualiter, prædicante Fulcone, multi Crucesignati vltra mare profecti sunt.

I. POST QVAM Reges Franciæ & Angliæ de vltramarinis partibus redierũt, implacabili odio mutuò se offendunt. Interea verò *Fulco*, Sacerdos quidam, in Gallia feruentissimè prædicat, eiusq; doctrina, miraculis illustrata est. Tunc multi compuncti, ad Terræ Sanctæ subsidium Crucem assumunt. *Riccardus* etiam Rex Angliæ, mente conceperat, si ablatam sibi terram à Rege Franciæ recuperare valeret, cum magno stolo terram Ægypti inuadere; eaq; subactâ, Terram Promissionis acquirere; & indè vsq; Constantinopolim pertransiens, coronam Imperii assumere: Fecit autem grande torneamentum proclamari: & multi valdè milites conuenerunt: & qui ex vtraq; parte erant omisso duello, ad Terræ Sanctæ succursum Crucem conformiter assumpserunt. Post hæc verò Rex præfatus, in obsidione cuiusdam castri spiculo balistæ percussus, apud Lemonicas mortuus est. Inter Crucesignatos fuerunt præcipui, *Balduinus* comes Flandriæ & *Henricus Dango* frater eius, Tybaldus comes Cãpaniæ, *Lodouicus* comes Blesensis, *Stephanus* comes Perticensis, *comes Sancti Pauli*, *Symon* comes Montis Fortis, *& Guido* frater eius, *Iohannes de Neele*, *Emoranz de Boue*, & tres fratres ipsius, *Renaldus Comes de Dãpiere*: alii quoq; multi. Ascendit enim numerus signatorum

torum militum vsque ad mille: prædictus quoque sacerdos *Fulco* magnam pecuniæ quantitatem sibi pro Terræ Sanctæ succursu oblatam apud Cisterciensis locauerat, quâ nulla fuit vltramarinis vtilior: eâ enim muri Ptolomaydæ ac Tyri, qui terræmotu ruerant, refarciti sunt. Prædicti itaque, ac cæteri plurimi deliberant de stolo Venetias conducendo: deindè superse eligunt *Tybaldum* Campaniæ comitem, cui omnes obediant, faciatq; iustitiam; quo in proximo mortuo, *Marchionem Montis Ferrati* illi substituunt. Multi milites in illo consortio non fuerunt, quorum aliqui per *Massiliam* transierunt. *Iohannes* verò *de Neele* & multi Flandrenses cum eo, iuerunt per mare Oceanum, & *districtum Marrachij*. Omnes igitur hii, eodem tempore iter aggressi, applicuêre Ptolomaydæ, vsq; ad milites trecentos, & cum eis non paruus populus. Tunc *Stephanus* domini Petri comes quidam, Regi Ierusalẽ suadet treuguas infringere: quia plures essent, ac sufficientes ad faciendos contra hostes insultus. Rex restatur illum non esse tanti ponderis: sed expectandi erant Barones qui de Venetiis erant venturi. Ille igitur seductis militibus vsque ad LXXX. multisq; ex populo ad *Principem Antiochenum*, qui actualem guerrã cum quibusdam Saracenis habebat, dum militaturus accedit, inter Tripolim & Antiochiam inobedientiæ suæ demerito, cum sua comitiua captus, in carcere Alapiæ vinculatus est. *Iohannes* verò *de Neele* cum Flandrensibus Massiliæ applicat: vbi recursum habuerat, dimissâ liberâ à Rege Angliæ, defuncto patre Imperatore, puellâ, quæ in Cypri Insula capta fuerat: (*supra part. x. cap. IV.*) Hæc vni Flandrensium militum nubit sperans illorũ virtute Cypri Insulam reliabere: ad *Cyprum* igitur transeunt, & *Almerico* Regi hanc esse heredem denuntiant: ille, ni citiùs abscedant, mortem comminatus est. Transeunt ergò in *Armeniam*, & *Iohanne* prædicto cum Rege Armeniæ manente, contra Antiochenos quoq; Rege associante, nõ sine multorum admiratione, cùm esset vir magnę opinionis: cęteri sagaciter ad ciuitatem Tripolitanam, vel ad ciuitatem Antiochenam se transtulerunt. Iratus enim erat *Lieuonus* Rex Armeniæ Antiochenis: quia cùm neptem suã dedisset *Boamundo*, filio Boamundi principis suprà capti, (*part. x. cap. VIII.*) & Boamundus iuuenis antè patrem mortuus sit, relicto filio *Rupino*: post mortem Boamundi principis & senioris, MCCI. nequaquam prædictum nepotẽ Principis ex primogenito; sed *Raymundum* alterum eius filium comitem Tripolitanum susceperunt in dominum: tamen MCCIII. Rex Armeniæ Antiochiam intrauit ex parte castri, & vsq; ad templum omnia cœpit, tribus diebus inibi immoratus. Barones verò, cæteriq; Peregrini qui Venetiis conuenerant in *Insula Sancti Nicolai de littore*, quæ ab vrbe vno distat milliario, dum in expensis deficiunt, cum *Henrico Dandulo* duce Venetiarum conueniunt eo pacto: vt ipse quòd in expensis deficit, suppleat; illiq; secum rebellantem Venetis *Iadriam* capiant, & deindè ad Terræ Sanctæ succursum procedant. Captâ igitur Iadriâ, dum ibi hyemare coguntur, illustris puer *Alexius*, Isaaci Constantinopolitani Imperatoris filius, cuius soror Philippo Alamaniæ Regi nupserat, ad ducẽ Venetiarum ac Barones Franciæ venit, exponẽs casum: *Quia Isaacus fratrem haberet Alexium, quem à Turchorum captiuitate, multo redemit pretio; erat q; illi in regno secundus. Reddidit nutẽ fratri, & domino pro fructu, pœnam; pro pietate, dolum. & fraude excæcato Imperatore, me heredem XII. annorum, in carcere posuit. Sed DEI nutu, de carcere eductus, vestro peto auxilio Imperium mihi restitui.* Stoli autem impensas, & ampla promisit donaria, & Romanæ Ecclesię subiectionẽ. Accesserunt quoq; instantiæ Regis Philippi prædicti, apud quẽ fuerat puer prædictus educatus, Regisq; Vngariæ. Petitioni autem, dicti Barones annuunt: eorumq; virtute Constantinopolis capitur, & puer coronatur; & antè recessum Latinorum, à tutore puer nocte suffocatur. Iteratò proinde Ciuitas capitur: & Imperii medietas obuenit Francis; medietas Venetis. Sed BALDVINO *comite Flandriæ Imperatore* creato, MCCIV. Franci partis suæ quartam ei dederunt, & Veneti similiter: vnde eis remansit quarta pars & dimidia totius Imperii. *Marchioni* verò *Montis Ferrati*, regnum obuenit Thessaliæ. Tunc completũ est vaticiniũ Babylonicę Sybillę: *Eneadũ gloria in Bizantium deducetur*: id est, Imperiũ à Roma in Bizantiũ transferetur. *Erũt q; Danai in roborẽ*, propter imperium: *delicato* propter pacem: *vsq; ad leonem*, Emanuelẽ: LX. *pedũ*, id est, annorũ: totenim annos ætatis habuit; XL. autẽ tantùm regnauit. *Donec catulos eius*, id est, filios; *vrsus deuoret*, Andronicus eorũ tutor. Hic n. Emanuelis propinquus, cùm inter Principes & Barones seditionẽ procurare inuentus sit, plurics

A. D. 1201.

A. D. 1203.

A. D. 1204.

carceribus mancipatus est. Tandem, ne pax turbetur, ad regendam Ponti regionē transmittitur. Mortuo verò Emanuele, ad Alexium puerum XII. annorum impetum defertur. Cum verò alius *Alexius*, de sanguine Emanuelis, superbè Imperium procuraret, ab æmulis vocatur *Andronicus*, qui hunc peremit Alexium; sibiq; sumpsit Imperiū & pueri tutelam, quem in mari submergi iussit. *Hinc aquila despecta, Isaac vel Isacus vrsum deuoret.* Cùm enim Andronicus, Isaacū hunc, de genere Emanuelis, interficere vellet, ipse in ciuitate factâ cōmotione, purpurâ & coronâ sumit Imperii, ac locū capit qui dicitur *Os Leonis*, vbi erant Regū thesauri: deinde Andronicū in *Blaquerna* obsidet, & vinctū ignominiosè mori fecit, ac gratiosè cunctis imperauit, coniugem accipiens sororem Regis Vngariæ, ex qua habuit Alexiū puerum qui à Gallicis & Venetis prædictum impetrauit auxilium. *Aquilam hircus*, Alexius frater eius: *obtenebret*, oculos eruendo. Cùm enim Isacus in quadam Abbatia Philippis cum paucis se recrearet, Alexius illum aggreditur, & captum exoculat: *pullum voret aquilæ*, Alexium puerum de quo præfati sumus: *fietq; potantium*, id est, Gallorum: *in aqua Adriatica*, id est, in mari Venetorum, *congregatio cæco præduce*, id est, Hērico Duce Venetorum, qui à Græcis abacinatus, quasi visum amisit: *hircum ambiget*, Byzantium prophanabunt. *Hircus*, Imperator Græcus, *non balabit Gallus*, eorum Patriarcha non cantabit: *vsq; dum LIIII. pedes*, id est, anni: *& IX. pollices*, id est menses: *semiq; prænensurati discurrant*: tanto enim tempore Latini ibi imperium tenuerunt.

CAP. II.

Continet fractionem treuguarum per Saracenos inchoatam. Rubrica.

II. AVdiens *Saphadinus* tam multos milites populosq; in Occiduis partibus crucesignari, ciuitatem Damasci diligenter munit, propter nepotem cui regnum abstulerat: *(vltimo cap. partis x.)* & Ægyptum profectus, pro terræ defensione inquirit consilium, congregatq; thesaurum. Interim *Soldanus Alapiæ*, Damascum aggreditur, cum filio Saladini qui inde expulsus est. Quo audito *Saphandinus* de Ægypto properans, obsidionem amouit. Accidit deinde vt vnus *Aegyptius Admiratus*, qui in terra Sydonis castra possidebat, ad *pyraptandum* armaret galeas: quæ iuxta Cyprū, quinque homines tantum cœperunt, in duabus nauiculis. Delatâ querelâ ad Regem *Almaricum*, ille Saphandino rem detulit: *Saphandinus* verò Admirato mandat ne treugua frangatur, vt homines reddat: ille obedire contempsit. Sed cùm xx. nauigia victualibus cæterisque ad munitionem necessariis transmitteret ad præfata loca Sydonis, Rex *Almericus* captis nauigiis, homines carceri tradidit: deindè inopinatè in vespera exiens Ptolomaydam cum tota militia multisq; pedibus, & totâ nocte perambulans, sequenti mane per terram Saracenorum discurrit, magnā prædam & vtriusq; sexus multitudinem captiuam secum adducens. Et cùm Saphādino esset delata querela, cum obiurgatione respondit, *eos talia promeruisse, nihilq; daret auxilij: ipsi se suaq; seruarent.* Audiens verò *Iohannes de Neele* cum sua comitiua treuguæ fractionem, ad loca illa libens accedit: pluries itaq; Rex exibat, multaq; lucrabatur. *Conradinus* autem, Saphandini filius, dolens de illata iniuria, odioq; permotus nominis Christiani; cum grandi processit exercitu, & propè Ptolomaydam ad vnam leucam exercitum duxit. Exierunt verò vsque ad mille milites Christiani, nec tamen in prœlio conuenerunt: illo verò recedente, cœperunt infirmari multi milites Christiani. Rex verò ad lucra impiger, nauigia parat, & illa transmittit ad
A.D.1204. partes Damiatæ: vbi, MCCIV. plurima acquisiuit.

CAP. III.

Continet debilitationem exercitus Christiani: ac formam treuguarum: mortem quoq; Almerici Regis: & consilium habitum de sponsanda puella cui regnum debetur.

III. POstquam infirmitas mortalitasque Peregrinos inuasit, in tantum diminuta est militia Christiana vt Rex quingentos milites congregare non posset. In mense quoque Septembri, conductis nauibus, repatriauit maior pars militum: *Iohannes de Neele*, *Robertus de Boues*: *Symon* verò comes Montis Fortis remansit, & *Guido* frater eius,

ter eius, qui dominam Sydonis accepit vxorem. Cernens autem Rex terram euacuatam militibus Christianis, cum Saracenis treuguas iniit. Et cùm iuisset *ad palmas* iuxta *Caypham*; piscatores verò cœpissent deauratas, quæ inibi, singulariter magnæ & sapidæ capiuntur ad foueam fluminis, & ex eis multùm comedisset, & post Meridianum somnum grauatus surgeret, ac sensim infirmitas crescceret, Ptolomaydam pergens, ibi mortuus est MCCV. Sequenti verò anno Princeps *Raymundus* cœpit Nephin & Gybeletar: quia dominus Nephin desponsauerat Ysabellam, filiam domini Gibeletar ignorante Principe, cui dictus dominus Gybeletar tenebatur homagium facere: & cùm vocatus secundùm morem Principatus venire nollet, per Curiam Principis iudicatus, & post multos labores bello superatus est: & propterea ex tunc comes Tripolitanus vtrumq; possedit. Habuit autem *Almericus* ex Ysabella Regina Ierusalem vnum filium paruulum *Almericum*, & duas filias: *Sybillam* nuptam Lieuono Regi Armeniæ, & *Melisant* nuptam Boamundo Principi Antiocheno & Comiti Tripolitano. Mortuo igitur Rege, Barones ad Reginam conueniunt: & tutor constituitur pueri atq; regni *Iohannes de Ybelyn* dominus Baruti, frater Ysabellæ Reginæ ex matre: puer autem infra breue tempus mortuus est, & post eum mater: remansitq; hæres regni, *Maria* maior eius filia quam ex Marchione Conrado concepit; remansitq; prædictus Ioannes, vt prius. Post mortẽ quoq; Regis Almerici, *Gualterus de Monte Beliart*, sponsus filiæ ipsius, ad Insulam Cypri se transfert, vt tutelam gerat heredis pueri ac regni. Demum videntes Barones regni Ierusalem, *Mariam* puellam iam nubilem, conuenientes cum Ierosolymitano Patriarcha cæteriſq; Prælatis, ac militibus, cœperunt de sponso perquirere qui sciret ac posset regni iura tueri: & tandem communiter deliberãt ad *Philippum* Regem Franciæ transmittere, qui de homine apto prouideat ad gubernandum ac defensandum residuum Terræ Sanctæ, quod remanserat Christianis. Nuntii quoq; sollẽnes ad hoc mittuntur, *Episcopus Ptolomensis*, & *Aymarus*, qui ratione vxoris dominus erat Cæsareæ, MCCVIII. Per Massiliam igitur transeuntes in Franciam, legationis causam exponunt Regi: Ille gratè receptis nuntiis celeriter ait, deliberatione prequâ se nuntios expedire. Eodem anno *ciuitas Antiochena*, ad inductionem Patriarchę, Principi rebellauit: & expulsi per Principem milites redière: Comes verò assumptis armis, de Castro descendens communitatem eiusq; auxiliarios superans, Patriarcham non dubitauit carcere includere, ibiq; affligendo perimere.

A.D. 1205; A.D. 1206.

A.D. 1208.

CAP. IV.

Continet contracta matrimonia inter Reginam Ierusalem, & Iohannem Comitem Brenensem: Regem quoq; Cypri, & Mariam Ysabelis filiam: ac fractionem treuguarum.

REx igitur Franciæ, deliberatione habitâ, respondet nuntiis, se daturum hominẽ Suriæ partibus aptum, in armis probum, in bellis securũ, in agendis prouidum, *Iohannem Comitem Brenensem*: illis non ignorantibus, quia comitatum tantum à *Gualtero* nepote teneret, qui erat in Apulia: de quo *infra cap. x.* Tum propter libertatem Regi datam contentis, pro Comite mittitur: qui Ierosolymitani regni oblationem audiens à Rege, suiq; auxilii spõsionem, gratias agit Regi: & acceptans oblata, iurat vsq; ad duos annos, quibus treugua interim perdurabat, se personaliter Suriæ partibus præsentare. Hiis firmatis, nuntiisque redeuntibus, comes Brenensis Summi Pontificis *Innocentij III.* præsentiam adiit, & postulato pro Terræ Sanctæ subsidio, nihil ampliùs quàm XL. millia librarũ Turõ. super comitatu suo, eius procuratione, à Romanis accepit: cùm verò à Rege *Philippo* recessurus esset, tantundem gratis habuit ab eodem. Multi quoq; diuites & potentes, secum transierunt: ita vt secum duxerit milites quasi trecentos. Ipsâ verò æstate quâ mare transiit dictus Comes, ex filiis Regis *Almerici* duobus mortuis, *Guidone*, scilicet & *Iohanne*, soloq; *Hugone* superstite ad quem pertinebat regnum Cypri: comitis quoq; Henrici *Maria*, maiori filia mortua, reliqua superstes *Aylysia*, eodem anno, dicto nupsit Hugoni: secundùm quod ipsorum parentes, dum viuerent, de contrahendo inter eorum heredes matrimonio, iuramento firmauerant. Duxit autem ad Regem Hugonem, dictam Ayliſiam, auunculus eius *Iohannes de Ybelyn*, & *Philippus* etiam de Ybelyn. Redeuntibus verò de Cypro Ptolomaydam dictis Iohanne atq; Philippo, treuguarum expirauit tempus. Requirit autem *Saphandinus* treuguas iterum reformari, vsq; tamen

ad beneplacitum dicti venturi comitis Brenensis: & quamuis decem casalia Christianis propinqua offerret, Magistri quoque Hospitalis & Alamanorum, cunctiq; Barones treuguas prolongare vellent: Magister tamen Templi ac prælati, licet esset vtilius, minimè assenserunt. Treuguâ igitur expirante, Christiani exierunt; & quartâ die redeuntes, nullum aut modicum habuêre lucrum. Sarraceni enim Iordanem transierant: metuebantq; nimis vniuersi, comitis *Iohannis*, & Cruce signatorum aduentum.

CAP. V.

Continet Iohannis Brenensis comitis aduentum, ac coronationem: insultum quoque Saracenorum contra Ptolomaydam: & quæ gesserunt in terra promissionis.

V. CVm igitur statutum approximaret tempus, præfatus Comes & Crucesignati milites, cæteraq; populi multitudo, *Marsiliæ* intrant nauigia: & impellente Boreâ, non Ptolomaydę, sed *ad Cayphæ* applicuêre flumen: Obuiauit autem venienti, Ptolomensis clerus populusq;, cum ingenti gaudio, in vigilia exaltationis Sanctæ Crucis: nec distulit in crastino despõsare Reginam: homagia quoque ipsâ die à
A.D. 1210. cunctis exigere *MCCX. Tyrum* deinde properauit cum Regina simul coronam accipere, præsentibus penè cunctis Baronibus & prælatis, dimissâ certâ militum quantitate ad custodiam Ptolomaydæ ciuitatis. Dum igitur coronationis sollemnia Tyri agũtur, *Conradinus* qui & *Melec Mahadan*, de quo *supra 1. cap.* fecimus mentionem, consentiente nunc patre, cum exercitu multo nimis, ciuitatem *Ptolomaydam* aggressus est; sed extra vrbem, Ptolomenses vniuersos paratos armisq; munitos inuenit. Et dum Conradinus ipse exercitui Christiano nimis appropiat, nimisq; coartat, spiculo sub aure equus illius percutitur, quod ad cerebrum vsque peruenit: vulneratus equus furibundè se iactans, eleuansq; Conradinum deiicit: & licet à circũstantibus promptè erectus fuerit, in ipso tamen casu, Turchi, *heu*, tam atrociter clamauerũt, vt Christianos omnes, subitaneus tremor concusserit. Factâ autẽ vesperâ, Conradinus cum suo apparatu regreditur. Rex verò & Regina, cæteriq;, tertiâ die peractæ sollemnitatis ad ciuitatem Ptolomaydam reuertuntur. Post reditum Rex *Iohannes*, magnum congregat apparatum, & casale refertum diuitiis, vulgariter nominatum *Iusse*, inuasit: cæteraq; multa casalia prædatus, hominum ac iumentorum copiosã adducens prædã, saluus cũ suis ad propria remeauit. Ex tunc verò, quasi obsessi essent in Ptolomayda Peregrini nunquã ampliùs exierunt, non Rex, nõ Baro, non cruce signatus: & factus est quasi popularis quilibet militaris, donec aliud venit passagium: de quo *infra cap. sequenti*. Solùm interdũ *Gualterius de Monte Beliardo*, frater matris Iohannis Regis, qui de regno Cypri ad eũ confugerat: quia de magnis pecuniis à Rege Hugone facto adultæ ætatis, requirebatur reddere rationem: cum stolo per mare ad partes accedens Ægypti, per flumen Damiatæ ascendit vsque ad oppidum vulgariter dictũ *Bore*; & cum multo lucro Ptolomaydã rediit. Eodẽ anno
A. Dni. 1214. MCCIV. *Albertus* Patriarcha Ierosolymitanus in processione mortuus est, cui successit *Rodulphus*. Agareni verò, attendẽtes quòd Rex *Iohannes* & quĩ cum eo transierant, longè quàm putauerunt inferioris essent potentiæ, satis citò post coronationem ipsius, congregato exercitu, inter cætera Christianis molesta, *castrum* firmauerũt in monte *Tabor*, nouem leucis à Ptolomayda, vt eandem ciuitatẽ amplius molestarent, vndè & ante ipsã sæpius discurrebant, Peregrini quoq; repatriabant; nec remanserunt homines multùm diuites vel potentes.

CAP. VI.

Continet congregationem Passagij generalis apud Ptolomaydam: & quæ gesserunt in Terra Promissionis Rubrica.

VI. A. Dni. 1215. COngregato ad succursum Terræ Sanctæ per *Innocentium* Papam III. *Lateranensi* concilio, MCCXV. firmatoq; statuto in prædicto *Lugdunensi* concilio edito, *de non portandis vetitis Saracenis*: potentes viri, multiq; populi crucesignantur. Sequẽti verò anno reddita est Antiochia Rupino, proditione Senescalci Antiocheni: &
A. Dni. 1217. MCCXVII. exercitus Christianus apud Ptolomaydam congregatur. Ibi fuit *Rex Vngariæ* cum Vngaris multis: ibi *Rex Cypri*; ibi *dux Austriæ*, cum Alamanorũ militũ copia; ibi quoq; *Archiepiscopus Nicosiensis*, cũ multis prælatis affuit. In profectione

verò

verò ipſorum, Patriarcha Ieroſolymitanus cum multa humilitate vexillum viuificæ Crucis aſſumpſit: reuerentiam lachrymoſam exhibente cleri ac populi multitudine vniuersâ: fuerat enim ſecta Crux cùm Saladini immineret bellum: *ſuprà part. v. cap. xv.* reſeruata autem, nunc contra aduerſarios deportatur. Sentientes autem impii Agareni exercitum Domini ordinatè per *planum Fabæ* procedere, & montem Gelboe vſque Bethſan pertranſire, cuncti fugerunt, relinquentes terram vaſtandã liberè exercitui Chriſtiano: qui in vigilia Sancti Martini, ad fluenta *Iordanis* peruenies, fuiſq; lotis corporibus, biduo recreatus eſt. Viſitatis deindè locis Sanctis, vbi ſteterunt pedes Domini, ad *Bethſaydã* peruenitur ciuitatẽ Andreæ & Petri. Deindè primâ Dominicâ *de Aduentu*, inſultũ faciunt, in caſtrũ (*ſuperiori capitulo*) ædificatũ in monte Tabor: & inter cæteros Rex Ieruſalem maximè vrget hoſtem, vbi & Admiraldum quendam proſtrauit: ſuperueniente autem nocte, inglorius deſcendit exercitus. Multa ex tunc à latrunculis, & aſperitate hyemis paſſi ſunt, maximè in vigilia Natiuitatis Domini: plurimi verò captiuorum vtriuſq; ſexus baptizati ſunt. Poſt hæc exercitus Domini quadrifariam diuiditur. Reges enim Vngariæ & Cypri, Tripolini profecti ſunt: ibique *Rex Vngariæ* breui tempore immoratus, cum magno damno Terræ Promiſſionis abſceſſit; Peregrinos, dextrarios, iumenta, & arma cum galeis ſecum trahens: licet à Patriarcha priùs monitus, & tandem cum ſua ſequela excommunicationis vinculo innodatus. Alia pars timidorum & effœminatorum, remanſit Ptolomaydæ. *Rex* verò *Ieruſalem*, & *dux Auſtriæ* cum Hoſpitalariis Sancti Iohannis, & prædictis Prælatis ac quibuſdam aliis, celeriter & vtiliter caſtrum Cæſareæ firmauerunt. Templarii verò, auxiliantibus Peregrinis, & Hoſpitali de domo Theotonicorum, caſtrum, quod priùs dicebatur *Filij DEI*, reædificauerunt, & *caſtrũ Peregrinorum* vocant: ibi in foſſionibus ignota moneta inuenta eſt, Peregrinorum labores & ſumptus alleuians. Venerunt autem, in Martio anni ſequentis, *Cogones* ex prouincia Colonienſi, & alii: apparuerat enim in dicta prouincia, ſextâ feriâ ante Pentecoſten, cùm prædicaretur Crux, ipſius crucis triplex forma in aëre: Vna candida, verſus Aquilonem; alia conſimilis, ad Meridiem; tertia medio colore colorata, habens Crucis patibulum, & figuram hominis crucifixi eleuatis brachiis, cum infixione clauorum, & capite inclinato, media inter illas. In alio loco, in villa *Frixiæ*, tempore prædicationis Crucis apparuit iuxta ſolem crux cærulei coloris. In dioceſi etiam *Traiacenſi*, in villa *Doctum*, apparuit crux alba & magna, ac ſi trabs ex aduerſo trabis artificialiter eſſet compoſita: & mouebatur ab Aquilone in Meridie. Tunc firmatum eſt per ſummum Pontificem de tranſmittenda in Ægyptum militia Chriſtiana.

A. Dñi. 1218.

Cap. VII.

Continet Damiatæ obſidionem, æmulationem quoq; inter Legatum & Regem & amiſſionem ciuitatis Sanctæ Ieruſalem.

VII. A. Dni. 1218.

PRofecturus in Ægyptum exercitus Chriſtianus, apud *Caſtrum peregrinorum* conuenit *M CC XVIII.* de Menſe Madii, illic paratis nauigiis: & multi quidem naues aſcendentes, proſperis ventis ad *Damiatæ* portum die tertiâ peruenerũt. quidam verò Capitanei, & Capitales, in dicto caſtro tardantes, & qui Ptolomaydæ remanſerant, mutato tempore, eos ſequi minimè potuerunt. Interim exercitus Capitaneũ ſibi elegit *Comitem de Saroponte*; & ad portum Damiatæ applicans, hoſtilem terram inuadit antè Regis & cæterorum aduentum: & fecit Dominus aquam fluminis dulcẽ, quæ mari iungebatur. Tunc multi Barones de Francia, magnuſq; populus cœpit confluere. Rex etiam cum reliqua parte exercitus, venit ad locum. Superuenit & Legatus *Pelagius*: & cum Rege, qui priùs exercitui dominabatur, colloquium ſuæ auctoritatis habuit, allegans quia ipſe deberet exercitui præeſſe: quia & Paſſagium eſſet per Eccleſiam ordinatum; & Cruceſignati ad ſuum regimen pertinerent: *Rex* verba diſſimulans, pro domino ſe gerebat. Ad hæc exercitus diuiſus eſt in conſiliis quoq; vnuſquiſq; non veritatem, ſed affectionem ſui Principis ſequebatur. Obſidentibus autem Chriſtianis ciuitatẽ, *liber* quidã Chriſtianis apparuit, Arabicè ſcriptus: cuius auctor Chriſtianum, Iudeũ, vel Saracenũ ſe eſſe negat: in quo & quę Saladinus contra Chriſtianos geſſit, & quod capienda eſſet Damiata continebatur: dicebat etiam quendam Chriſtianorum Regem Nubiarum, Mecham ciuitatem de-

bere destruere, & ossa Mahumeti dispersa proijcere. Fuit & in ipsa obsidione *Angelicus vir Franciscus*, qui gratia prædicandæ fidei, & desiderio martyrij, ad partes infidelium iam tertio festinabat. Dum igitur se Christiani pararet ad pugnam, Christi seruus vehementer ingemuit, dixitq; socio: *Si belli fuerit hac nocte congressus, non cedet prospere Christianis.* Ille cognoscens in Sancto vere Spiritu Prophetiæ, suadet vt exponat periculo Christianis. Tunc exiliens Christi præco, salutatis monitis Christianos aggreditur: prohibet bellum, denuntiat casum, fit veritas in fabula, conterritur Propheta, indurauerunt cor suum, & noluerunt reuerti. Igitur pugna committitur, & bellatur: tota in fugam conuertitur acies Christiana, finem belli opprobrium regerens non triumphum. Eodem anno, *Hugo* Rex Cypri, in ciuitate Tripolitana defunctus est, relinquens paruulum filium *Henricum*, nouem mensium, & duas filias. Vna nupsit *Gualtero* comiti Brenensi, altera *Ysabella*, filio Principis Antiochiæ. *MCCXIX.* A. Dni. 1219. *Corrandino Ierusalem* capitur, muri & omnia prosternuntur: excepto templo Domini & turri Dauid. De Sepulchro Domini destruendo Saraceni consilium habuerunt, & litteris comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ ad solatium eorum transmiserunt: nemo tamen ponere manum præsumpsit, propter reuerentiam loci. Vnde & in *Alcoranno* continetur, quod credunt IESVM CHRISTVM de Maria Virgine conceptum & natum, Prophetam & plus quam Prophetam, sine peccato vixisse, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, Verbum & Spiritum Dei, & viuum ad Cœlos ascendisse. Vnde & sapientes eorum, quando tempore ueuguarum ascendunt in Ierusalem, codicem Euangeliorum sibi postulant exhiberi, & osculantes venerantur, propter mundiciam quam CHRISTVS docuit, & maxime propter Euangelium illud. *Missus est Gabriel Angelus.* &c.

CAP. VIII.

Continet Damiatæ captionem: celeremq; lapsum populi Christiani in vitia & peccata.

VIII. ACcidit autem hyeme per ora, cruraq; populi pestilens morbus, in tantu seuiens vt multi perirent: indeq; ad Damiatę incolas pertransiit. Studet proinde *Soldanus* succurrere ciuitati; & primò quidem nocte per fluuium transmittebat *refelulas*, leues consutas in cotijs & ceratis: Christiani hoc aduertentes, funes per transitum fluminis posuerant, tintinabula apponentes: cùm verò prædicta descendebat, rapiebãtur à Christianis in præparatis nauiculis. Secundò Soldanus, abiectis equorum & camelorum viceribus, pannis circumuoluta cibaria imponebat; & cum ceteris cadaueribus per fluuium abire sinebat: qui verò in Damiata erant, fictionis nõ ignari, descendentia cadauera ad se trahebant. Id autem Christiani aduertentes, omnia perscrutantur. Tertiò, eligit trecentos agiles Saracenos, qui nocte per castra Christianorum panes & leuia cibaria transportarent: & solis quatuor trãseuntibus, ceteri fuêre mortui vel capti. Ex tunc Christiani machina continuè ad magnam turrim anguli percutientes, ita laxatam turrim aspexerunt vt aliquis indè posset trãsire: nec per intrinsecos succurrebatur in aliquo. Accidit quoque serò, tempestuosum tẽpus ac tenebrosum valdè: tunc quidam Christianorum, paratas scalas ad mœnia erigunt ciuitatis: post hæc turrim ascendunt, & neminem reperiunt: & redeuntes hæc Regi annuntiant. Rex verò, Legato & concilio refert, quòd possit ad libitũ capere ciuitatẽ: relatio cunctis placuit; & iubentur omnes arma capere, tẽpore opportuno. Rex igitur, nocte transmittit milites & armatos, qui turrim possint egregiè defensare. Illucescente verò die, erecto vexillo Regis Ierusalẽ super turrim, acclamauerunt qui deintus erãt, implorantes diuinũ ac Sancti Sepulchri auxilium. Tũc clamor inualuit in exercitu Christiano; & ad scalas plurimi cõcurrentes, & in ciuitatẽ descendentes, aperuerunt ianuas ciuitatis. Intrauit plenitudo gentium, & ciuitas capta est Nonis Nouembris, *MCCXIX.* A. Dni. 1219. per annum & septem menses prius obsessa. Vtinam attendissent possessores potius quam victores, vt victoriã sibi aferi cernerẽt Creatori, quia non affuit deditio; non cũ tumultu violenta prædatio: sed & Soldanus castra sua coburens quam confusus abscesserit: ciuisq; spolijs ditatus sit populus Christianus. Capti quoque fuerunt vsq; ad xxx. millia Agarenorum; & innumeri pestilentia & fame consumpti. Missis quoque quasi mille viris ad explorandum, *Tamphus*, Sataceni ponte castrum dimiserunt, quo nullum posse securius inueniri. Sed qui talia munera receperunt de manu Domini, cito obliti sunt mandatorum

torem eius,& receſſerũt de via quam oſtenderat eis DEVS: Ita vt ſanctiſſimus Pater *Franciſcus*, multiplicari cernens homicidia, adulteria, furta, indè receſſerit: quia nolent ad DEVM conuerti eius monitis & exemplis. Libet huius Sancti præconio inſudicum immorari. Vt enim Soldani Babyloniæ poſſet adire præſentiam, multis ſe periculis conſtanter expoſuit. Exierat enim à Soldano crudele edictum, vt *qui Chriſtiani caput afferret, bizantium aureum pro mercede reciperet*: at intrepidè CHRISTI miles, in caſtris hinc indè in campo locatis, iter arripuit, mortis pauore non territus, ſed deſiderio prouocatus. Procedente itaque eo cum fratre illuminato, viro vtique luminis & virtutis, occurrerunt ſatellites Saraceni, & ſeruos DEI feraliter comprehenſos, crudeliter & contemptibiliter contractarunt, afficientes conuitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligãtes: adductos quoq; coram ſe Soldanus interrogat, *à quib⁹, aut ad quid, aut qualiter miſſi eſſent*. At CHRISTI ſeruus Frãciſcus intrepido corde reſpondit: *ſe miſſum non ab homine, ſed à DEO; vt ei & populo ſuo viam ſalutis oſtenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis*. Tantâ verò mentis conſtantiâ, tantoq; feruore Spiritus prædicto Soldano prædicauit trinum vnicumq; DEVM, & Saluatorem omniũ IESVM CHRISTVM, quòd Soldanus admirandum in viro DEI feruorem conſpiciẽs & virtutem, libenter ipſum audiebat, & ad moram ſecum contrahendam inſtantiùs inuitabat: at ille ſuperno illuſtratus miraculo: *Si vis*, inquit, *cum tuo conuerti populo ad CHRISTVM, ob ipſius amorem vobiſcum libentiſſimè commorabor: quòd ſi hæſitas propter fidem CHRISTI legem dimittere Mahumeti, iube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar: vt vel ſic cognoſcas, quæ fides verior & certior ſit tenenda*. Ad quem Soldanus: *Non credo quòd aliquis de ſacerdotibus meis, ſe vellet igni propter fidem ſuam defenſandam exponere, vel genus aliquod ſubire tormenti*. At vir Sanctus ſubintulit: *Si conuerſionem promittis, ignem ſolus intrabo: & ſi combuſtus fuero, meis aſcribabatur peccatis: ſin autem, CHRISTVM, DEI virtutem & ſapientiam, verum DEVM, & Dominum cognoſcatis*. Soldanus optionem hanc accipere ſe non audere reſpondit, quia ſeditionem populi formidabat. Obtulit autem ei multa munera pretioſa, quæ paupertatis amator ſpreuit omnia quaſi lutum: ex quo *Soldanus* admiratione permotus, maiorem erga ipſum deuotionem concepit: rogauitq; famulum CHRISTI vt prædicta ſuſciperet, pro ſalute ipſius, Chriſtianis pauperibus & Eccleſiis eroganda. Ipſe verò, quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit: Et cùm ad conuerſionem gentis illius nihil proficeret, ad partes fidelium, Diuinâ reuelatione commonitus, remeauit; priuilegiato conſecrandus Martyrio paſſionis & vulnerum IESV CHRISTI.

CAP. IX.

Continet incidentia quædam: confuſionem populi Chriſtiani: & Damiatæ amiſſionem.

AVditâ captione Damiatæ, *Georgiani* ſcripſêre victoribus: turpe eis eſſe, niſi & ipſi Damaſcum, vel alium famoſum locum virtute acquirãt armorum: Scripſerunt & *Conradino*: vt ſuprà *cap. III. part. VIII.* Eodem anno quo capta eſt Damiata, *Raymundus* à *Rupino* Antiochiam recuperat, proditione Guilielmi Farabel. *Rupinus* expulſus ad Lictionem Armeniæ Regem, matris auunculum confugit, immemor iniuriæ qua ipſum de Antiochia expulit. Ille infirmus, continuoq; moriturus, filiáq; ſub *Conſtantis* conſanguinei ſui, viri multùm diuitis, tutela relinquens, nepotem abiicit: qui ad Legatum Damiatę ſe contulit; & pro Antiochia & Armenia recuperãda, pecuniæ, & gentis bellicæ auxilium petit, & impetrat. Ille in Tharſo receptus, a Cõſtante capitur, & carceratur, ibiq; moritur. Audiens quoq; & *Rex Ieruſalem* Lieuonis mortem, Chriſtianis relictis caſtris, ſub ſpe propinqui reditus, Ptolomaydam profectus eſt: Volebat enim ratione vxoris, Armenię regnum ſibi acquirere: ſed cõfeſtim illa infirmatur, & moritur: & infra dies XV. moritur paruulus eius filius, qui quatuor tantùm erat annorum. Interim verò MCCXX. *Conradinus* Princeps Damaſci deſtruxit caſtrum Saphet. Superuenerunt quoq; de Italia multi Peregrini ad exercitum Damiatæ. Et eodem anno, *Tartari* Georgiam vaſtare cœperunt; deinde intrauerunt maiorem Armeniam, vbi eſt mons *Ararath*, vbi requieuit archa Noë: in cuius radice eſt prima ciuitas, quam ædificauit Noë, contra quam fluit fluuius *Ar-*

IX. A Dni. 1220.

rosis qui fluit per medium *Mongan*, vbi sunt in hyeme Tartari, vsq; ad *mare Saluaticũ*. Nunc ad historiã redeuntes, dicamus quòd *Legatus* de Damiata processit vlteriùs: qui verò ex parte Regis Ierusalem erant, illi denuntiant quia per hoc illi honor & dominium demitur: ille iter accelerat, & iam exercitus extra pomeria ciuitatis castra locauerat; vixq; obtinuit diebus quatuor expectari. Quintâ die iter assumunt, & per ripam fluminis ex parte Damiatæ equitant; & iuxta eos ipsorum nauigia cũcta necessaria portant: nulloq; prohibente, venit ad locum vbi *ramus Tampneos* à ramo *Damiatæ* diuiditur: de quibus *lib. 1. part. 1. cap. 11.* fecimus mentionem. In sectione igitur duorum fluminum, castra metati sunt; castraq; ex vtraq; parte foueis munière. Iam *Saraceni* ex vlteriori ripa fluminis, à captione Damiatæ, citrà & ipsi castra metati sunt, multa habitacula construentes: ædificatam quoq; ciuitatem, *nouã Damiatam* vocauerunt. Igitur cùm Christiani ibi quasi per mensem mansissent, nihilq; agerent, victualium metuentes inopiam: quia Saraceni de tertio ramo, qui *Rosith* dicitur, per caliginem vnum, i. alueum, quo terram rigant, galeas ad ramum Damiatę induxerant, prohibentes ne Christiano exercitui victualia portarentur; habitâ deliberatione, eligunt secretò redire, & de serò castra mouerunt. Hoc non latuit Saracenos, sed totâ nocte sagittis afficiunt populum Christianum; sic coercentes fluxũ aquarum, vt summo manè, postquam per tres leucas processerant, se inuenirent aquâ præuentos; minimeq; progredi valerent: quin etiam multorum tangebat genua, amissaque sunt victualia & suppellectilia vniuersa. At qui in ira non continet misericordias suas, Deus, facto dixisse videtur de exercitu Christiano: *Si populus meus audisset me, si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitã inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Et quia non arguit in furore, gratiam contulit vt in tanto discrimine, vsque ad annos octo treugnas firmarent, saluis Christianorum personis, & rebus: redditisq; captiuis, siue in fortia essent soldani, siue eius filii Conradini: Insuper adiectis victualibus & conductu. Christiani verò *MCCXXI.* reddiderunt Damiatam, cunctosq; captiuos. Per Christianos autem mensibus tantùm octo Damiata retenta est.

Psal. 80, 11.

A.D. 1221.

Cap. X.

Continet affectuosam sollicitudinem summi Pontificis & Cardinalium, ad Terræ Sanctæ succursum: translationem quoq; regni Ierosolymitani ad Conradum, Frederici Imperatoris filium.

X. RElignatâ Saracenis ciuitate, vniuersi *Ptolomaydam* profecti sunt, exceptis paucis Peregrinis ad Italiã proficiscentibus, & Magistro Alamanorum: qui in Apulia Imperatori, deindè summo Pontifici Christianorum casum exposuit. Quo audito *Papa Honorius III.* amaro corde suspirans, *Imperatorem* ad se vocat: Illeq; festinus accessit: & simul cum Cardinalium cœtu, deliberant quid facto opus sit: tandẽ in hoc conueniunt, vt Rex Ierusalem, Magistri quoq; Hospitalis & Templi accedant, vt cũ eis deliberent quid commodiùs agere valeant in auxilium Terræ Sanctæ. Tũc Imperator in Apuliam rediens, pro eis, quatuor transmisit galeas: & Magistro Templi pro se alium transmittente, Legatus prædictis sociatus est. Imperator verò cum magno honore, sumptibusq; ad summum eos deduxit Pontificem, *MCCXXII.* Et cùm pro auxilio Terræ Sanctæ verba hinc indè varia mouerentur, tandem conueniunt vt Imperator *Ysabellã*, Regis Ierosolymitani filiã, ac regni heredẽ, vxorem accipiat cùm tẽpus affuerit pubertatis, vsq; videlicet ad annos quatuor: & indè ad duos annos pergat in auxilium Terræ Sanctæ & vtrinq; sunt præstita sacramenta, & apposita in contrà facientes excõmunicationis sententia. Exindè Rex Ierusalẽ ad *Philippum* Regẽ Franciæ pergens, gratiosè receptus est: & postquã illi Terrã Sanctam recommendauit, ad *beati Iacobi* visitanda limina processit, visitans etiam & *Regem Castellæ*, cuius sororẽ accepit in coniugẽ: & satis citò postquã in Franciã rediit, Rex Philippus viã vniuersæ carnis ingreditur, relinquens ccc. millia librarũ Parisiensiũ in subsidiũ Terræ Sanctæ: centũ millia, in manibus Regis Iohannis; centũ millia, in manibus Magistri Hospitalis; centũ millia, in manibus Magistri Tẽpli. Anno prædicto *Tartari* transeũtes montes *Rifeos*, qui diuidunt Asiã maiorẽ ab Europa, Marchias Vngarorum perforant, quas ipsi *syluas* vocant: & per *Vngariam*, nulli parcũt sexui vel ætati. Tunc etiam *Philippus* filius Raymundi Antiocheni Principis, desponsauit *Ysabellam* filiam Liuonis Regis Armeniæ, regnumq; possedit. Sequenti verò anno

cùm

cùm exosus esset Armenis; à *Constante*, de quo superiori capitulo fecimus mentionem, captus, carceri mancipatur, ibiq; moritur. *Constans* autem, prædictam *Ysabellam* suo filio Aytoni coniugem dedit. Eo etiam anno *Raymundus* Antiocheni Principis filius, *Aylisiam* Reginam Cypri duxit in coniugem, mortuo Hugone Rege, ac relicto paruulo filio *Henrico*, nouem tantùm mensium. Statuto priùs tempore, *Rex Ierusalem ad Imperatorem* venit, pro filiæ sponsalibus adimplendis: mittitq; Imperator Archiepiscopum Capuanum cum galeis XI v. ad desponsandum puellam: deindè coronatur in Tyro M. CCXXV. Postquam verò Regina ad Imperatorem *Branditium* perducta est, Imperator à Regè Iohanne requirit, vt regnum sibi, cunctaque Reginæ iura resignet. Stupefactus ille: nam Magister Alamannorum, qui mediator negotii fuerat, sibi hæc in vita remansura innuerat: non valens requisitioni contradicere, iussa perfecit. In crastino verò Imperator cum Regina ad *Foziam* pergens, nil socero intimauit. Ille dolorem ac indignationē dissimulans, Imperatorem secutus est, & visa filiâ generum visitat; qui nihil ei affectionis ostendit, quin potius requisiuit à domino Tyri & ab aliis Suriæ militibus, qui erant in comitiua illius, vt sibi homagium facerent: quod & fecerunt. *Episcopum* quoq; *Malphiæ* Ptolomaydam misit, vt à cunctis reciperet homagia loco sui: & cum eo duos Comites, trecentosq; milites de regno Syciliæ. Remansit autem *Hugo de Monte Beliarth*, Bayliuus terræ pro Imperatore, sicut remanserat priùs pro Rege Iohāne. Causam verò iurgii inter Imperatorē & socerum, assignant *Gualterum* Comitem Brenensem nepotē ipsius: quia filius fuerat filiæ Regis Tācredi: fueratq; Imperatori suggestum, quòd aspiraret ad regnum Syciliæ, Rexq; Iohannes illi auxilium adduxisset. Vndè & Imperator penè interfici iussit vtrumq;. Ambo proindè recesserūt: & in Franciam iuit Comes Brenensis; alius verò, Romā ad *Papam Gregorium* IX. Et Imperator priùs M. CCXXVII. comitem *Thomam*, vt Bayliuus esset terræ, Ptolomaydam transmisit: qui suâ probitate ampliorisextitit reputationis, quàm in suo aduentu fuerit Imperator. Tunc Alamani, castrum de Monte forti firmare ceperunt. Cùm verò adesset tempus, vt secundùm præstitum iuramentū Imperator transfretare deberet, Branditii parat nauigia: idq; Alamanis Francisq; denuntiat: transieruntq; multi comites, & potētes ad portum Ptolomaydæ. Cùm verò Imperator transire deberet, & cum eo Patriarcha Ierosolymitanus, cepit infirmitate grauari, & datis Patriarchæ galeis duabus profectus est. Tunc Peregrini, qui Ptolomaydæ Imperatoris aduentū expectabant, nolentes torpere otio, *Henricum* ducem *de Lambore* sibi Capitaneū elegerunt: & habitâ deliberatione, properāt *Sagetam*, ad firmandū ciuitatē & castrū, M. CCXXVII. Cùm autem Peregrini peruenissent ad locū, magnitudo operis ac laboris eos perterruit: mutato proindè consilio in Insula, ante portum duas turres cum muro ædificant: à festo beati Martini opus inchoantes, & in media quadragesima terminantes. Medio verò tempore moritur *Conradinus* Damasci Soldanus, relicto filio *Melecel Naser*, puero annorum XII. sub tutela Admirati *Esedinebec*, qui dominus erat castri Saquet. Deindè Peregrini ad firmandū transeunt *castrum Cæsareæ*, quod destruxerat Conradinus. Eo etiam tempore *Philippus de Ybelyn*, qui à morte Hugonis Regis Cypri, Bayliuus regni fuerat, mortuus est. Imperatrix verò M. CCXXVIII. enixa est puerum vocatum *Conradum*, in quo Ierosolymitani regni ius remansit: eo verò herede relicto, defuncta est.

A. D. 1225.

A. D. 1227.

A. D. 1227.

A. D. 1228.

CAP. XI.

Continet tenuem Imperatoris contra voluntatem Ecclesiæ transfretationem: & quæ gessit in Insula Cypri.

XI. SEquenti æstate, Imperator XX. parat galeas ad transfretandum, in sua comitiua habens milites nō plures cētum. *Papa* verò *Gregorius* hæc audiens, per sollemnes nuntios illi mandat, vt mare non transeat tanquam Crucesignatus, donec à sententia esset, quam inciderat, absolutus; esseteque per eum de perfurio quod incurrerat integrè satisfactum: quia tempus transierat transfretandi: transibat præterea pauperrimè, & non velut Imperator, & non sicut promiserat, & firmauerat iuramento. Imperator verò, denuntiata parum attendens, iter assumit. Interim quinq; nobiles in Cypro, in destructionem illorum *de Ybelyn* conspirant; & occurrētes Imperatori in partibus Romaniæ, contra *dominā Beruti*, & *Philippum* fratrē eius Cypri Bay-

linum mala plurima retulerunt: asserentes quia si Cyprum caperet, non solùm sufficientes expensas haberet, pro sua Curia; sed insuper mille milites indè tenere valeret. Adulatores hii, ac delatores grate susceptì sunt. Deindè Imperator vsq; ad *Limissò* peruenit, & curiales litteras valde & blandas transmisit *domino de Baruth*, vocans eum charissimum auunculum: vxoris enim suæ iam defunctæ auunculus fuerat: ad se rogans cum parvulo Rege venire, suisq; filiis & amicis. Ille amicos consuluit super hiis: qui omnes vno corde & vnâ voce proclamant manifestam Regis subuersionem; & quod nullatenus vel seipsum ponat sub Imperatoris fortia: quia licet melleis vtatur verbis, iam tum patebat cordis & operis prauitas: Respondeat tamen curialibus verbis: quia tam ipsi, quàm tota Cypri possibilitas prompta & parata erit, ad suum honorem, in Dei seruitio & auxilio Terræ Sanctæ. Dominus Baruti respondit: quia fidele & amicabile consilium tribuissent; sed magis eligebat capi aut mori, aut pati quæcunq; permitteret Deus, quàm dici posset aliquando propter se impedimentum fore Dei ac Terræ Sanctæ Promissionis negotium. Congregans itaq; amicos, milites & equites Insulæ cum parvulo Rege, liberisq; ad Imperatorem profectus est; se suosq; in manibus eius ponens. Imperator magnum ostendens gaudium, iniutare iubet nigras vestes propter *Philippi de Ibelyn* fratris sui necem; & pro nouis indumentis donat petias de scarleto, ad crastinum inuitans prandium. Facto prandio, manifestis factis, qui latebant armatis, Imperator ad dominum Baruti faciem dirigens, altâ voce ait, quòd duo requirebat ab eo: primùm erat, vt redderet sibi *Baruti* ciuitatem & castrum; quia id rationabiliter non teneret: secundò verò, quia ipse parvuli Regis, qui XI. erat tantùm annorum, & regni erat Bayliuus, propterea ludaret reddere quæcunq; perceperat à morte Regis Hugonis, citra iam decem annis elapsis, secundùm consuetudinem curiæ Alamanorum. Illo verò quasi per solatium verba dissimulante, Imperator, impositâ manu capiti, per coronam protestatus, se super hiis affecturum intentum, aut protinus caperetur. Tunc surgens dominus Baruti, clarâ altaq; voce fatus est, *Barutum teneo rito iure: Regina enim Yabella, soror mea, & filia Regis Almerici, cum viro suo Henrico, id mihi donauit, procambio Conestabliæ, quando destructum à Christianis fuerat reinuentum: in tali quoq; statu erat, quod Hospitalarij, Templarij, ac Barones illud neglexerant: Illud igitur meis reædificaui sumptibus, ad Christianitatis honorem; meis defensauj laboribus: & æquo iure possideo. De Bayliuatu verò, me fatear nihil habere.* Tunc iratus Imperator, multas protulit minas: ille verò respondit: *Quando habui consilium Nichisio, prædicta sunt mihi hæc omnia: & ego disposui, pro CHRISTI amore, & meo honore, omnia sustinere.* Imperator tunc plurimùm turbatus, pluries in facie mutauit colores. At religiosi honestique viri, mediatores effecti, ad hanc formam reduxêre negotium: vt datis obsidibus XX. valuassoribus, duobusque filiis, dominus Baruti de Bayliuatu, staret iudicio Curiæ regni Cypri; & de Baruto, iudicio curiæ regni Ierusalem. In crastino dominus Baruti informatus est, quòd prædictâ conuentione Imperator minimè contentus, ipsum personaliter vellet habere: ille proindè suos arma capere iubet, & Nicosiam profectus est. Imperator eum obsidet; & iteratò, eo pacto conueniunt: vt donec Rex parvulus legitimam ætatem impleat, annum, scilicet, XXV. Imperator regni percipiat redditus: & pro Berito, à *Iohanne* domino Beriti, homagium recipiat, saluis quæstionibus, quas sibi vellet opponere in Curia regni Ierusalem.

Cap. XII.

Continet gesta Imperatoris in Terra Promissionis: & treuguarum formam.

XII. FRedericus igitur in proposito remissus, indè recedens, *Ptolomaydæ* applicuit; reperitq; Peregrinos, qui *Cæsareæ* castro reædificato redierant: nulloque mandato retinere valuit abeuntes: *rectè enim ipsius contemnitur imperium, qui superioris sui noluit obseruare mandatum.* A Ptolomayda verò ad castrum *Cordanæ* processit, quod in capite fluminis ante dictam vrbem fluentis situm est. Indeq; nuntios ad Soldanum *Melec Ẽquemel* transmittit *Balianum* dominum Tyri, & *Thomam* comitem de Lacherne, qui magna portantes munera, dicerent salutatione præmissâ: quia eum vult pro fratre habere, ac familiari amico; ni pro eo remaneat: sciatque se nequaquam transfretasse acquirendæ Terræ cupiditate allectus, cuius districtus posset quamlibet

bet concupiſcentiam ſatiare: ſed Sanctorum locorum gratiâ, & regni Ieruſalem, quod olim poſſederant Chriſtiani; quodque ſuo filio iure hereditario debebatur: & ſi hæc pacificè reddat, & pacificus erit ſucceſſus: parcendum ſubiungens, effuſioni ſanguinis multæ gentis. *Soldanus* verò apud Neapolim caſtra metatus, & in ſocietate habens fratrem, *Melec Elaſſarap*, & equitum VII. millia, peditum quoque copioſam multitudinem, benè receptis nuntiis dedit munera; dicens, quia Imperatori per ſuos nuntios reſponderet. Interim duo Fratres minores Patriarchæ Ieroſolymitano litteras præſentant ex parte ſummi Pontificis, vt Imperatorem excommunicatum & periurum denuntiet: prohibentur quoque Hoſpitalarii, Templarii, & Alamani illi attendere, vel in aliquo obedire. Soldanus igitur attendens pauperrimum Imperatoris aduentum, Peregrinorum receſſum, diſcordiam ipſius cum Eccleſia, & proceſſuum promulgationem nouam in partibus Orientis, factum illius modicum adpretiatus eſt. Nihilominus nuntios deſtinauit, qui dicerent, vt Imperator de affectione amicabili & fraterna, quam Soldano tranſmiſerat, quid intenderet, aperiret. Quod verò de terra Ieroſolymitana petebat, Soldanus nimium ponderabat, non propter terræ valorem; ſed quia res illicita petebatur: Nam tantùm reuerebantur Saraceni *Templum Domini*, quod eſt domus DEI, quantùm Chriſtiani *Sepulchrum IESV CHRISTI*; & illuc vndique confluebant: poſſetque illi imponere Calyphia, quòd ſuæ legi fieret illegalis. Poſt hæc Imperator inquirit, quid ergò intendebant offerre: Illi reſpondent, nihil ſuper hoc commiſſionis habere: putant tamen, nuntiis ipſius, ſi tranſmittantur, rationabilia offerenda. Tunc elephantem, & camelos curſores, & Animalia Arabica Imperatori inter cætera munera obtulerunt. Imperator hiis auditis, prædictis nuntiis dona dedit, & cum eis ad Soldanum priores tranſmiſit nuncios: & cùm putarent Neapoli loqui Soldano, reſponſum accipiunt, vt poſt Soldanum ire debeant vſq; Gazam: quo audito Imperator intellexit ſibi illudi; & quia Soldanus ſic tempus redimeret. Et conuocatis principalioribus ciuitatis, & Peregrinis ac militibus trium manſionum: air, quòd vellet procedere ad firmandam *Iopham*, vt proximior fieret Ieruſalem, eſſetque via tutior: eosque ſecum proficiſci requirit: Cunctis autem annuentibus, Magiſtri Hoſpitalis Sancti Iohannis & Templi, reſponderunt, quia à ſummo Pontifice, cui obedire volebant, erant prohibiti ei obſequi vel parere: pro vtilitate tamen Terræ & populi Chriſtiani, parati erant iuxta alios pergere, dummodo præcepta vel banna ex parte ſua nullatenus proclamentur. Ad hæc indignatus Imperator requiſitioni nequaquam aſſenſit: ſed abſq; illis vſque ad flumen proceſſit *de Monder*, quod labitur inter Cæſaream & Arſur: illi verò à longè ſequebantur. Tunc Imperator aduertens periculum ſeparationis huius, eos exercitui reuniuit, aſſentiens banna proclamari *ex parte DEI & Chriſtianitatis*, ſuppreſſo Imperatoris nomine: & peruenientes ad locum, caſtrum reædificare cœperunt.

Dum hæc aguntur, in corde hyemis, apto nauigio, ſecretus nuntius ad Imperatorem accedit: nuncians quòd ſummus Pontifex magnum parauerat exercitum; iamq; *Sanctum Germanum* ceperat, & verſus *Capuam* veniebat: & quòd ciuitates & caſtra multa, illi ſe dabant: & quòd *Iohannes*, Rex quondam Ieruſalem, & *Thomas* Comes de Calan capitanei erant exercitus. Tunc perplexus Imperator conſiderat periculum amittendi regnum Sycilię: & propter ſuum receſſum imminere grande periculum & opprobrium Chriſtianis in diſpendium Terræ Sanctæ: receſſum quoque qualitas temporis prohibebat. Studuit proindè cum Soldano treuguas ad ſtatum priſtinum reducere: ſuperadditis Chriſtianis, Ieruſalem, Bethlehem, Nazareth, & caſalibus quæ ſunt in via ſiue recto itinere vſque Ieruſalem, & terram Thoroni, & ad Sydonem pertinentia quæ Saraceni tenebant: retinuit tamen Soldanus in Ieruſalem *Templum Domini*, & id quod in circuitu comprehendit: Aſcenditq; Imperator *Ieroſolymam*, & poſitam coronam ſuper maius altare Eccleſiæ Sepulchri accipiens, capiti ſuo impoſuit, nullius Prælati aut Clericalis dignitatis benedictione acceptâ, nec ſolemnitate diuini officii celebratâ: deinde *Ptolomaydam* redijt, & diſpoſitâ ciuitate clam recedens, per Cyprum Brunditium properauit, M.CCXXIX. A. Dni. 1229.

CAP. XIII.

Continet requisitionem factam Imperatori de mittendo filio suo Conrado ad regnum Ierusalem: & praui transmissionem Bayliui.

XIII. POst Imperatoris recessum, Regina Cypri *Aylissa* Henrici mater, ad Ptolomaydam se conferens, ait sibi de iure Ierosolymitanum regnum competere: quia videlicet neptis fuisset Regis *Almerici* ex filia *Ysabella*. Habitâ deliberatione, illi respondetur, adesse Bayliuum, qui pro Imperatore tutore filii *Conradi*, terram gubernaret: mitterentque vt incognitum heredem transmitteret infra annum. Nuntiis verò Imperator respondet, se infra præfatum tempus facere quod deberet. Interim Soldanus Babyloniæ *Melec Elquemel*, cum fratre *Melec Essaraf*, processit ad obsidendum Damascum. Videntes autem Damasceni quòd puer dominaretur eis, filius *Conradini*, qui eos protegere non valeret, Soldano Ægypti se disponunt subiicere. Tutor verò pueri, de quo diximus supra cap. x. puerum ad locum, *Crach* appellatum, matri defert ne ab auunculo occidatur: Saraceni quoq; passim in Christianos desæuiunt. *Imperatoris* nunc processum in Italia rememorantes dicamus, quòd postquam peruenit ad partes Apuliæ, & congregato exercitu versus *Capuam* vergeret, paulatim hostes retrocedere compulit, donec illi ad propria redierre: deindè plures Alamani principes, & prælati, Patriarcha Aquilegiæ & multi alii, mediatores effecti, aliquibus conditionibus pacis insertis, Imperator à summo Pontifice absolutus est. Tunc multam affectionem ostendit ad Terræ Sanctæ remedium, audiens multa euenisse incommoda Christianis à Saracenis: quia videlicet Peregrinorum in itinere erant vsq; ad decem millia interfecta: & quòd nihilo minus congregati vsque ad xv. millia Saracenorum volentes de *Ierusalem* Christianos eiicere, per stratas & calles ciuitatis discurrentes rapinam rerum, ruinam domorum, hominum etiam plurimam stragem fecissent. Missique trecentos milites, & centum inter balistarios & armatos equites: *Riccardum* quoque, filium Augeri, Marescalcum suum, legatum à latere & iustitiarium terræ: qui nihil aliud quam schisma & diuisionem inter Barones posuit, prosequutus malitias quas inchoauerat Fredericus. Propterea consensu maiorum in concione publica illi dictum est: quòd Imperator, sicut præcessores eius Reges Ierusalem, contentus fuit inter cætera, quòd nullum Baronem suo posset priuare dominio, absq; iudicio Curiæ; idq; seruare iuramento firmauit: ipse tamen de domino Baruti contrarium fecerat: idcò videtur, vt hunc errorem corrigeret. Cùm verò ad hæc prauè responderet, congregati, qui Ptolomaydæ erant, sollicitè consulunt, qualiter futuris possint præcauere periculis, timentes ne in plurimos succedat malitia illius desæuiat: & iurauerunt se mutuò cum iustitia contra illius insidias conseruare: quod vt liberiùs agere possint, cuncti se de *fraternitate Sancti Iacobi* faciunt: cui Regali priuilegio, vt cuncti intrare volentes liberè possint recipi, concessum erat de gratia singulari. In Suria tamen, & in Cypro, propter hoc non sopiuntur scandala, sed augentur. *Tartari*, M. CCXXX. subiugatis Orientalibus partibus, ad Boreales & Occidentales se conferunt, in duo agmina se diuidentes. Vnum *Vngariam* & *Poloniam* intrat ex parte Ruſiæ, circa ripam maris Pontici, transeuntes montes Ripheos, quos Vngari *Syluas* vocant. Ideò Gregorius IX. prædicari fecit Crucem contra eos in finibus Theroniæ: post quorum recessum gentes Pannoniæ, qui propè dictas inhabitant Syluas, *Olaci* videlicet & *Siculi*, passus clauserunt, vt amplius transire nequeant. M. CCXXXIII. *Boamundus* IV. Princeps Antiochiæ moritur, cui *Boamundus* filius succedit in dominio tam Antiocheno quam Tripolitano. M. CCXXXV. Papa *Gregorius* IX. fecit prædicari Crucem pro Terræ Sanctæ subsidio in Francia. Sequenti anno per Minores & prædicatores, multi Barones, milites & populares, nec non & clerici Crucesignantur: Passagium tamen, annuente Papâ, per quatuor annos dilatum est.

A. Dni. 1230.

A. Dni. 1234.

A Dni. 1235.

A. Dni. 1236.

CAP. XIV.

Continet reuocationem concordiæ pertractatæ inter illos de regno Ierusalem, & Fredericum Imperatorem.

POst hæc verò illi de regno Ierusalem, tractante *Alamanorum Magistro*, nuntios transmittunt ad procurandum cum Imperatore concordiam: ad voluntatem verò

verò Imperatoris, agente mediatore prædicto, consentiẽtibus etiam prædictis nuntiis, mandati tenorem forma pacis excessit. Redeuntibus nuntiis, & actitata referentibus, sua cernunt vltramarini grauamina; & Principum ac aliorum de regno Ierusalem, sublatam fore omnimodam libertatem. Formato igitur consilio, ad *Regem Cypri* transmittuntur, cuius etiam regni, pacta illa onerosa grauamina continebant: simulq; concordant, vt per sollemnes nuntios ante conspectum Papæ compareant, in cuius præsentia pacta prædicta tractata fuerant & firmata; denuntiantes quòd pactis cõsentire non valeant, quia suam tollant, quam semper sub Latinis Regibus ex pactis antiquis habuerant, libertatem: Nec tenebantur ad illa, cùm nuntii datæ sibi commissionis & facultatis terminos patenter excesserunt. Summus Pontifex nuntios benignè suscipit, puncta grauaminum diligenter attendit; & tandem respondit, quòd nequaquam admirationis erat materia, si pacta illa minimè admittebant: ipse tamen dum talia tractarentur in sua præsentia, prohiberenon debuit: quia ad illa perficienda mandatum se haberenuntii asserebant. Si igitur pacta prædicta seruare nollent, in eorum arbitrio situm erat: Ipse verò, ad obseruandum minimè coerceret; quin potiùs, eorum non deesset auxilio & fauori. Scripsitque litteras efficaces, vt duo illa regna, Ierusalem & Cypri, idem saperent & mutuòse fouerent. M.CCXXXVIII. Soldanus Babyloniæ *Lequemel* moritur, & successit ei secundus filius *Edel*, quia maior *Salah* aberat in terra enim dominabatur Orientali, quam illi pater in vita concesserat, feceratq; Soldanum. *Iohet* verò Saladini nepos, absentibus, vt prædicitur Lequemel filiis, in Damasco Soldanus receptus est. *Boamundus* etiam quintus Antiochiæ Princeps ab *Aylisia* Regina diuiditur: quia in gradu quarto & tertio, sibi mutuò attinerent. Rex verò Cypri desponsauit *Stephaniam*, sororem Othonis Regis Armeniæ. A.Dni. 1238.

CAP. XV.

Continet Regis Nauarræ transfretationem, & aliorum: & treuguarum reformationem.

XV. TRansfretant, M.CCXXXIX. *Tybaldus Rex Nauarræ*; & comes Campaniæ; *Hugo dux Burgundiæ*; *Henricus comes de Barleduc*; *Petrus comes Britaniæ, comes de Fo-* A.Dni. *rois*, & de *Neuers*, ratione vxoris; *Almericus comes Montis-Fortis*; & *Iohannes Comes de* 1239. *Mascon*, & alii plurimi diuites de Francia. Itaque, per *Marsyliam*, & *Aquas mortuas* applicuêre *Ptolomaydæ*: & deliberatione habitâ, Ascalonam reædificare disponunt. Et cùm vsq; *Iapham* processissent, Templarii recepto nuntio exploratore, cognoscunt iuxta Gazam mille Turchos adesse paratos, contra quos trecentos milites transmiserunt. Dum verò Turchi eligunt vitare cõgressum, eorum Princeps suppellectilia transmittens, cum ducentis archeriis à remotis Christianos sagittant: & *dum superfluè pruinam metuunt, irruit super eos nix.* Nam eorum meticulositatem Turchi considerantes, contra eos acriter prosilientes in fugam verterunt. Ibi, captus fuit *Almericus* de Monte-Forti, & *Henricus* comes, mortuus; multiq; milites aut mortui, aut capti sunt: qui verò fugere potuerunt, ad Ascalonem vsque peruenientes, Regem Nauarræ cæterosque terruerunt; conceptoque metu, nullum reputant securum locum, nî Ptolomaydam redeant. Ibi igitur commorantibus, de Tripoli *Guilielmus clericus* nuntiat quòd Soldanus de Haman fortilitia sua vellet in manibus Christianorum ponere, Baptismi quoq; inire fœdus. Peregrini proindè Tripolim equitant, & inquisito negotio id hostium reperiunt timore promissum; reddità verò securitate, nihil agitur. Peregrini autem iuxta fontem Sephoritanum castra ponunt. Dum Peregrini ibi consisterent, aduenit nuntius Soldani Damasci, cui nomen *Salah*, qui fuit dominus Mahubeth, filius Saphandini vt figura docet, & timore alterius *Salah* nepotis ex fratre Guemel, qui Soldanus fuerat Damasci pariter & Ægypti. Nam secundus Salah, de Orientalibus partibus veniens, Damascũ abstulerat *Iobeth* nepoti Saladini, Guemel mortuo occupanti. Indeq; cùm procederet contra fratrem iuniorẽ *Edel*, qui Ægyptum sibi vsurpauerat, à *Nasar* filio Conradini captus erat, qui debuerat esse Damasci Soldanus: *supra cap. x.* Sed ablatum sibi fuerat puero dominiũ per auunculos: *cap. xii.* Prædictus igitur nuntius à Christianis, M.CCXL. A.Dni. petiit, & impetrauit treuguas, sub hac forma. Ex pacto enim reddidit Christianis ca- 1240. strũ *Belfort*, & castrũ *Saphet*, & totum territoriũ Ierosolymitanum: ipsi verò, sine eo

vel eius consensu, cum Soldano Babyloniæ Treuguas facere non deberent; sed eum contra illum iuuarent, castra ponendo in Ascalone vel Iapha, ne Soldanus transeat Labernæ, & intret districtum Suriæ: ipse verò, castra poneret vbi flumen Iaphæ oritur. Hæc pacta à Baronibus, qui erant in exercitu, & à Soldano Damasci, suisq; Admiratis iuramento firmata sunt. Erat autem Soldanus Babyloniæ primus *Salah*, quem nuper captum diximus à suo consanguineo Nassar. *Nassar* enim, per captionem eius putans Damasci recuperare dominium, frustratus hac spe, quia *alius Salah* medio tempore occupauit: ad alia machinamenta conuersus, cum capto consanguineo fœdus iniit. Cupidus enim paterni dominii, sororem illi offert pro coniuge, & Ægypti dominium: si ille potens effectus, promittat in recuperando ac pacificè tenendo regno Damasceno ferre opem. Factâ coniuratione Admirati Ægypti, muneribus & promissionibus illecti, in manibus Salah tradunt *Edel* fratrem eius, Soldanum Babyloniæ, qui incarceratus ex tunc non comparuit. Pergunt itaq; Peregrini Iapham, & Damasceni ad locũ promissum. Inter Christianos verò non parua dissensio orta est: prædicta enim treugua procuratione *Templariorum* firmata est, *Hospitalariorum* minimè interueniente consensu. Ideò, Hospitalariis procurantibus, cum parte Christianorum Soldanus Babyloniæ treuguas iniit: & non obstante priori iuramento, per Regem Nauarræ, comitem Britaniæ, & multos alios Peregrinos, pacta iuramento, vel magis periurio sunt firmata. Post confirmationem verò, iidem qui ista iurauerant, per Ptolomaydam ad propria redeunt. Exceptis verò Hospitalariis, reliqui Iaphæ remanentes conuentiones seruauerunt Soldano Damasci.

Cap. XVI.

Continet transfretationem Riccardi, Comitis Cornubiæ: translationem quoq; regni Ierusalem in Reginam Aylisiam.

XVI. A.D. 1240. EOdem tempore, id est, M. CCXL. *Riccardus Cornubiæ comes*, frater Regis Henrici, cum magna militia, multisq; diuitiis transfretauit; & Ptolomaydæ applicans audit de treuguis controuersiam: nulli adhærere voluit, licet multas & contrarias preces habuerit. Deliberauit autem, si Peregrini cæteriq́ue, qui erant Iaphæ, secum vellent pergere, reædificare *Ascalonam*: cunctis consilium placuit, & opere compleuerunt: sicut & *Riccardus* Rex Angliæ, istius auunculus, fecerat prius. Postquam autem eam Riccardus pro suæ possibilitate muniuit, pro *Galtero* milite misit, qui pro Imperatore Ierusalem tenebat: & illi castrum assignauit, vt pro Imperatore seruaret, & ad propria rediit; Peregrini verò rediêre Iapham: & Soldanus semper iuxta Christianos castra ponebat: tandem Peregrini Ptolomaydam, ad partes proprias reuersi sunt. Eo tempore, quo (*superiori capitulo*,) Peregrini erant Ptolomaydæ, Regina *Aylisia* nupsit *Rodulfo* fratri comitis Asasonis, qui post desponsationem, non sine multorum coniuentia, petiit pro consorte regnum gubernare Ierusalem: quia illi iure, vt dicebat, hereditario obueniret. Hoc etiam Regina supra petiit, *cap. xii.* Congregati homines de regno, requisitioni deliberato respondent consilio: quia Regina *Ysabella*, quæ nupsit Imper. in Apulia, Conradũ reliquit filiũ: & illi ius regni rite hereditario iure cedit: Sed quia nec aderat, nec interesse voluerat, Reginã *Aylisiã*, pro domino recipiebant: illiq; regni gubernacula cõferebant: feceruntq; homagiũ viro suo, saluo semper iure Conradi prædicti. Cõsequenter autẽ cõtigit, vt *Riccardus* filius Augeri, Marescalcus Imperatoris, ab eo vocatus, Tyrũ custodiendum fratri relinqueret. *Baliauus* verò de *Ybelin*, Baruti dominus, congregatis auxiliis à Ptolomayda recedens, ciuitatem aggreditur, & obtinet: Apuli ad castrum currunt: tempestuosum tempus Riccardum ad portum Tyri impellit, pro cuius redemptione castrum Baliano redditur. Post captam ciuitatem, *Rodulphus* consors Reginæ, qui in regimine parui erat momenti, Tyrum aduenies cum Regina, petiit ciuitatem suo subdi dominio; victores autem respondent quòd illi ciuitatem minimè assignarent; sed diligentiùs custodirent, donec claresceret cui de iure assignari deberet. Videns autem *Rodulphus* prædictus, quia vt volebat regere non valebat; sed propinqui Reginæ ad libitum omnia pertractarent, vxore dimissa, cum Rege abiecit Nauarræ, Comite Britaniæ, cæterisque Crucesignatis.

A.D. 1241. *Tartari* verò M. CCXLI. Turchiæ terram inuadunt, in qua erant ferè centum

tum ciuitates, exceptis castris & villis: vbi inter cætera admiratione digna, Monasterium trecẽtarum puellarum erat, quod *Sanctus Brassanus* vocabatur, cuius munitionem, si quando impugnabatur ab hostibus, fertur quòd seipsam mouebat, & in iacientes lapides machinas retorquebat. Sequenti verò anno, in partibus Aquilonis, *Tartari* vastant Rusiam, Gasariam, Sugdaniam, Gotiam, Ziquiam, Alaniam, Poloniam, cæteraq; regna vsque triginta: & vsque ad Theotoniæ fines prosiliunt. A. Dni. 1241.

DVODECIMA PARS, CONTINET PASSAGIA SANCTI LODOVICI REGIS FRANCIÆ: VARIA QVOQVE ET CONtinua Terræ Sanctæ grauamina, donec Christianitas vniuersa ex ea deiecta est: habens Capitula XXII.

CAP. I.

Continet quomodo LODOVICVS Rex Franciæ Crucem assumpsit: debellationem etiam Peregrinorum in Terra Sancta: & amissionem ciuitatis Sanctæ Ierusalem.

IPso anno quo *Innocentius* IV. de nouo electus, propter impedimenta per Fredericum Imperatorem Prælatis præstita, ne Romæ congregaretur consiliũ generale, in Frãciam profectus est. M. CCXLIII. circa festũ beati Andreæ. Accidit autẽ vt *Rex LODOVICVS*, circa festũ beatæ Luciæ ita insensibilis factus sit, vt mortuus reputaretur à multis. Vnde à matre, & consorte, fratribusq; quasi mortuus lugebatur: iamq; Clerum pro celebrandis exequiis fecerant congregari: vt autẽ ex illa extasi ad se rediit, circumspiciens iubet Parisiensem Episcopum euocari: tunc mœrot in lætitiam conuertitur, & Præsul protinus præsentatur. Ait autem illi Rex: *Domine Episcope, ego vos requiro, vt Crucem vltramarinã meis humeris imponere debeatis.* Hoc audientes mater & coniux, flexis genibus orabant, vt plenam expectaret corporis sanitatem: tunc demum faceret quod libueret. cõmotus ille, respondit: cibum aut potũ nequaquam sumpturum, nisi Crucẽ priùs sumeret transmarinam: & ab Episcopo Crucẽ iteratò requirit. Episcopus postulatam Crucem denegare non audens, illi Crucẽ imponit, nõ sine lachrymarũ imbre; cunctisq;, tam in camera quàm in aula, cum singultuosis gemitibus, non minus quam si vitã excederet lachrymosis. Cruce verò susceptã resanatũ se fore protestatus est. Et postquam conualuit, vltramarinos litteris cõfortauit, asserens se Crucesignatũ illius Regis intuitu, qui nimiâ karitate pro humano genere in Cruce pependit: proindè ciuitates & fortilitia viriliter sustinerent, quia ipse eis veniret quoad posset celeriùs ad succurrendum. Illo tempore *Salah* Soldanus Ægypti, Orientales, vbi priùs fuerat dominus, (*supra part. VII. cap. XIV.*) ad se venire prouocat: M.CCXLIV. transmissis thesauris, promissaq; terrã venturis, si secum forte eligerent cõmorari: sed & propter terrorem Tartarorũ, venerunt vsq; ad XX. millia Corasminorũ equitum, qui transeũdo per districtum Tripolitanũ, magnum intulêre damnum; & in Ierusalẽ subitò prorumpentes, percusserunt gladio vsq; ad quinq; milia: nulli enim parcebant sexui, vel ætati: deindè ad Soldanum, qui Gazę castra posuerat, peruenerunt. *Salah* verò, Soldanus Damasci, Ptolomaydæ quatuor millia equitum transmisit, quibus Soldanus præfuit Calamele. Tunc Christiani milites equitauerunt vsq; Ascalonem, & Turchi cum eis. *Gualterus* quoq; Comes Brenensis, qui Iaphæ erat, illis sociatus est; & fuerunt milites Christiani quasi sexcenti, præter alios equites & pedites. Ascalonæ verò, deliberant quid agẽdum. Soldanus autem Calamelæ ait, quòd haberent plurimũ exercitum contra se, gentemq; peregrinam & inhumanam, ac desperationi deditam: proindè loco tuto & victualibus accommodo securi persistant: aduersaria tunc multitudo, rerum coacta penuriâ, necessario retrocedet. Placuit multis Christianis consilium; cæteris verò cõgressum laudantibus, procedituꝛ & bellatur: bellatur acriter, sed non diu. Damascenis enim terga dantibus, Christianorũ vix quarta pars euadere potuit, omnibus aliis mortuis vel captis. Soldanus verò Babyloniæ ad propria rediit, & contra spem

1. A. Dni. 1243. A. Dni. 1244.

datam Coraſminis, munito *Belbeis*, paſſum illis præcluſit ne intrarent Ægyptum: illi verò ab inuicem diuiſi, à terræ cultoribus læduntur, læduntq; donec infra trien-
A. D. 1245. nium de patria totaliter repulſi ſunt. MCCXLV. Papa in Concilio Lugdunenſi,
A. D. 1246. Imperatorem depoſuit, & M. CCXLVI. Regina Ayliſia moritur: cui filius *Henricus* Rex Cypri, in regno Ieroſolymitano ſucceſſit, in Ptolomayda ponens bayliuũ. Eodem etiam anno Papa, de Prædicatoribus mittit fratrem *Ezelinum*; de Minoribus, fratrem *Iohannem de Plano Carpini*, cæteroſq;, ad Tartaros conuertendos. Poſt hæc *Soldanus Damaſci*, à Soldano Alapiæ bello ſuperatus, cæteri mancipatur: Quod audiens *Soldanus Aegypti*, cum magno exercitu veniens cepit Damaſcum, Calamelam quoq;, & Mahubeth: deinde Chriſtianorum terras percurrens, caſtrum, quod Tyberiade firmatum erat, deinde Aſcaloneni, multasq; munitiones quas reparauerat
A. D. 1247. Rex Nauarræ, comes Britaniæ, & comes Cornubiæ, ille deſtruxit. M. CCXLVII. *Turchemani* verò, venientes per diſtrictum Dathagnes, Principatum Antiochiæ inuadunt depopulãtes caſalia: hii inter Saracenos præ cũctis deſpectiores, nec caſtra nec ciuitates habent, nec lucris inhyant; ſolis animalib. contenti, tentoriis de filtro vtuntur. Hos dum Antiocheni deſpectui habẽtes, incautè & diſperſi ad fugandum properant; è contra illi ordinatè poſt fugam reuertẽtes, ſemel & pluries victores effecti, Antiochenis formidini facti ſunt.

CAP. II.

Continet transfretationem LODOVICI & Damiatæ captionem.

II.
A. D. 1248. POſt Crucem acceptã, diſpoſitis pro ſe & regno negotiis, mittit ante faciem ſuam qui in Cypro victualia & opportuna quæq; præparẽt. Ipſe verò M. CCXLVIII. XXVIII. Septembris, ad Inſulam Cypri applicuit; & cum eo duo fratres ipſius, *Robertus* & *Karolus*, & multi Barones ac Prælati. Sequitur poſtea eum & frater *Alphonſus*, relictâ matre dominâ Blancâ ad regni cuſtodiam. Longâ in Cypro morâ
A. D. 1249. contractâ, M. CCXLIX. XV. die Madii, Rex de Limiſſo verſus Damiatam properat; & quarto die Iunii, ante ciuitatem exercitus in ancoris ſtetit: portum Chriſtiani cernunt peditum equitumq; multitudine repletum, munitumq; galeis: ſed nihilominus deliberant ſequenti die exire in Inſulam. In craſtino igitur ſummo mane, vexillo Crucis erecto, ipſius orant & ſperant auxilio de inimicis Crucis CHRISTI habere triumphum. Cùm verò nauigia, propter aquæ paruitatem, ad terram applicare nõ poſſent, plurimi, fidei ardore, cum armis in aquam proſiliunt: nec ipſorum audacia, quia Turchi reſiſterent lanceis & ſagittis, minuitur; ſed augetur: tetriti proindè Saraceni ad ciuitatem confugiunt; deniq; eis inmiſſo timore, nocte ciuitate incenſâ fugiunt, occupandam relinquentes liberè Chriſtianis. Ipſo anno Piſani & Ianuenſes in ciuitate Ptolomaydæ XXI. diebus, contra ſe mutuò pugnant, machinis & ingeniis variis ſe mutuò lædentes: tandem procuratione Bayliui, qui pro Rege Cypri ciuitatem gubernabat, in triennium terrâ mariq; pacificati ſunt. Rex autem totâ æſtate, propter Nili excreſcentiam, Damiatæ immoratus, XXVII. die Nouembris inde caſtra mouit, vt procederet contra Saracenorum exercitum ad locum dictum *Armaſoran*: & in via audiunt defunctum eſſe Soldanum, cuius filius expectabatur, qui in partibus fuerat Orientis: & XXII. die Deleyt, peruenerunt ad locum. In itinere autem Templarii & Comes Atrebatenſis, qui habebat anteriorem cuſtodiam, inuenerunt *Lyſiæ*, id eſt, anteriorem cuſtodiam Saracenorum, in loco dicto *Sarmoſac*: & irruentes in eos, ſtrauerunt LV. ex eis. In craſtino verò, ex hiis, qui trans fluuium venerant ad nocendum Chriſtianis, circa mille fuerunt mortui aut capti. Chriſtiani autem non valentes ad Saracenos accedere, impediente flumine Tampneos: de quo loco ſuprà *par. VII. cap. IX.* aliquid diximus: attentant ſupra fluuium ædificare pontem; è contra verò, Saraceni machinis & armis impediunt. Interim Chriſtiani de Ptolomayda exeuntes contra Bethſan, VIII. die Ianuarii, & contra habitationem quandam Turchemannorum, capto Admiraldo quodam, eorum capitaneo, reportauerunt
A. Dñi. 1250. vſque ad XVI. millia animalium. Tandem M. CCL. octauâ die Februarii, quidam *Beduinus*, qui erat in exercitu, dixit Regi vadum eſſe inferius: indè tranſeunt Chriſtiani non ſine magno periculo, narantibus equis, & ripis malè diſpoſitis: vndè & multi in flumine perierunt. Poſtquam verò in magno numero tranſierunt,

runt, castra verterunt Saracenorum, & plures Admirati mortui sunt: vnde territi Saraceni, fugientes, *Armasoran* Christianis liberè dimiserunt. Christiani verò lucris intenti, dum per ciuitatem huc illucque vagantur, à Saracenis propterea audaciam resumentibus atque redeuntibus, grauem iacturam passi sunt. Nam Saraceni in eos vndiq; irruerunt: & deficiente Christianis balistariorum subsidio, vsq; ad nonam impetum sustinuerunt: vulneratis tamen aut occisis in maiori parte Saracenorum equis, Christiani campum habuerunt. Inter cæteros verò mortui sunt Comes Atrebatensis, & duo alii Comites. Postea Christiani castra metati sunt iuxta machinas, quas Saraceni dimiserant: & pontem faciunt, vt cæteri ad se transire valeant. Postero die Saraceni maximo numero congregati, vndique in Christianos prosiliunt, qualiter nusquam fecerant: Christiani verò ordinato exercitu, multos ex eis interficiunt, tandemq; repellunt.

CAP. III.

Continet captionem Regis Lodouici: & qualiter Damiata est reddita Saracenis.

POst dies aliquot, venit nouus Soldanus: & personuit terra instrumentis, nouisq; clamoribus. Venerunt extunc Christianis omnia contra votum, & pestilentia & fames: nam quilibet penè lugebat mortuum vel infirmum; & crassabatur infirmitas in homines & iumenta. Impediebant quoque galeæ Saracenorum transitum victualium: duas enim *Carauanas* successiuè acceperant. Quintâ proinde die Aprilis, Rex LODOVICVS victualium penuriâ cõstrictus, ad sua castra retrocessit, vt ad Damiatam rediret: & relictâ ipso die plateâ, cùm peruenisset ad quoddam casale vocatum *Sarmosac*, tunc tanta se Saracenorum multitudo circa Christianos infudit, vt ipsorum impetum sustinere non possent. Capturque Rex cum duobus fratribus; & exercitus multitudo per terram, & per fluuium occiditur, capitur, cõcrematur: totus tandem exercitus Christianus Saracenis subiicitur. Capto Rege & populo Christiano, de concordia pertractatur; & in hoc post multos tractatus conueniunt cum Soldano: *vt Regem & fratres ipsius Soldanus dimittat, omnesq; captiuos postquam ipse Rex in Aegyptum venerat; nec non & captiuatos à tempore aui sui:* (de quo supra, par. x. cap. v.) *& quòd terras, quas in regno Ierosolymitano in aduentu Regis* LODOVICI *Christiani tenebant, cum omnibus pertinentiis in pace teneant: quæcunq; etiam in Damiata manerent, quæ secum Christiani ferre non possent, suis nuntiis, cùm pro eis mitterent, redderentur. Rex verò debebat reddere Damiatam, & Saracenos liberare captiuos, tam in Aegypto, quàm in regno Ierosolimitano: pro redemptione verò captiuorum, factis expensis, damnisq; illatis, centum millia marcharum argenti: & vsq; in decennium, Rex ipse bellum non debeat Saracenis inferre.* Hiis sic dispositis, secundâ die Madii, milites Saraceni, non sine coniuētia maioris partis exercitus, irruēres in Soldanum in Babylone, in furore venerunt ad Regis LODOVICI tentorium, volentes in eum ac cæteros Christianos pariter desæuire: sed finaliter eadem pacta, & treugua quæ priùs, cum omnibus Admiraldis firmata est. Tunc liberatus est Rex, & fratres ipsius, Legatus, & dominus Patriarcha, Barones, & milites plures, & multi alii: & VIII. die Madii, Ptolomaydam peruenerunt. Postquam autem maiores inibi conuenerunt, pro captiuis, & suis arnesiis transmittentes, ex XII. millibus, vix quadringentos habere potuerunt; ex rebus autem suis nihil: imò nolentes ad suam legem conuerti, trucidabant. LODOVICVS autem videns, quòd iuxta conuentiones non poterat eis bellum inferre, disponebat in Franciam redire: sed audiens quòd Terra Promissionis in periculo, priuatâ omni spe auxilii, si recederet, remanet, mittens fratres suos ad matris consolationem, mansit ipse in Syria annis quinque, à M. CCXLIX. anno Domini, vsque ad M. CCLIV. & maximè pro redemptione captiuorum. Reparauit autem tunc Ptolomaydæ burgum. [Auditâ autem captione Regis in Francia facta est Crucissignatio *Pastorelorum* & puerorum multorum & puellarum, quorum aliqui pestiferi inuentores huius fraudis, fingebant aliquos puerorum visiones Angelorum vidisse, & miracula operari, dicentes se missos à DEO pro Regis vltione, & erant inter eos, qui se *Magistros* vocabant, & more Episcoporum, per viam signabant: Clerum & Religiosos grauabant, spoliando, vulnerando & perimendo. Vniuersus autem populus eis fauebat. Sed maiorum fraude detectâ, infra breue tempus fictio illa quasi fumus euanuit.] Eodem anno, id est, M. CCL. *Henricus*

III. A. Dni. 1250.

Rex Cypri despõsauit *Placentiam*, filiam Boamundi Principis Antiocheni, de mense Septembri. *Fredericus* autem Imperator, in festo beatæ Luciæ mortuus est.

CAP. IV.

Continet statum Terræ Promissionis eo tempore quo ibi fuit Rex LODOVICVS, eiusq; reditum in Franciam.

IV. EOdem anno quo suprà, *Soldanus Alapiæ* congregatis xxx. millibus equitum, iuit in Ægyptũ: & factus primò victor, postea ab Ægyptiis superatur, & de tota multitudine exercitus sui vix duo millia euaserunt: de Ægyptiis verò vsq; ad duo millia interfecti sunt. Sequenti anno, xxix. Martii, Rex Franciæ iuit ad firmandum *Cæsaream*. Tunc *Boamundus*, Princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus moritur, cui succedit filius *Boamundus*. Sequenti anno, Rex Franciæ xv. Aprilis iuit ad firmandam *Iapham*: quo anno mortua est Regina *Blancha* mater ipsius. *Boamundus* verò, cũ matre *Lucia*, iuit Iapham, vbi à Rege Franciæ miles factus est. Eodem etiam anno, *Iulianus* dominus Sydonis, despõsauit filiam *Aithonis* Regis Armeniæ. M.CCLIII. venit ante Ptolomaydam Soldanus Damasci, factâ concordiâ cum Soldano Ægypti, contra præstitum iuramentum: & destruxerunt vnum casale iuxta Ptolomaydam vocatum *Doc* & *Recordaner*. Postea ceperunt *Sydonem*, interfectis personis quasi octingentis: & quadringenti Damascum in captiuitatem ducti sunt. Rex autem Franciæ, post reparatam Iapham, Sydonem reædificauit. *Henricus* autẽ Rex Cypri moritur. Tunc *Bayton* Rex Armeniæ, iuit ad Tartaros. *part. XIII. c. VI.* M.CCLIV. expleto muro Sydonis, Rex Franciæ venit Ptolomaydam VIII. Martii; & in Paschate fecit militem *Balianum* de Ybelyn, filium domini de Arsuf, qui despõnsauit *Placentiam* Reginam Cypri. Et XXIV. Aprilis, Rex Franciæ, cum gẽte sua, parat se ad eundũ in Franciam: & habuit in societate sua octo naues, & quatuor galeas: & in crastino horâ vespertinâ in festo beati Marci recessit de portu Ptolomensi, relinquens pro custodia ciuitatis centum milites, secundùm dispositionem Senescalci regni Ierusalem. Eodem anno, XXII. Maii, mortuus est Rex *Conradus*. *Boamundus* autem Princeps Antiochiæ, despõnsauit *Sybiliam* filiam Aithonis Regis Armeniæ.

A.Dni. 1251. A.Dni. 1252. A.D. 1251. A.D. 1252.

CAP. V.

Continet discordiam Ianuensium cum Venetis & Pisanis, in partibus vltramarinis.

V. 1255. ALexander Papa IV. Hospitalariis donauit Sanctũ Lazarum de Bethania, & mõte Tabor. Sequenti autẽ anno, venit Ptolomaydam *Marcus Iustinianus* Consul Venetorũ; & præsentauit litteras Patriarchæ Ierosolymitano, ex parte summi Pontificis, continentes vt Venetos in possessione poneret Sancti Sabæ. Ianuẽses autem, portauerunt & ipsi litteras Priori Hospitalis, continentes, vt habere debeant S. Sabam. Pro hac ergo causa, M.CCLVI. incepit discordia inter eos: & eodem anno Ianuenses debellauerunt Venetos, cum auxilio Pisanorum, & cucurrerũt infra eorum habitationem vsq; ad S. Marcum: deinde Pisani Venetis pacificati sunt; & acceperunt Lecaban, & mensuras Venetorum: & compositum fuit, vt vsq; ad annos xx. mutuò se iuuarent, in odium Ianuensium. Sequenti verò anno, Ianuenses composuerunt cum dominio Acon, in odium prædictæ concordiæ: propter quod, dominium Acon simul cũ Ianuẽsibus, aggreditur simul & Pisanos & Venetos, duasq; turres Pisanorum tandem obtinuit. Eodem anno, venit Ptolomaydam pro Venetis *Laurentius Teuplo*, capitaneus XIII. galearum; & occupauit portum Ptolomaydæ violenter. Ianuenses verò armauerunt galeas in Tyro, pugnauerunt q; simul: & Veneti, ante Tyrum ceperunt Ianuensium tres galeas, & Ptolomaydam cõduxerunt. Ipso tempore primo die Februarii venit Ptolomaydam *Boamundus* Princeps Antiochiæ, conducens *Placentiam* Reginam Cypri, sororem suam; & *Hugonem* nepotẽ suum Reginæ filiũ, & heredem regnorum Ierusalem & Cypri: & ad inductionem Magistri Templi, & *Iohannes de Ybelyn*, & *Iohannis* comitis Iaphæ, Venetorum ac Pisanorum partes prosecutus est. M.CCLVIII. reformata est pax & concordia inter *Boamundum* Principem Antiochenum, & *Balianum* filium domini Arsuf. *Balianus* quoq; & Regina *Placentia*, à matrimonio inter ipsos celebrato se mutuò absoluerũt: rediit quoq; Regina, cum filio & Principe, Tripolim: & remansit Bayliuus Ptolomaydæ,

A.D. 1256. A.D. 1257. A.D. 1258.

maydæ, *Iohannes de Ybelyn* dominus Arſuf. Eodem anno, XLIX. galeæ & quattuor naues Ianuenſium, ante portum Ptolomaydæ venerunt in vigilia Sancti Iohannis: tunc armauerunt Veneti & Piſani XL. galeas; & aggreſſi ſunt illos, inter Ptolomaydam & Caypham; eosq; debellauerunt, captis galeis XXIV. captis etiam vel interfectis mille ſeptingentis viris. Tunc pax in ciuitate Ptolomaydæ hoc pacto reformata eſt: vt videlicet turris munitiſſima Ianuenſium deſtruatur, cunctaq; ædificia: & Tyri de cætero commorantes, vexillum in ſuis nauigiis ad portum Ptolomaydæ nunquam portent; nec in Ptolomayda habeant de cætero curiam vel præconem.

CAP. VI.

Continet bella quædam Tartarorum, & Saracenorum; & etiam Chriſtianorum.

ANno eodem *Tartari* occupauêre terram Arſaſidarum, & Perſidam vniuerſam; & in *Baldac*, præciderunt caput Calyphæ Baldacenſi. Tunc mortuus eſt *Iohannes de Ybelyn* dominus Arſuf, qui erat Bayliuus regni Ieruſalem: & factus eſt Bayliuus *Ioſridus*, qui ſuo rigore malefactores puniens exterrebat, M. CCLIX. erat autem Seneſcalcus regni Ieruſalem. *Tartari* autem ſequenti anno violenter irrumpentes ceperunt *Alapiam*, *Harent*, *Haman*, *Calamelam*, & *Damaſcum*: occidentes cunctos factos ſibi obuiam Saracenos. Intrant deindè regnum *Ieruſalem*, capiuntq; *Sydonem*: ſed caſtrum maris nullatenus capere potuerunt. *Ptolomenſes* verò eorum timore præciderunt viridaria extra ciuitatem; & turres viridariorum ad terram proiecerunt, amouentes etiam lapides cimiterii cum lapidibus ædificiorum. Sed tertio die Octobris, in plano Tyberiadis à *Soldano Babyloniæ* debellati ſunt. Poſtquã verò Soldanus cum victoria rediit in Babylonẽ, à *Bendocdar* interfectus eſt, qui illi in dominio ſucceſſit. Tunc *Iulianus* dominus Sydonis, vendidit Sydonem, & Belfort Templariis, propter quod, inter eos & Regem Armeniæ non parua diſcordia orta eſt. Eodem anno, à *Turchemannis* ſuperati ſunt *Iohannes de Ybelyn* dominus Baruti, *Iohannes de Zibelet* Mareſcalcus regni: magna congregatio Templariorum, & milites Ptolomaydæ: multiq; fuerunt vel capti vel mortui. M. CCLXI. *Balianus* dominus Arſuf, vendidit Arſuf cum ſuis pertinentiis Hoſpitalariis. Quo anno *Paliologus*, Imperator Conſtantinopolitanus, expulſis Latinis, effectus eſt: *Placentia* etiam Cypri Regina, mortua eſt; & *Hugo* de Liſignano, nepos Principis Antiocheni, factus fuit Cypri Bayliuus. Saraceni Babylonii, M. CCLXII. *Antiochiam* obſederunt: ſed, procurante Rege Armeniæ, venientes Tartari obſidionem ſoluerunt. Sequenti anno, *Bendocdar* cum XXX. millibus equitum venit ante Ptolomaydam, XIV. die Aprilis: ſequenti die impetuoſe nimis vſq; ad portas ciuitatis proſiliit, viridaria combuſſit: fuitq; ciuitas in periculo magno valdè. Ratio huius impetus fuit, quia Templarii & Hoſpitalarii nolebant Soldano ſclauos, ſecundùm pacta, reddere; cùm ipſe vellet reddere quod debebat: vnde Comiti Iaphæ tunc proculdubio treuguam ſeruauit. Eodem quoq; menſe, Saraceni deſtruxerunt monaſterium Bethlehemitanum. Eodem anno Papa Vrbanus IV. regnum Sycilię, quod *Manfredus* contra voluntatem Eccleſiæ detinebat, *Karulo* Comiti Prouinciæ, fratri Sancti LODOVICI Regis Franciæ, contulit redimendum. Eodem etiam anno, ſecundâ die Septembris, LV. galeæ & taridæ *Venetorum* venerunt ante Tyrum; & Veneti, qui erant Ptolomaydæ, cum ſeptem galeis iuerunt eis in auxilium: Ptolomenſes verò, vſq; ad duo millia, per terram iuerunt ad ſuccurrendum Tyrenſibus. Veneti autem facto inſultu, nihil egerunt; & redeũtes Ptolomaydam XV. diebus ibi fuerunt, neminemq; læſerunt.

VI.

A. Dni. 1259. 1260. A. Dni. 1261. A. D. 1261. A. D. 1261.

CAP. VII.

Continet Yſabellis petitionem de bayliuatu regni Ieruſalem: locorum deſtructionem variam tam per Chriſtianos, quàm per Saracenos.

HEnricus, filius Boamundi Principis Antiocheni, cum vxore ſua *Yſabella*, filia quondam Hugonis Regis Cypri, & Aylifiæ Reginæ, venit Ptolomaydam, petens bayliuatum, quia ſibi competeret: quod ſibi conceſſum eſt, nullo facto homagio, aut fidelitatis præſtito iuramento, quia heredem ſecum regni non duxerat: propter quod Yſabella in Cyprũ rediit, virũ ſuũ Ptolomaydæ relinquẽs bayliuum.

VII.

A. Dni. 1264. Sequenti anno, XVI. Ianuarii Hospitalarii & Templarii destruxerunt *Lilion*: multis quoq; interfectis, adduxerunt prædam hominum vtriusq; sexus vsq; ad trecentos, multorumq; animalium; nec perierunt ex Christianis vltra tres. XV. Iunii Christiani de Ptolomayda cum Hospitalariis & Templariis exierunt ad redimendum *Gerardum* quendam, quem Saraceni proditiosè cœperant cum multis in Rama, nec reddere volebant: & ideò iuerunt vsq; Ascalonam, omnia vastando & comburendo: & inuentos duos Admiraldos occiderunt, & XXVIII. ex quadringẽtis, qui cum eis erant: & sine damno, DEI gratiâ, redière. Vicesimo Septembris *Oliuerius de Termes* Ptolomaydæ applicuit: qui die quintâ Nouembris cum militia Ptolomensi, Hospitalariis, & Templariis, destruxerunt Bethsan, & plura casalia: & terram vndique comburentes, hominum ac iumentorum magnam egerunt prædam. Eodem anno, XXVI. Ianuarii, *Bendocdar* cepit *Cæsaream*, per proditionem: cuius timore Ptolomenses turrim molendinorum prosternunt, & Ecclesiam Sancti Nicolai in cimiterio. Soldanus verò castrum Arsuf obsidens, vndique vallauit. *Hugo* verò de Lisignano Bayliuus Cypri, cum pulchra militia, in die beati Georgii, A. Dni. 1265. Ptolomaydæ duxit stolum: M. CCLXV. Erat autem tunc militia regni Cypri, magni valoris, magnæque prudentiæ: fuerunt autem in eius societate CXXX. milites, & alii equites. Eodem anno vltimo Aprilis, captum est castrum Arsuf: ab Oriente enim Ptolomaydæ visum est clarum signum quasi ensis, longitudinis lanceæ, percutere turrim Ecclesiæ Sanctæ Crucis. Fuerunt quoque capti aut mortui Hospitalarii XC. & qui in castro erant vniuersi, circa mille, ducti sunt in captiuitate Babyloniæ. Vicesimo autem die Octobris Ptolomaydæ applicuit *Comes de Neuers* cum militibus quinquaginta.

CAP. VIII.

Continet insultus varios Soldani Babyloniæ in Christianos: mutuas quoq; insidias Ianuensium, & Venetorum.

VIII. A. Dni. 1266. BEndocdar, M. CCLXVI. primo Iunii venit antè *Ptolomaydam*; ibiq; octo diebus immoratus est. Ibi nihil agens, ad Castrum *Montis-Fortis* nonâ die accessit: & ibi nihil agens, ad castrum *Saphet* se contulit; obtinuitque XXIV. die mensis: & contra deditionis pacta, præter Castellanum, cunctos occidit. [Obtento enim castro post Solis occasum, misit Admiratum, suadens vt Saracenorum legem suscipiant; alioquin gladio cuncti perirent. At vniuersi, duorum Fratrum Minorum, qui aderant, monitis, totâ nocte confortati, martyrium potius elegerunt, quàm CHRISTI negare fidem, fluebatque sanguis per montis decliuum, quasi aquæ riuulus, fuerunt autem vltra DC. Post hos verò fratrem *Iacobum de Podio*, & fratrem *Ieremiam*, quia cæteros in fide firmauerant, & Priorem Templariorum excoriari fecerunt, deinde fustigari; postremo ad locum cæterorum deducti, capite cæsi sunt. Fecit autem Soldanus locum materiâ circundari, quia noctibus super corpora splendebat lux, etiam cernentibus Saracenis.] Interim verò, quintâ die eiusdem mensis, vnus Admiraldus discurrit ciuitates & districtus Tyri, & Tripolis, & Tortosæ. Et XXII. Augusti, similiter vnus fortis Admiraldus percurrens terram Armeniæ, cœpit vnum de filiis Regis, alterumq; occidit cum populo multo. Et huius nouitatis causa fuit via Regis ad Tartaros: *supra capit. VI.* Eo mense *Comes de Neuers* Ptolomaydæ mortuus est: non sine Christianorum iactura, & maximè pauperum. Tunc etiam *Hugo de Lisignano*, cum tribus mansionibus, & aliis militibus Gallicis & aliis, equitibus ac peditibus, versus *Tyberiadem* processit: tunc clamor in terra personuit. Turchi autem, qui erant in *Saphet*, insidias posuerunt iuxta planum Ptolomaydæ. Accidit autem, vt propter lucri cupiditatem, primâ custodiâ per tres leucas à cæteris abscessisset: propter quod Turchi in eos irruentes, turpiter debellauerunt. Mense verò Decembri, mortuus A. Dni. 1267. est *Iohannes de Ybelyn* comes Iaphæ. Sequenti anno, secundo die Maii, *Bendocdar* venit antè *Ptolomaydam*: & dum eorum nonnulli insignia portant Hospitalis & Templi, vsque ad quingentos pauperes, qui pro lucro ad herbas & huiusmodi venerant, incautos interimunt: ferturque quòd fel cuiusque extraxerint, & pellem capitis excoriauerint vsq; ad aures. In crastino, Soldanus retraxit

traxit se vsq; Saphet; & XVII. die mensis, antè *Ptolomaydam* rediens, turrem viridariorum, arbores, vites, & quæcunq; potuit, demoliri iussit. Eodem anno XVI. Augusti, *Lucas de Grimaldis*, cum XXV. galeis *Ianuensium*, portum cœpit Ptolomaydæ: nec sinebat intrare aut exire nauigium quod ipsi non caperent, & Tyrum conducerent: cõbusseruntq; duas Pisanorum naues. Sed XXVIII. die eiusdem mensis, applicuerunt ad portum, XXVIII. galeæ *Venetorum*. Ianuenses verò, vt illorum cognouerunt aduẽtum, priuatè quàm portuerunt de portu exeuntes, versus Tyrum arripuêre iter. Venetiverò illos continuò insecuti sunt; & captis ex eis quinque galeis, Ptolomaydam redière. In crastino autem redeuntes, Tyrum recessisse inuenerunt, & aliquãdiu insecuti sunt. Tunc mortuus est *Hugo* heres regni Cypri, de mense Nouembris: ei verò successit *Hugo de Lisignano* consanguineus eius.

CAP. IX.

Continet insultus varios Bendocdar in Christianos: & Antiochenæ ciuitatis amissionem.

SEquenti anno, *Bendocdar* VII. die Martij, cœpit *Iapham* proditiosè; & tempore treuguarum, multos ex pauperibus occidit; aliis dedit conductum, multis primò expoliatis. XV. verò die Aprilis, cœpit castrum de *Belfort*: & XXII. eiusdem mensis, venit Ptolomaydam Hugo Rex Cypri. Tunc *Soldanus* venit *Tripolim*, & destruxit viridaria: Deindè processit contra *Antiochiam*; & XXIX. Maii, ciuitatem absque vllo belli tumultu cœpit: & post captionem, vsq; ad XVII. millia personarũ interfecta sunt; & vltra centum millia captiuata sunt: & facta est ciuitas tam famosa, quasi solitudo deserti. Cœpit quoq; *portũ Præbonelli*, iuxta introitum Armeniæ. Sequenti anno, XXIV. die mensis Septembris, cum parua, quantũ extimo, sollẽnitate vel cordis lætitia, *Hugo* Rex Cypri, Ierusalẽ diadema suscepit in ciuitate Tyri: quo anno, omnium rerũ fuit penuria, ità vt modius frumenti valeret octo Bizantiis. Tũc aliqui proceres, fortè cum ducentis militibus, in nemore steterunt in insidiis, iuxta Ptolomaydam ad vnam leucam: Turchi autem qui erant in Saphet, super eos irruerunt: licèt autem viriliter resisterent, aduẽniente tandẽ multitudine, pauci a plurib. corripiuntur. Eodem anno, *Rex Arragonum* ad Terrę Sanctæ veniebat succursum, & quartà die validâ tempestate exortâ, penè naufragium passus, cum parte stoli rediit; pars verò altera, cum qua erant duo eius filii illegitimi, putans Regem processisse, ad Ptolomaydam vsque peruenit: Rex autem, pericula maris ac corporis perhorrescens, amplius transfretare noluit. Accidit autem vt infans Regis prædicti præfatum immediatè bellum cerneret, velletque Christianis in auxilium proficisci: fuit tamen illi, propter Turchorum multitudinem dissuasum. Eodem annò, in *Armenia* tantus fuit *terræmotus*, vt quinque castra obruerit, tres Abbatias Armenorum, & casalia vsque XII.

A Dni. 1268.

A. D. 1269.

CAPVT X.

Continet passagium, & mortem Sancti Lodouici Regis Franciæ in Tunitium: & formam pacis inter Carulum Regem Siciliæ, & Regem Tunitij.

LODOVICVS *Rex Franciæ*, pro cælesti regno affectans cõmutare terrenum, Passagium iterans contra hostes nominis Christiani, habuit secum *Regem Nauarræ*, & consortem ipsius: filiam fratris Regis Franciæ: fratrem etiam suum, *comitem Tholosanum* & Pictauiensem: filios suos *Philippum*, qui ei succedere debebat in regno; & *Iohannem Tristanum*, cæterosque Barones, & bellatorum multitudinem copiosam: secutusq; est eum *Odoardus*, filius Regis Angliæ. Parato itaque exercitu, Rex Tunitium obsidere disponit, quia magnum damnum transfretantibus inferebat Christianis. Secundo autem Iunii trãsfretare cœpit, Sardiniæ portum capiens: indeque procedens contra Tunitium, cepit Cartliaginem: & tunc epidimia inuasit exercitum. Requiritur proindè frater eius, Karolus, Rex Siciliæ, vt in auxilium vadat fratris & populi Christiani: profectus autem Rex, in *Garbum* castra metatus est, in loco qui dicitur *Certacarne*. Ibi *Iohannes* Tristanus infirmari cœpit, & mortuus est; post eum Legatus: post eum *S. Rex LODOVICVS*, qui dum infirmaretur Dominum laudare non cessans, orationem illam sæpè interserebat; *Fac nos*,

quæso, Domine, pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Pro populo etiam orabat similiter: *Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator & custos; & quam tibi facis esse deuotam, benigno refoue miseratus auxilio.* Et appropinquans ad finem, cœlum suspiciens ait: *Introibo, Domine, in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum.* Quo dicto in festo beati Bartholomei, Rex Deo gratus obdormiuit in Domino, *MCCLXX.* eiusdem Domini anno. Erat autem stupor videre mortem non solùm vulgi, sed etiam tot Comitum, militum, & Baronum. Post mortem verò beati LVDOVICI, aduenies frater eius *Rex Siciliæ*, erectis machinis, ac præparatis bellicis instrumentis, per terram & per aquam *Tunitium* expugnare disponebat: sed propter epidimiam iam dictam, cum Rege Tunitii composuit; acceptaque magnâ summâ pecuniæ propter expensas quas Reges ibi fecerant, exercitum ducit in Siciliam, vbi *Rex Nauarræ* mortuus est. Et cùm peruenissent ad portum Trapanitanum, exortâ tempestate nauigia confracta sunt: & exercitus per terram rediit. Inter cæteras verò pacis conuentiones, promisit Rex Tunitii cunctos Christianos captiuos dimittere: & quòd monasteriis ad honorem CHRISTI in omnibus ciuitatibus regni illius constitutis, fidem CHRISTI per prædicatores & Minores, & quoscunque alios liberè prædicari fineret, & baptizari volentium nullum impediret; Regiq; Karulo prædicto tributarius factus est.

A Dni. 1270.

CAP. XI.

Continet insultum Bendocdar in Christianos & qualiter Christiani induxerunt Tartaros contra eum: at treugarum miseram compositionem.

XI. POstquam à Tunitio Passagium summotum est, eodem anno, & de prædicto loco, applicuêre Ptolomaydæ quingenti *Frisones*, viri cunctis kari & Catholici. Cessauerat iam memorata supra rerum inopia, aderatque cunctorum bonorum fertilitas. Sequenti anno, XVIII. Februarii *Bendocdar* obsedit castrum Crac, quod erat Hospitalariorum; & VIII. Aprilis, non valentes amplius locum defendere qui deintus erant, saluis personis reddidêre castrum: Turrem quoque destruxit *castri Blanci, & Gibelathar*, quod erat Principis: fecit quoque treuguas cum Comite Tripolitano: & cepit *Montfort* destruxitque, quod erat Alamanorum; deindè antè *Ptolomaydam* stetit: cepit quoque castrum vnum Veteli de Montibus. XIV. autem galeæ Saracenorum iuxta *Limissò* confractæ sunt, & eorum vsq; ad tria millia mortui aut capti. *Odoardus* etiam, de quo superiori capitulo fecimus mentionem, IX. die Madii, cum auunculo, & filio Comitis Britaniæ, & multa comitiua, Ptolomaydæ applicuit: eumque frater ipsius, de mense Septembri, cum pauciori bus secutus est. Tunc attendens actualem sæuitiam, & sæuientem potentiam Bendocdar in districtum & populum Christianum, cum cæteris habitâ deliberatione, prudentes nuntios ad *Tartaros* dirigunt: qui prouocati discurrunt per totam terram Antiochiæ, Alapiæ, Haman, Calamele, vsque ad magnam Cæsaream, Saracenos vbique interimentes; Indeque redierunt ad locum dictum *Marays*, ad introitum Turchiæ, multam conducentes prædam sclauorum & animalium: ibi quietem aliquandiu eligentes, propter laborum excessum, copiamque aquatum, intuitu etiam iumentorum. Illo etiam tempore, XXII. Iunii, qui hæc procurauerunt, egrediuntur ad demoliendum locum, qui *Sanctus Georgius* dicitur. In ipso itinere Anglici, calore nimio, & intemperantiâ fructuum & mellis grauati nimis, in multitudine periêre. Die verò XXIII. Nouembris, dominus *Odoardus* & frater eius, Rex Cypri, & tres Mansiones, & Peregrini, cum peditibus iuerunt Cæsaream, vt demolirent *Caco*: cuntes autem, inuenerunt *Turchemannos* aduenisse, nihil suspicantes aduersi. Incautos igitur præoccupant, & vsque ad mille quingentos interimunt, quinque millia animalium reportantes: propter lucrum dimittentes principale intentum de *turri Caco*: propter quod à Saracenis minoris sunt reputati valoris. & Soldanus ipse, nuntiis Regis Karoli, qui pro treuguis obtinendis ad eum iuerant, respondit: quia *tot & tales in capienda vna munitione defecerant, vt verisimiliter, nequaquam credere posset, eos aptos ad Ierosolymitanum regnum suis viribus occupandum.* Treugua tamen inter Hugonem Regem Ierusalem & Bendocdar *MCCLXXII. XXI.* Aprilis facta est: nec obtenta est nisi in plano Ptolomaydæ, & in itinere quo pergitur Nazareth.

An. D. 1271.

A. Dni. 1272.

CAP.

CAP. XII.

Continet recessum Domini Odoardi de terra Sancta: & missum auxilium ab Ecclesia, à Rege Franciæ: ac quædam incidentia.

Odoardus, qui postea fuit Rex Angliæ, Saracenum quẽdam habebat ita familiarem, vt facilimè ad eum posset ingredi cùm liberet. Et cùm semel surrexisset à somno Meridiano in camera sua, Saracenus gladio venenato, XVIII. die Iunii, eum aggressus pluries percussit. Sed *Odoardus* nequaquam territus, prostrato Saraceno violenter gladium abstulit: accedentes verò milites Asasinum gladiauerunt: tum difficultate verò de vulneribus curatus est: & cùm Barones alii præcessissent, ipse XXII. Septembris versus patriam suam iter arripuit. Illis diebus, inter *Regem*, & *milites Cypri* discordia quædam emersit: requirente Rege vt sibi cum armis extra Insulam inseruirent. Illi verò è contra asserentibus, quia ad id nullatenus tenerentur: tandem quibusdam mediatoribus conuenerunt, vt quatuor mensibus anni, Regi ex Insula seruiant, vbi adesset personaliter, aut filius Regis. Factus est autem Senescalcus regni Ierusalem dominus *Iohannes de Grelli*. Patriarcha Ierosolymitanus aduenies, quingẽtos duxit armatos, inter pedites & equites, ad stipendium Ecclesiæ. *Ayton.* Rex Armeniæ, moritur, cui successit *Leo* filius eius *infra p. 13. c. 81.* *Oliuerius* autem de *Termes*: *MCCLXXIII.* VIII. Aprilis, redieps à Rege Franciæ, ad ipsius Regis stipendia duxit XXV. equites, & centum pedites balistarios. Tunc etiam venit Ptolomaydam Bayliuus pro Venetis, *Petrus Geno*, qui nequaquam passus est *Iohannem Montis Fortis*, qui se Tyri dominum appellabat, Ptolomaydæ immorari, quia Tyri Venetorum iura indebitè violaret: sed milites Mansionem, pro vitando scandalo, fecerunt ire illum Nazareth, indeque transire Tyrum. Venit quoq; Ptolomaydam *Egidius de Santi*, cum quadringentis balistariis, ad stipendium Ecclesiæ & Regis Franciæ: & post hunc *Petrus Damineis*, cum trecentis balistariis ad conforme stipendium.

A. Dni. 1273.

CAP. XIII.

Continet sollicitudinem Lugdunensis Concilii, pro subsidio Terræ Sanctæ.

XIII. *Gregorius* X. existens Archidiaconus Leodiensis, deuotionis gratiâ ad visitandum Terram Sanctam profectus, in Papam eligitur. Pro eius electione magnũ gaudium habuêre fideles Terræ promissionis, erecti ad spem magni auxilii: quia Christi vicarius, Terræ Sanctæ deuotus, oculis conspexerat, & experientiæ manu palpauerat miserabilem ac lugubrem eius statum. Ipse quoque de Ptolomayda recessurus, inter cætera collationis suæ verba melliflua, cordis sui affectum aperiens, dum de statu Terræ Sanctæ & Ierusalem loqueretur aiebat: *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verè obliuioni non tradidit: sed proponit principaliter pro Terræ Sanctæ subsidio congregare Concilium: & quia *Lugduni*, potius quàm Romæ,, Prælatorum, & Baronum maximè, habere copiam commodiùs poterat, ibi statuit Concilium congregari, *MCCLXXIV.* in Kalendis Madii. Tunc venerunt de Alamania sollemnes nuntii denuntiantes pessimum Terræ statum, & maximè Ecclesiarum, propter Regis carentiam: & celeriter expediti redeunt. Eligitur autem Alamaniæ Rex & Imperator, *Comes de Asburg Rodulphus*: quam electionem Papa confirmauit, ad fauorem Terræ promissionis: Ille verò statim voluit crucesignari. *Philippus* quoque Rex Franciæ tempus præuenit concilii: reddiditq; summo Pontifici Comitatum *Venesi*, quem longo tempore ab Ecclesia sui tenuerant prædecessores: & Crucem deuotus assumpsit. Illuc & *Alfonsus* venit Rex Castellæ, pro Corona Alamaniæ: fuerat enim simul electus cum *Richardo* comite Cornubiæ *MCCLVI.* & pro obtinendo Imperio magnas fecerat expensas; & nunc promittebat grandia ad subsidium Terræ Sanctæ: sed tandem ad preces Papæ, cessit *Rodulpho*, renuntians omni iuri quod videretur habere. Interfuerunt quoq; illi concilio nuntii pro Principibus, & aliis habitatoribus Terræ Sanctæ, diligenti ratione exponentes statum & negotia dictæ Terræ. Hiis maximè Papa diligenter attendit, quia illuc accedere personaliter intẽdebat. Tunc statutum est, vt pro subsidio Terræ Sanctæ vsq; ad sex annos, Ecclesiarũ decimæ deputarẽtur, vt etiã

Psal. 136.

A. Dni. 1274.

A. Dni. 1256.

cippi cum tribus clauibus in Ecclesiis ponerentur, ad oblationes fidelium reponẽdas. *Rex* etiam *Cypri*, procuratores suos misit ad respondendum Domicellæ *Mariæ*, quæ regnum petebat Ierusalem, asserens sibi iure hereditario obuenire. Interfuerunt quoq; huic Concilio nuntii Græcorum & Tartarorum: *supra part. VIII. ca. I.* At postquam glorioſus Pontifex, cunctis dispositis imposuit finem Concilio, Romamq; rediret pro coronando Imperatore in Aror o Tusciæ sublatus de medio, exigentibus peccatis hominum, tam pium propositum non impleuit.

CAP. XIV.

Continet turbationem vltramarinorum fidelium, extrinsecam & intrinsecam: & quoddam illis missum auxilium.

XIV. A. Dni. 1277. MOritur etiam *Boamundus*, Princeps Antiochenus & Comes Tripolitanus, MCCLXXV. XI. Madii: & succeſſit ei filius *Boamundus*: qui, de consilio matris & Episcopi Tortosæ, qui eũ, adhuc minoris ætatis, in omnibus dirigebãt, iuit in Armeniã ad Regem auunculũ suum pro suscipiendo balteo militari. Mortuus est & *Oliuerius de Termes* XII. Augusti. Eodẽ anno *Bendocdar*, qui vocabatur *Melec Madauar*, percurrit planum Armeniæ: & percussit in ore gladii vltra XX. milia hominũ, captiuos trahens secum pueros & puellas, vsq; ad decem millia; equos verò, & animalia maiora & minora, vltrà ad trecẽta millia. Rex autẽ cum equitibus, ad montana perrexit: mercatores, & cæteri qui potuerunt, cum rebus suis, cum nauibus per mare periculum euadentes, in Pyratarum ceciderunt manibus, deindè Ptolomaydam peruenerunt. Circa finem autem Octobris, dominus *Guilielmus de Rosseylon* applicuit Ptolomaydæ cum XL. militibus, & aliis LX. equitibus, & cum quadringentis baliſtariis ad stipendia Ecclesiæ. *Rex* verò *Cypri*, post mortem Principis Antiocheni consanguinei sui, cum multa comitiua *Tripolim* aduenit, ad consulendum & iuuandum puerum qui remanserat: sed Episcopus Tortosæ, quia tractante matre prior venerat, & iam curam assumpserat pueri, Regis frustrauit intentum: propter quod de Tripoli recedens venit *Ptolomaydam*. Tunc etiam in *Tripoli* non parua turbatio orta est: quia Romani, qui priùs dominium terræ habuerant, in vita alterius Principis, multos læserant milites: propterea nunc ab eis tres gladio interempti sunt. Et quia Episcopus Tripolitanus Romanus Romanos defendebat, nam auunculus erat Principis; Episcopus verò Tortosæ Principis Tutor, milites defendebat, inter Episcopos orta dissensio, radix fuit malorum sequentium, ac inter Principem & Templarios discordiæ seminarium. *Dominus* quoque de *Gybeleth*, quia procurantibus Templariis concordiam cũ Tripolitano Episcopo iniit, in odium venit Principis, procuratione Episcopi tutoris sui: creuit proinde orta turbatio, & multiplicata sunt mala in terra. A. Dni. 1276. Anno sequenti, XXVII. die Iunii, *Henricus Princeps*, pater Regis Cypri de Ptolomayda Cyprum nauigans, dum taridâ rupe impegit, naufragio periit. In mense autem Octobris, turbatus Rex prædictus, de Ptolomayda iuit Tyrum, nullo ibi officiali relicto, qui iustitiam vel quicquam aliud ageret: Inter ipsum n. & cõmunitatem, & fraternitates, & Mansiones, plures fuerunt controuersiæ; nec eos ad libitum regere valebat. Super hæc omnia, Templarii, inconsulto Rege, Casale de *Fauconeria* acquisierant à quodam milite, qui illud sub homagio à Rege tenebat. Pluries autem requisitus est Rex, vt de officialibus disponeret, nec in tali statu ciuitatem teneret; maximè propter hostiles insidias & insultus: Nuntii verò fuêre, Prælati, religiosi, milites, Hospitalarii, Alamani, Burgenses, Pisani, Ianuenses. Templarii autem & Veneti, in hac requisitione minimè fuêre: sed aiebant, *Si vult venire, veniat; sin autem, non curamus.* Rex verò ad nullius preces, aures inclinare voluit. Inter hæc amici Regis, vt commotionem in ciuitate faciant, inter familiares Hospitalis & Templi iurgia prouocant, & de hiis qui ad Templum pertinebant, nonnulli mortui sunt. Offensi verò, vt procurantium frustretur praua intentio, & quia ad altiora intendunt, sub dissimulatione pertranseunt. Attendentes autẽ superiùs memorati, quòd Magister Templi negotio ciuitatis aliter intendere negligebat, reuertuntur ad Regem; & dulcissimis precibus suadent reditum. Ille verò precibus annuens, *Dominum Arsur* instituit Bayliuum, & *Guilielmum de Flori* vicecomitem, & de aliis officialibus ordinauit; clamque in Cyprum rediit.

CAP.

CAP. XV.

Continet finem litigii in Romana curia inter Regem Cypri & Domicellam Mariam: & qualiter dicta Maria iura sua donauit Karolo Regi Siciliæ.

XV. REx Cypri, antequam de Tyro recederet, de nuntiis ordinat transmittendis, ad Occidentales Reges & Principes, maximè ad Papam & Cardinales, qui inobedientiam denuntient eorum, qui Ptolomaydæ commorantur: orans vt de eis ac regni Ierosolymitani statu adhibeant salubre remedium. *Maria* verò prædicta, quæ Romanam curiam continuè sequebatur, *supra cap. XIII.* velut hæres, petitionem de obtinendo regno Ierusalem assiduè prosequens, per Templi nuntios superiùs narrata cuncta cognouerat. Requirit proindè, more solito, ab Episcopo Albanensi qui iudex fuerat institutus, ius sibi decerni: procurator verò Regis Cypri excipit, secundùm morem, asserens quòd litigium de regno Ierusalem non pertineret ad Romanam Curiam, nec de hoc inibi tenebatur in aliquo respondere: pertinebat autem ad Barones regni de huiusmodi iudicare. Domina verò exceptionem acceptat tanquam legitimam, rogatq; iudicem, ceterosq; dominos Cardinales & præsentes Prælatos, vt sibi per manum publicam detur exceptio eorum munita sigillis: annuitur petitioni; & à Romana curia quæstio totaliter summota est. Post hæc verò prædicta domina, *MCCLXXVII.* perfecit quod antè tractauerat; & corã pluribus Cardinalibus & Prælatis, & maiori parte Curiæ donauit, tanquam hæres legitimus regni Ierusalem, sicut pluries ostensum & declaratum fuerat per iudices dominos legum, Magistros decretorum, aduocatos & sapientes, omnia quæcunque iura habebat, & habere poterat in regno & de regno prædicto, Karolo Regi Siciliæ; prædictus verò Rex donationem præfatam recepit: & facta sunt instrumenta dictę donationis, per plures publicos Notarios, roborata nihilominus sigillis plurium Cardinalium ac Prælatorum, qui personaliter præfato interfuêre negotio. Deindè prædictæ dominæ Rex possessiones & cætera dedit donaria, quibus illa meritò cõtenta fuit: Sicq; regni Ierusalem ius ad Regem Karolum deuolutum est. *Adrianus* verò Papa, magnum ostendit affectum ad succursum Terræ per Gregorium inchoatum: & misit Patriarchæ XII. millia librarum Turonensium, pro galeis construendis, vel aliis magis bonorum virorum iudicio opportunis: suisq; litteris multùm confortauit incolas Terræ Sanctæ, & ad spem erexit magni auxilii: sed in Pontificatu vixit non amplius XXXIX. diebus. A. Dni 1277.

CAP. XVI.

Continet aduentum Bayliui in Ptolomayda pro Rege Karolo: & qualiter ciues fecerunt illi homagium.

MIttitur itaque ex parte Regis Karoli, *Rogerius Comes Sancti Seuerini*, Bayliuus regni Ierusalem, & applicuit Ptolomaydę cũ sex galeis MCCLXXVII. VII. die Iunii. statim autem in aduentu ipsius, *Baliani de Ibelyn* dominus Arsuf, euacuato castro illi cessit. Ille verò cum suis castrum intrat, sumitq; terræ dominium, cum auxilio Templariorum, suorumq; complicum. Tunc verò mortuus est *Gulielmus de Rossellon*, inibi Capitaneus super gentem Regis Francorum. Tunc etiam inter Venetos & Tyri dominum pax reformata est, procuratione dictorum Templariorũ, sub Bayliuatu *Albertini Morosini*, inchoata sub eius præcessore domino *Iohan. Dandulo*: & recuperauerunt tunc Veneti ius in tertia parte Tyri, quam habebant ratione conquisitionis ipsius & diu possederunt: sed dominus *Philippus de Monte forti*, ius suum illis abstulerat, propter guerram quam cum Ianuensibus habuerant: *supra cap. V.* Moritur quoq; tunc & *Balianus* prædictus. Apto post tempore *Rogerius* Bayliuus, pro Rege Karolo pluries requisiuit milites qui erant Ptolomaydæ, vt sibi pro Rege homagium facerent. Illi se Regi Cypri aiebant fecisse homagium: ideo non poterant sibi homagium facere, nisi ab eo obtentâ licentiâ; vel nisi eis deficeret in quibus iure Regio tenebatur. Et cùm ad Regem Cypri sæpius transmississent, ille respõsis suis, nihil aliud quàm tempus reddebat. Tandem Comes eis peremptoriè mandat vt feuda dimittant, hospitia, & vniuersa bona sua, vel ei homagium faciant. tunc interuentione Magistri Templi obtinuerunt, vt adhuc semel ad Regem Cypri mitterent: & non habito sufficienter responso, dicto Comiti loco Regis Karoli fecerunt homagium: ipseq; Comes similiter iurauit, iuxta Regni sita, quod debuit: XVI. A. Dni. 1277.

deinde fecit *Seneſcalcum*, *Coneſtabulum*, *Mareſcalcum*, *Vice comitem*, & cæteros officiales, ſecundum patriæ morem. Requiſitus etiam Princeps Antiochenus vt faceret homagium, miſſis idoneis procuratoribus, debitum Regi Karolo fecit homagium.

CAP. XVII.

Continet debellationem & mortem Soldani Bendocdar: & diſcordiam Antiocheni Principis cum Templarijs: & qualiter Rex Cypri Ptolomaydam occupare voluit.

XVII. EOdem anno, *Bendo. dar* Soldanus Babyloniæ, audiens quòd Tartari quoddam eius caſtrum obſederant, vocatum *Labiere*, ſuper Euſraten, natando flumen pertranſiit; & reperit ſex mille *Mugulos*, qui illi multam intulêre moleſtiam; & amiſſis copiis, vulneratus Damaſcum rediit; & accedente ventris profluuio, XV. Aprilis extinctus eſt: ſuper quo Chriſtiani ineffabiliter lætati ſunt. Succeſſit autem illi filius *Melequelſayt*. Tunc etiam inter *Principem Antiochenum & Templarios*, diſcordia nimia oritur: nam homines Principis, familiaribus Templi tædia ingerebant; & ipſemet Princeps, tanquam iuuenis & inſolens, contra ipſos quoque fratres conuitia proferebat: læſi, querelas deferunt: ipſiq; confratres, & Tripolitanus Epiſcopus, non quæ pacis, ſed quæ diſcordiæ ſeminant: creſcunt odia in tantum vt Epiſcopus ipſe dimiſſo hoſpitio ad manſionem Templariorum confugerit, quorum erat confrater, & ſub quorum protectione erat, vt ipſe & cuncta quæ illius erant. Accidit quoq; vt *Magiſter Templi* per terram iens Tortoſam, ab introitu Tripolitanæ vrbis prohiberetur: faceretq; confici inſtrumentum de offenſa per Principem ſibi facta; reuerſuſq; eſt Ptolomayde, vt bellum ei inferret, dimiſſis aliquibus de confratribus, ad Principem offendendum in Gibeleth. Ipſe quoque Dominus Gibeleth, de Tripoli receſſerat turbatus cum Principe. Magiſter itaque Templi ſeptem galeas armat, mittitque ad obſidendum *Nephyn*, militesque per terram: ſed galeæ naufragium paſſæ ſunt, quia ibant contra Domini voluntatem; & qui per terram ibant, Ptolomaydam redière. Princeps verò & ipſe multos equites peditesque cõgregat, & ad obſidendum *Gibeleth* properat: nihil autem lucratus, plures amiſit milites. Ipſo verò tempore Magiſter Templi mortuus eſt. Eodem anno *Hugo* Rex Cypri, cum magna comitiua & ſeptingentis equitibus venit Tyrum, intendens tranſire Ptolomaydam: cum plutibus enim de ciuitate tractatum habuerat: & Ptolomayde fecit dari ſtipendia, Piſanis, Polanis, & multis. Sed antequam poſſet procedere ad intentum, completis quatuor menſibus, milites Cypri rediêre. Infecto itaque negotio, Rex poſt eos in Cyprum reuerſus eſt. Poſt tres autem annos, procurante Magiſtro Hoſpitalis, inter Principem & Templarios reconciliatio facta eſt.

CAP. XVIII.

Continet congreſſus Chriſtianorum & Saracenorum, in contrata Margath.

XVIII. A Dni. 1278. PErrexerunt Hoſpitalarii ad caſtrum vocatum *Margath*, MCCLXXVIII. & ceperunt Bayliuum Saracenorum, qui in partibus illis erat, & interfecerunt; & bellare cœperunt per diſtrictum Margath. Tunc etiam *Sangulaſcar* iuit antè Damaſcum ad impugnandum Saracenos, & debellatus fugit ad Aquas frigidas. Fratres quoque de Margath diſcurrerunt territorium *de Coible* MCCLXXX. in fine Octobris; & inuenerunt contratam benè munitam, & comminuerunt molendina: tunc clamor exortus eſt per terram *caſtri Blanchi*; & congregati ſunt benè quingenti equites tam Turchi quàm Turchemanni, & Chriſtianos inſequentes: dum autem eos nimis vrgerent, Chriſtiani conuerſi in perſecutores irruunt: & licet acriter bellatum ſit, Chriſtiani tamen victores effecti, vnum de ſuis tantummodo amiſerunt. In menſe autem Februarii venit exercitus Soldani antè *Margath*, ex parte Maracleæ: fuerunt q; equites II. M. pedites III. M. portantes ſecum quæcunq; ad obſidionem ſunt neceſſaria: dederunt inſultum illis qui erant in Margath: Illi vero exeuntes Saracenos aggrediuntur, & debellauerunt, occidentes plurimos, de cœlo ſibi datâ victoriâ: de Chriſtianis verò tantum XI. periêre. Sequenti anno exierunt *Tartari* diſcurrentes vſque ad Calamele, & Alapiam: & occiderunt gladio

A Dni. 1281.

dio omnes Saracenos obuiam sibi factos. Soldanus verò Babyloniæ hæ audiens, quantum potuit congregauit exercitum: vsq; videlicet ad centum millia equitum, & totidem peditum: conuenerunt q; exercitus in partibus Calamele; & vtrinque facta est cædes magna valdè: tandem habuêre Tartari campum, & copias; & superueniente nocte, retrò abierunt cum suo Principe multi: nonnulli verò, fugientes Saracenos ex vna parte persecuti sunt, & ex alia Rex Armeniæ: *vt part. xiii. cap. xviii*: ibiq; Tartarorum supplebur historia.

CAP. XIX.

Continet qualiter Hugo Rex Cypri vsque Tyrum veniens mortuus est: & qualiter Henricus filius eius Ptolomaydam obtinuit.

XIX. A. Dni. 1281. 1283.

CVm rebellasset Sycilia Regi Karolo, *MCCLXXXI.* & reuocasset Karolus Comitem Sancti Seuerini, qui pro eo erat Bayliuus Ptolomaydæ, alio substituto *MCCLXXXIII. Hugo.* Rex Cypri in Ianuario transit *Beritum*; & in Septembri processit vsq; Tyrum. Et cùm multi per terram equos transmitterent, Saraceni de mõtibus occurrentes, in passu *Daugiæ* propè Sydonem, aliquibus interfectis, cæteros cũ bestiis captiuos duxêre. Intellexit autem Rex, opus esse Templariorum de Sydone. Contigit autem mori *Iohannem de Monti forti*, dominum Tyri, & *Anfredum* fratrem eius, & *Boamundum*, secundum filium Regis Cypri. Rex verò ipse, qui diu fuerat infirmus, tam delecti amici, quàm filii morte consternatur mœrore, & *MCCLXXXIV.* Tyri mortuus est, xxvi. Martii: xi. verò Madii, coronatus est Nicosiæ *Iohannes* filius eius. Sequenti autem anno, xxvii. Aprilis, *Soldanus* Babyloniæ obsedit Margath; & xxviii. Madii saluis personis reddidêre castrum: iam enim vsque ad barbacana processerant; & vna turris ceciderat, quæ vocabatur *Iosperon*. Rex autem *Iohannes* prædictus, xx. Madii mortuus est: cui succesit frater, *Henricus*: & *MCCLXXXVI.* in die beati Iohannis intrauit Ptolomaydam cum pulchro stolo, & gratè susceptus est: Sed *Hugo de Pelichyn*, qui pro Rege Karulo ibi erat, tenuit castrum & muniuit contra Regem, & fecit intrare omnes qui erant Ptolomaydæ, ad stipendia Frãciæ, quorum erat Capitaneus, exceptis paucis qui amore Regis Henrici intrare noluerunt. Obsidione verò castro appositã, quintâ die Rex *Henricus*, assecuratis personis, castrũ obtinuit, & in festo Assumptionis, Tyri Rex Ierusalẽ coronatus est. In vigilia Sancti Andreæ rediit Cyprum, dimittens dominum *Philippum de Ibelyn*, auunculum suum Bayliuum Ptolomaydæ.

A. Dni. 1284. A. Dni. 1286.

CAP. XX.

Continet amissionem castri Liciæ & Tripolis.

XX. A. Dni. 1287.

ADmiraldus vocatus *Leteratayn*, *MCCLXXXVII.* missus est à Soldano Babyloniæ ad obsidendum castrum vnum, quod *Sangolascar* tenebat contra Soldanũ prædictum. Habito verò castro, cepit xiii. die Aprilis castrũ *Liciæ*, Principis Antiochiæ: deindè venit *Crach*; & ibi mandauit magnum fieri apparatum machinarum, & aliorum necessariorum ad obsidendum Tripolim: quod Principi, per quendam Admiraldum sibi familiarem intimatum est. Tunc Princeps victualibus munit castrũ *Neplyn*; & in ciuitate mandat fieri lx. pistrina. Venit itaq; Soldanus ad obsidendũ Tripolim: sed interim filius eius moritur; & præ dolore appositò, resilit. *Comitissa* verò *de Blois* applicuit Ptolomayde: & fecit inter cætera laude digna, pulchram turrim ad barbacanum propè Sanctum Nicolaum; & inter portam Sancti Thomæ & portam *de Malpas*, fecit pulchrum barbacanum: & secundâ die Augusti, migrauit ad Dominum. *Boamundus* etiam Princeps Antiochenus, xix. Octobris mortuus est: mater verò eius petiit sibi fieri homagia cui respondetur: quia *Luciæ* sorori Principis hoc debetur, quia iam erat ætatis adultæ, & erat nupta: & tandem in hoc conueniunt, quòd omnes communiter iurant matri Principis defuncti; & ipsa eis, mutua iura defendere: & quando domina venerit quæ vltra mare iuerat, tunc illi iurarent defendere iura sua, quod & factum est. Illa verò *Bertrandum de Gibeleth* statuit loco sui, donec eius maritus aduenerit. Eodem anno venit Ptolomaydam dominus *Iohannes de Grelli* Capitaneus Soldatorum Regis Franciæ. Sequenti anno Soldanus Babyloniæ *Melec Messor*, xvii. Martii venit antè *Tripolim*: & clamor in ciuitate ortus est, cunctiq; exteri infra mœnia vocitati sunt; & cœperunt ad defensionem ciuitatis agere, secundùm tenuem eorum possibilitatem. Soldanus in ciuitate dirum fecit in-

A. Dni. 1288.

ſultum; cepitq; barbacanum, & turrim Epiſcopi, quæ magnos habebat muros, cuius medietatem iam machinis diruerant. In turbido igitur prelio illo ſuſtinuerunt Chriſtiani vſque ad horam nonam. Tunc Saraceni, quaſi per totum occupauerant muros: pedites cuncti ceperunt ſe ad mare retrahere; equites verò, ſuſtinere non poterant lapides quos de muro iaciebant; ideò verſus mare pergunt: & de Saracenis qui intrauerant à parte maris verſus Hoſpitales, & durum dabant eis prælium, plures interfecti pluresque ſubmerſi ſunt. Interfecta ſunt & Chriſtianorū vſque ad ſeptem millia; cæteri, ad galeas naueſq; alias confugientes ſaluati ſunt. Captam vero ciuitatem Soldanus iuſſit dirui, igneq; cremari, xxvi. die Aprilis. Poſt pauces dies pro paucis redimendis caſtrum *Nephyn*, per deditionem acceptum, dirui fecit: & mandauit ciuitatem ædificari in loco vocato *Mons Peregrinus*, qui vno tantùm miliari diſtat à mari: & Damaſcum profectus eſt. Ipſo tempore, Rex *Henricus*, exiſtens Ptolomaydæ, firmauit treuguam cum Soldano; & ex vtraque parte iuramento firmata, in Cyprum rediit de menſe Auguſti, *Almericum* fratrem relinquēs ad cuſtodiam ciuitatis. *Iohannes* autem *de Grelli*, pro parte Regis & Surianorum iuit ad Papam *Nicolaum* IV. qui priùs vocatus eſt frater Ieronymus, & fuit Generalis ordinis Minorum: expoſiturus miſerrimum terræ ſtatum; & quòd etiam infra mœnia ciuitatis, minimè eſſent tuti: periturus quoque auxilium. Papa verò per totam Italiam Crucem prædicari fecit; iuſſitq; Venetis xx. galeas armari, quibus *Scopulus* Capitaneus præfuit: habuitq; vltra quàm ſibi fuerit opportunum ex Cruceſignatis, qui in eorum proceſſu terram *Candelorii* ſunt aggreſſi, licet nequiuerint obtinere: cæteri verò, per loca varia, debito tempore tranſierunt. Prouidit quoque Papa domino *Iohanni de Grelli* in mille vnciis auri; & in totidem domino *Rubeo de Suli*, qui ſe obtulit ad eundum in ſubſidium Terræ Sanctæ. Tranſiit autem prædictus *Iohannes de Grelli* per Syciliam, & à Rege *Iacobo* quinto, galeas benè munitas obtinuit: ſed quia ipſo anno Soldanus contra Ptolomaydā non venit, ad propria rediēre. Rediit ex dicta cauſa, dictus *Rubeus de Suli*; & multi alii ex Cruceſignatis prędictis etiā abierunt. Tranſactis autem pluribus menſibus, poſtquam prædictus Capitaneus Ptolomaydæ applicuerat, multorum inductus precibus ad Papam cum duabus galeis properat, vt pro ſequenti tempore procuret ſtipendia galearum: & licet ea ſummus Pontifex dederit, ſuperfluâ tamen contractâ morâ, cum rediit, galeas prædictas ex defectu ſtipendii ad propria rediſſe, inuenit: ipſe quoque, licet fama de Soldani feruoreret aduentu, aſſignatis Patriarchæ dictis ſtipendiis, nullis precibus, quin poſt ſuos abiret, potuit retineri.

CAP. XXI.

Continet amiſſionem Ptolomaydæ ciuitatis.

XXI. A.D. 1290. COgitauit *Melec Meſſor* Soldanus parare exercitum ad deſtruendam in Terra Suriæ Chriſtianorum reliquias; & *MCCXC.* de menſe Octobris, mouit exercitum, ſed qui Amoreos indè expellere noluit, niſi completæ forent iniquitates eorum, adhuc patienter ſuſtinuit, ſi fortè ad pœnitentiam redeant de via ſua mala: & mortuus eſt *Meſſor* in itinere, ſucceſſitq; illi filius vocatus *Seraf*. Cùm verò carnalia, cæteraq; peccata continuè augerentur in fractoribus fœderis bapriſmalis, nec de malis vellent conteri, nec per pœnitentiam ad viam redire iuſtitię, aſſumpſit *Seraf* paternum propoſitum, eò ardentiùs commotus, quòd xix. Saracenos mercatores Ptolomayde, in loco vocato Lafunda, iuxta cambium, contra fidem treuguarum, cruceſignati gladio peremerunt; ac poſcenti iuſtitia denegata ſit: & quaſi inſtru-
A.D. 1291. mentum, licet dirum, ſeueri iudicis, negligentibus miſericordiæ tempus *MCCXCI.* quinto Aprilis, vndiq; obſedit Ptolomaydam ciuitatem: in exercitu enim ſuo habuiſſe dicitur lx. millia equitum; & clx. millia peditum. Erexit autem in locis variis machinas multas, demolientes muros ciuitatis & turres: fecit quoq; plures *mines*, ſeu cuniculos, reſpondentes ad terram nouam, factam nuper antè turrē Maledictā, & ad sbaralium ſiue barbacanum Regis Hugonis, & ad turrem Comitiſſæ de Blois, & ad turrem Sancti Nicolai: & poſtea fecit approximare orificio foſſarū *boachiers* multos, multumq; ſibi vicinos, à turri Sancti Nicolai, vſq; ad sbaraliū domini Odoardi: & poſt leboauchiers fecit erigi plures *Carabagas*, proiicientes magnos *lapides*, & frequenter, ita vt proſternerent muros cū turribus. Venit autē Rex *Henricus*

in

in succursum obsessis, IV. Madii, cum ducentis militibus, & quingentis peditibus: & VIII. die eiusdem mensis destruxerunt sbaralium Regis Hugonis, imposuerunt-que ignem; pōtem quoque muro adhærentem similiter: quia aliquibus videbatur quòd hæc defendere non valerent. Saraceni autem XV. Madii, violenter ceperūt turrim rotundam nouam Regis, quæ erat antè *turrem Maledictam*; & ipsam electis bellatoribus munierē. XVIII. autem eiusdem mensis in sexta feria, Soldanus durissimum ciuitati dedit insultum, omnem apponens exercitus sui virtutem, contra totū muri circuitum, à mari videlicet vsque ad mare: & intrauerunt Saraceni per dictā turrim nouam toto conatu, vsque ad barbacanum, & obtinuerunt: indè per pōtem lapideum, quem fecerant Christiani, vt per eum à magno muro ad barbacanum transirent, ciuitatem ingressi sunt: diuerterunt-q; aliqui versus portam Sancti Nicolai; alii versus portam Legati. Tunc Christiani fugam capiunt versus mare; & Saraceni, per scalas liberè muros ascendunt, & infra ciuitatem iam omnia occupāt. Rex autem & Magistri Templi, & Hospitalis Alamanorum, *Iohannes de Grelli*, & cæteri bellatores processerunt ad portam ciuitatis, vt exirent ad barbacanum: sed maior fuit potentia resistentium. Magister enim Templi cum aliquibus confratrū suorum, vlteriorem moliens insultum, spiculo percussus interiit, & ad Templum vsq; delatus est. Post hæc videntes Turchi quòd nulla esset defensio ad portam turris Maledictæ, in ciuitatem intrantes, quoscunque reperiunt gladio secant. Cernētes autem Rex & Capitanei qui secum erant, illorum libetum introitum, cunctosq; perimere, versus mare pergunt; & cum maioribus galeas ascendunt. Eorum verò qui gladios effugerant impiorum, nonnulli ad Templum habuēre recursum. Patriarcha solus, quasi pastor bonus, sollicitus erat de ouibus, & cum propinqua illi esset galea ad recipiendum parat, vt gregem saluaret commissum, cunctos per aquā ambulantes ad se in paruo suo nauigio recolligere cupiebat, donec nimiâ fuit repletione submersa. Sic animam pro ouibus suis, & simul cum ouibus suis dedit: solusq; euasit qui portabat crucem, & crucifixi imaginem, antè eum. Multitudo itaq; ad maritimam partem concurrerat; & cùm paruā nauigia vellent ascendere vt ad maiora confugerent, seipsos impedientes (nam *vbi multitudo maxime* timore mortis pertertita, *ibi confusio.*) in mare alterutrum impellebant. Erat quoque in mari tempestas valida, vt ad magna nauigia accedere non valerent: vndique erat tremor, & pauor, & gemitus mortis. Soldanus quoq; ad quatuor partes ciuitatis fecit ignes accendi, vt ferro & igne consumeret vniuersa. Nunc luit peccata, sed non abluit, ciuitas scelerata, gratuis Diuinis ingrata. Ad ipsam confluebant Reges & Principes terræ; ad ipsam mittebant succursum tributariæ cunctæ partes Occiduæ; & nunc contra eam pugnant omnia elementa. Terra enim, eius sanguinem deuorat quæ Christiano sanguine tota madescit, mare absorbet populum; ædificia consumit, ignis, aër fumo & caligine tenebratur. Iustè proindè Maledicta vocata est turris illa, quā maledicta gens Saracenica subintrauit: & qui illi nomen imposuit, euentum tam diri infortunii, nesciens quid diceret, prophetauit.

CAP. XXII.

Continet amissionem reliquarum partium Terræ Sanctæ.

EOdem die quo Ptolomayda capta est, *Tyrii* ciuitatem vacuam in vesperis relinquentes victoribus, sine ictu gladii, absque tumultu belli occupandam liberè, ascensis nauibus, reliquerunt: in crastino verò, Saraceni intrauerunt, nemine prohibente, fecerunt-q; quod libuit. In crastino quoq; Ptolomaydę captionis Soldanus misit ad eos qui ad *Templum* confugerant, vt locum reddant; saluosq; conduci faceret, quo ipsi elegerint: firmatā conuentione Soldanus Admiraldum quendam cum trecentis transmittit ad locum: quorum nonnulli Christianas capiunt mulieres, cum eis affectantes turpitudinem operari. Tunc Christiani arma capiunt, & interficiunt vniuersos. Soldanus dissimulatā irā, iterum priora requirit; culpatq; suos quasi negligat quod euenit. Accedit proindè ad Soldanum *Mareschalcus Templi* cum aliis plurimis ignarus perfidiæ, capiteq; truncatur. Quod cernentes qui in Templo remanserant, in turri, quæ *Magistri* vocabatur, se reduxerunt. Saraceni verò turrim suffoderunt, trabibus sustentantes: & tunc cùm Christiani se redderent, tot Saraceni turrim ascenderunt, vt ruptis scalis ex pondere, turri-q; ruente cū Christianis, XXII.

non solum qui intra, sed etiam multi qui erant exterius Saraceni, extincti sunt. Templarii autem qui prius fugerãt, *Sydonem* adeunt, & muniunt castrum maris: cõtra quos Soldanus vnum Admiratum transmisit, nomine *Segei*: qui, cùm eos ex parte terræ superare non posset, in Licia præparauit nauigia: quod cernentes Templarii, timore percussi, ad *Tortosæ* insulam primò, *Cyprum* deindè confugerunt. Admiraldus verò, castrum diruí iussit. Tunc qui *Baruthi* erant, nuntios illis transmittunt, perentes quid de eis intenderet: respondit, subdolus *Segey* cùm inter eos esset treuguæ conuentio & Soldanum, ideò sibi per confines suos transeunti festinè occurrant; illi dum iussa perficiunt, trucidantur, capiuntur, catenisq; nectuntur; diruitq; muros ciuitatis, & castrum. Post hæc paruo elapso tempore, *castrum Peregrinorum* à Christianis relinquitur, & à Saracenis destruitur. Tunc omnis Suria amissa est, cunctique Christiani habitatores Terræ Promissionis, aut morte extincti sunt, aut profugi exulesq;, suis demeritis, indè ad Insulam Cypri habuêre refugium: illicque secum habentes, quam secum in conscientia portauerant sarcinam peccatorum, & causam desolationis præfatæ, in multa angustia multoq; timore miseram vitam agunt: sic referente Esay: IX. cap. *Primo tempore* scilicet Saladini, *alleuiata est*, ab onere hominum peccatorum, *terra Zabulon, & terra Neptalin*. In ipsis enim locis, ad literam, Saladinus victorias inchoauit: *supra part. IX. cap. IV.* cum per partes Tyberiadis & Nazareth sui equites discurrerunt. *Et in nouissimo tempore*, scilicet Bendocdar, Messor & Seraf, *aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium*. Hæc Galilea gentiũ vicina est mari, & Tyriis; sicut Tyberiadi altera Galilea. Sub prædictorum enim trium Soldanatu, aduersus omnia quæ cis Iordanem, maximè in regione maritima relicta fuerant Christianis, aggrauata est Diuinæ seueritas vltionis. *Populus Ægyptius, qui ambulabat in tenebris*: nam & Ægyptus, tenebra interpretatur: *vidit* applaudentis fortunæ *lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis*: infidelitate videlicet, cæterisque peccatis: *lux* victoriarum *orta est eis*. Sed ne putent hiis secundis rebus se Deo propterea esse gratos, sequitur: *Multiplicasti gentem*, supple tẽporalibus bonis: à fructu n. frumenti, vini & olei multiplicata sunt: *non magnificasti lætitiã*, quia absq; Diuina gratia, nulla est perfecta lætitia: carnaliter verò tantum, *lætabuntur coram te, sicut qui lætatur in messe*. q. d. instãte messe de terra Christicolas expulerunt: *& sicut exultãt victores capta præda, quãdo diuidunt spolia*: vt vel tot damnis, opprobriis, cõfusionibus replicatis, cognoscat vel serò populus Christianus, quàm malum & amarum sit, recessisse à Domino Deo suo; & sciat mundus quòd peccatum de Terra Sancta expulit Christianum, quod expulerat Iebusæum: *supra part. I. cap. III.* & consequenter Iudæum *XXIV. cap. partis eiusdem*: super quo auctoritates & comminationes Propheticæ & Diuinæ in eadem parte *I. & III. cap.* sunt inductæ.

TERTIADECIMA PARS CONTINET CONTINGENTIA QVÆDAM POST TOTALEM TERRÆ SANCTÆ amissionem, habens capitula XI.

CAPVT I.

Continet cœlestem vindictam in impios Saracenos.

Cùm ad aures summi Pontificis Romanique capituli noua tam infelicia pertenerunt, afflictis fidelibus in insula Cypri, XX. galeas continuè transmiserunt; Cyprenses verò XV. alias munierunt: quarum XXV. ad præoccupandũ quoddam castrum, vocatum *Quandelor*, perrexerunt: quod Turchi præsentientes taliter munierunt, vt nihil eis nocere potuerint. Indè autem recedentes, *Alexandriam* perrexerunt, & diebus aliquot immorantes, cùm nihil egissent, in *Cyprum* reuersæ sunt: pœnitentiæ enim lamentus, nouiter à Deo percussis, potius quàm victoriis decebat intendere. Ille quoque sibi punitionem Saraceniæ crudelitatis retinuit, qui in Deuteronomio ait. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: percutiam*, inquit, *& ego sanabo*, quo ad fideles; quo ad infideles autem, sequitur: *Reddam vltionem hostibus meis, & iisqui oderunt me retribuam: Inebriabo sagittas meas sanguine & gla-*

Deut. 32. 39. &c.

& gladius meus deuorabit carnes. Sequitur: *sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.* Quod vtinam celeriter perficiat miserator & misericors Dominus! Cernens autem *Seraf*, magnus ille persecutor nominis Christiani, post tantas victorias se ad bella iterum prouocari vbi maximè erat ipsius dominii Principatus, irâ exarsit; & conuocatis Admiraldis suis, ait quòd capere vellet Insulam Cypri, ter furiosè replicans, *Cypri, Cypri, Cypri:* propterea mandat parari centum galeas, vt opus hoc posset celeriter expediri. Illi sub eius atrogantia timidi, promittunt iussa perficere: post spatium verò dierum paucorum, eisdem vocatis, iterum ait: quia cogitatio ascenderat in cor eius, post conquisitionem *Cypri*, Baldacensem sibi subiicere regionem. Admiraldi videtes quòd tam ardua præsumeret, talibusq; eos laboribus periculisq; exponeret, eum tradere morti deliberãt; perficiuntq;: dum enim ille ad venationem pergeret, per insidias trucidatur. Magna exinde inter Admiraldos contentio oritur, quis eorũ maior esse debeat; & in plures vota diuidunt: & tandem *Bedeyre* vi Principatum obtinuit; sed in crastino cum suis extinguitur. Simili formâ *Gothbega* successit illi: quem *Leschin* cum suis, conformiter occidit: qui similiter infra spatium dierũ paucorum, cum suis gladio percussus est; simulq; *Seyay* maximus Admiraldus; quòd Christianis multa mala intulerat: ac per hunc modum omnes penè magni Admiraldi regni Ægypti, cum suis fautoribus interempti sunt. Eodem etiam anno vniuersus populus fame percussus est, ita vt maior pars *inediâ* periret: secutaq; est *pestilentia* grauis, quæ etiam diuites & qui erant in deliciis, occupauit. Licet enim voluntatem Dei fecerint in desertores Euangelicæ legis, propter quod & iusta fuit eorum potestas, voluntas tamen fuit iniqua: Non enim seruire intendebant decori iustitiæ, sed Christianum nomen de terra eradere: vndè & destruxerant Ecclesias, per terram & lutum trahentes Cruces & Sanctorum imagines; & huiusmodi multa agentes, quæ vindictam Cœlestis Iudicis meritò prouocarent.

CAPVT II.

Continet remanentium Admiraldorum dissidium.

POst dictam Saracenorum stragem, iuuenis *Claudus*, frater Seraf & filius *Messor* in Ægypto Soldanus efficitur: post eum quatuor erant potentes viri valdè, quorũ duo principaliores *Naboyseler* & *Bibarsinicher* se mutuò oderant; Tertius vocabatur *Mereendal*, cui duo primi plurimùm inuidebant oderantq; hic se ac Soldanum ab eis, quantum poterat, præseruabat: Quartus verò dictus *Calcminus*, cæterorum expectans exitus, tem tacitus considerabat. Cæteri verò Admiraldi ac officiales, & communiter vniuersi qui poterant, de bonis curiæ rapiebant, & fiscus Regius multipliciter diripiebatur. Duo quoque prænominati Barones *Naboyseler* & *Bibarsinicher*, licet ab inuicem dissiderent; aduersus tamen *Merezendal* non multò post conspirauerunt, vt de curia pelleretur: eorumq; factione, non solùm de curia, sed etiam de tota Ægypto pulsus, cum gente sua ad partes Sapheti, Ptolomaydæ & castri Peregrinorum se contulit; obtinuitq; dominium regionis. Christiani quoque vltramarini, licet impiorum cladibus lacerati, in Armenia maximè, scãdala concitant inter se. Cùm enim *Hayton* Rex Armeniæ Constantinopolim pergeret, quia filius *Andronici* eius sororem deponsauerat, ducens secum fratrem *Thoros*, *Sebath* alter frater regni diadema sibi imposuit: *MCCXCIV*: ex eo motus, quòd Ayton nunquam coronari voluit; sed magis fratrum minorum sumpsisset habitum, & *frater Iohannes* ex tunc communiter vocaretur. Cùm igitur redisset *Ayton*, ab Armenis repellitur. Cognitâ causâ, *in Cyprum* primò, deindè in *Constantinopolim* nauigat, & indè pergit ad *Tartaros*, vt de fratre ponat querelam: sed hunc ille præuenit, & ad gratiam capiendam, Tattaram duxit vxorem; & in reditu fratres *Aytonem* & *Thoros* capiens & cunctis bonis expolians in Armeniam duxit: *Thoros* cum corda arcus stricto gutture suffocati fecit; & visum *Aytoni* abstulit, quem ille nutu Dei recuperauit; quod attendens *Constans* quartus frater, indoluit vehementer, & aggressus Regem *Senibat* personaliter cepit, & cæteri mancipauit; & *Aytonem* libertati restituit. Ille liber effectus, ambos fratres sub tuta custodia misit ad Constantinopolitanum Imperatorem, rogans ne eos sineret euagari. *Saraceni* au-

A. Dñi 1294.

A.Dñi. 1199. tem *MCCIC.* Armeniam discutrerunt, castra & loca fortissima occupantes: frater verò *Iohannes*, se suosque in montibus saluans, in arto positus, Tartarorum implorat auxilium; eosq; contra Saracenos instigat, ostendens plurimam acquisituros prædam; nec verendas eorum acies auro argentoq; fulgentes, in quibus plus lucri quàm periculi inuenirent.

CAP. III.

Continet sordidam Tartarorum originem initiaq; bellorum.

XIII. QVia de Tartaris sæpe fit mentio, nunc de eis aliquantulum prosequamur. Terra quæ *Mongal* siue *Tartaria* dicitur, in ea parte describitur, vbi Oriens Aquiloni coniungitur: Ab Oriente habens terram *Leytaorum* & etiam *Solandorum*; a Meridie verò terram Saracenorum; inter Occidentem & Meridiem, terram *Heruycorum*; ab Occidente, terram *Naymorum*; ab Aquilone verò, circumdatur Oceano. In parte aliqua est montuosa nimis, & in aliqua campestris, sed tota ferè admixta glareâ, plurimùm arenosa; nec in parte centesima fructuosa; & aquarum copiâ caret: vndè nec villæ ibi sunt aut ciuitates, exceptâ vnâ quæ *Cracurim* vocatur, & satis bona esse dicitur. In alendis tamen pecoribus terra optima est. Aër ibi intemperatissimus est: in media quidem æstate, fulgure ac tonitruo plurimi pereunt; cadit tunc & niuium copia: fitq; subitò & calor magnus & frigus intensū: aliquādo ex grādine CLX. homines periêre simul, & habitacula nōnulla destructa sunt: sunt etiā frigidissimi venti, sicq; tempestuosi vt interdum vix homines equitare valeant, imò oportet eos terræ adhærere. Nunquam ibi pluit in hyeme; frequenter in æstate, & tam modicum vt vix possit pulueres ac radices graminum madefacere. Incolæ verò terræ illius bestiales valdè ac barbari, & armorum inexperti, solùm alendis vacabant pecoribus. Nationes autem eorum ab initio plures fuerunt, & cùm ad quærendum animalibus pabulum, duæ earum vel tres vel quatuor conuenirent, ex se ipsis ducem aliquem statuebant. Septem tamen inter cæteras huiusmodi nationes ab antiquo excellentiæ maioris extimatæ sunt, & vsque in præsens similiter extimantur: quarum prima vocatur *Tartar*, secunda, *Tangoth*; tertia *Eurath*; quarta *Ialayr*, quinta *Sonit*, sexta *Mengli*, septima *Theboth*. Præfata quoque terra Mongal, quatuor olim habebat populos: quorum primus *Iechamongla*, id est, magni Mongali vocabatur: Secundus, *Summongal*; id est, aquatici Mongali: hii se ipsos *Tartaros* appellant, à quodam suo fluuio qui *Tartar* dicitur: tertius appellatur *Mercha*; quartus *Merecrit*: omnes labii & formæ vnius. Ex primo autem populorum istorum, *Cyngis* quidam, homines furari ac prædari cœpit; deindè rapinæ efficere socios: tandem homines gentis suæ ad se quasi ducem sequendum inclinauit: cœpit deindè contra *Summongalos* pugnare, belloq; subiecit: similiter & *Merchitas* & *Mertritas*. Hiis euentibus indignati contra *Cyngis Naymani*; quibus tributarii erant Tartari, terram eorum inuadentes, egerunt prædam & hominum occisionem; & tandem commisso bello in stricta valle, Cyngis victor effectus, Naymanos seruituti subiecit. Post hæc Tartari *MCCII.* antiquos terminos exeuntes, venerunt in ex terminium populorum.

A.Dñi. 1202.

CAP. IV.

Continet qualiter Tartari contra Indos victoriam adepti sunt.

IV. PRioribus temporibus illis denominabantur *Indi*, eis confines. Cumq; Indis imperaret *Dauid*, quondam *Iohannis* presbyteri dominatoris & Regis Indiæ filius & a Tartaris solita quæreret tributa, imponeretq; nouas angarias, Tartari iam elati, deliberant an simpliciter obedire debeant, an quoquam possent modo resistere. Consuluit igitur *Cyngis* vt tributum non soluant; vt rectores & officiales Indos cunctos interimant; vt contra Indorum Regē, vnanimiter & subito omnes insurgant. Ait autē, *ad opus tam ardui consumandū, modesto ac debito ordine procedendū, sine quo nihil grande tutè præsumitur.* Necessariū proindè asserit, super cunctos Tartaros generalē vnū creari *Dominū*: necesse quoq; est multitudinē taliter ordinari, vt super homines quatuor ponatur *quintus* cui in omnib. obediāt; & q nō obedierit occidatur:

similiter

ſimiliter ſuper IX. ponatur vnus *decimus*: & ſuper IC. ponatur vnus *centeſimus*: & hoc modo tota multitudo populi, ordinetur vſq; ad mille; & vſq; ad mille millia, & vlterius quantum fuerit opportunum: qui verò omnibus præeſt, tanquam dominus, vel *Chaam*, id eſt Imperator, vel Rex habeatur, cui omnes vſq; ad mortem obedire teneantur. Igitur vniuerſi hoc conſilium approbantes, ipſum in ſuum dominum elegerunt, ſubiectionem & obedientiam prædictam profeſſi tam ſibi quàm ſucceſſoribus ſuis. Hic Dominus conſtitutus, ſequenti die montem aſcendens, inter eos concionatus eſt, dicens: *Vſq; nunc tria in nobis inundauerunt peccata, mendacium furtum, adulterium. Ne igitur, vindicante DEO, nunc vel in poſterum impediamur, promittamus ab hiis de cætero abſtinere: & qui contrà venerit, occidatur.* Promittunt autem illi hæc cuncta ſeruare. Hiis ſtatutis, iubet eos primò arma capere; ſecundò, in duas partes æquales diuidi; tertiò, è regione diffundi in hoſtes, & totam terram Indorum luſtrando, nulli parcere ſexui vel ætati: vt iugum ſeruitutis excutiant, & libertatem acquirant. Illi imperata viriliter aggrediuntur; & inchoata proſequentibus tantus fuit victoriarum ſucceſſus, vt ſe poſſe toti Orbi faciliter dominari meritò conceperint. Potiora eorum *arma*, fuêre claua cum arcubus, & ſagittis: pedites in maxima parte erant; pars minor in bobus ſedebat; minima aſinis & iumentis & pullis equorum. Rex itaque *Dauid* eorum aduentum audiens, & improuiſus cernens ſe non poſſe reſiſtere, dum ab vna exercitus parte fugit, ab alia opprimitur: & cum tota familia, exceptâ vnicâ eius filiâ, membratim truncatur: quam quidem filiam, *Cyngis* Chaam vxorem accepit.

CAP. V.

Continet qualiter Tartari verſus Occidentem, & Septentrionem, ſuum dilatauerunt imperium.

CYngis Chaam fulmine percuſſus obiit: ſucceſſitq; illi filius *Octota*, prudens valdè. Hic cogitans Aſiam ſibi ſubiicere, præmiſit decem millia equitum ad explorandum gentium varietates & vires: præfecit autem illi multitudini ſagacem virum ac ſtrenuum *Gebeſagada*: deditque illi præceptum, vt donec inſuperabilem quempiam inuenerit, cunctas luſtret prouincias. *Gebeſagada* igitur ad imperata impiger, priùs & ſubitò ciuitates præoccupabat & caſtra quàm eius ſentiretur aduentus: trucidabat armatos, equos & arma & victualia neceſſaria rapiebat; populo autem parcebat, aurum & theſauros relinquens intactos: peruenitque ad magnum montem Caucaſum, vbi *Alexandretam* Alexander ædificauit, quæ poſtea *Portæ ferreæ* dicta eſt. Hæc tranſitum prohibet de profunda Aſia ad maiorem. Hanc autem inexpugnabilem ciuitatem, intrantes ſubitò terram Tartari, tam ciues quàm locum funditus euerterunt. Cùm verò in deſtruendo oppido moram contraherent, ad *Georgianos* Tartaricæ ferocitatis fama perlata eſt. Eorum itaque Rex *Iuanus*, congregato exercitu illis obuiauit in quadam planitie, vocata *Mongan*. Et licet hinc inde fuerit in principio acriter debellatum, *Georgiani* tandem terga dedêre; eosque Tartari inſecuti ſunt, continuatis diætis donec ad *Arſoron* peruenerunt, ciuitatem Soldani Turchiæ: *ſuprà part. XI. cap. XVI.* Ibiq; didicerunt, prædictũ Soldanũ ſibi occurrere cum multitudine pugnatorum: propter quod territi, iuxta præceptum ſibi factum, ad Octota redierunt. Hiis auditis, *Octota* pro paruo ducit totam occupare Aſiam: & vocatis tribus filiis ſuis cuique eorum dedit multitudinem pugnatorum, diuitias & armenta. Primogenito *Iochim* mandauit, vt contra Occidentalem plagam procedat: ſecundo, *Batho*, contra Aquilonem: ſimiliter & tertio *Cagaday*, contra Meridiem: Sibi verò maiorem Aſiam retinuit occupandam. Poſt hæc, pars exercitus *Octota* proceſſit vſq; ad regnum *Catay*; pars verò altera vſq; ad regnum *Turſe*: vbi Tartari primò litteras didicerunt; & corrupto gentis illius exemplo idola coluêre: cunctis tamen diis, immortalem DEVM præferunt. Elegit itaque *Octota* XXX. millia pugnatorum; & ſub *Batho* duce, contra Soldanum Turchiæ illos tranſmiſit. Interim autem prædicto Soldano defuncto, ſucceſſerat filius *Guiatadin*. Hic, Tartarorum cognoſcens aduentum, vndiq; & quoſcunq; contra furorem Tartaricum ad ſtipendia vocat & prouocat, ne ſaltem Occidentalem ad multorũ exitium plagam occupent: Inter cæteras autem nationes, fuerunt ibi duo millia Latinorum, ſub duobus Capitaneis, *Iohanne de Liminata*, de Inſula Cypri; & *Bonifacio de*

Molinis, de Venetiis. Magno igitur congregato exercitu, obuiam Tartaris pertre-
A. Dni. 1244. xit; & commisso bello M.CCXLIV. superatus est. Ad filios Octota redeun-
tes, dicamus, quia *Iochym* regnum conquisiuit *Turquestan*, & partem Persiæ: vbi cun-
cta reperies necessaria sibi gentique subiectæ, gradu fixit; & vsq; hunc successores
eius dominantur ibidem. *Batho* verò, vsque ad *Cumaniæ* regnum processit; &
debellati Cumani ad regnum Vngariæ confugerunt, vbi etiam vsque hunc plu-
rimi remanserunt: procedentes deindè Tartari, *Russiæ* regnum occupauerunt, ter-
ram *Gazariæ*, & regnum *Bulgariæ*: sed à fluuio Vngariam ingredi prohibiti sunt.
Postea versus Alamaniam pergentes, ad ripam fluminis peruenerunt, per duca-
tum *Austriæ* fluentis: sed pontem dux Austriæ præoccupans, prohibuit transitum.
Tunc *Batho* furens, transuadare iubet suos: sed antequam ad aliam partem se reci-
peret, cum multis, fessis equis, submergitur: propterea confusus exercitus, ad re-
gna Russiæ & Cumaniæ rediit; nec amplius versus Alamaniam direxit faciem: &
ibi quoque Bathonis successores vsque in præsens retinent dominium. *Cagaday*
autem, vsque ad partes Indiæ minoris processit, multa reperiens deserta, montesq;
& terras aridas & inhabitabiles: & amissâ plurimâ hominum & animalium multi-
tudine, versus Occidens iter dirigens ad fratrem suum *Iochim* vsque peruenit, &
terra ab eo suscepta cum illo mansit; heredes quoque eorum post eos simul man-
serunt: sed filii iunioris, reuerentiam & subiectionem promittunt filiis Iochim.
Mortuo autem *Octotâ*, successit illi Chaam filius *Gayo*, qui parum vixit: huic successit
Mango consanguineus eius, vir consilii & in armis strenuus. Hic plures subiuga-
uit prouincias, & cùm per mare *Catay* ad occupandum quandam Insulam proce-
disset, perforatâ ab aduersariis sub aqua naui, cum multis submersus est: & successit
illi frater *Cobila Chaam*, qui annis XLII. tenuit imperium Tartarorum: hic Christia-
nus fuit, & fundauit in regno Catay, Româ ciuitatem maiorem, vocatam *Iong*, vbi
continuè immoratus est.

CAP. VI.

*Continet quomodo ad procurationem Regis Armeniæ, Mango Tartarorum Imperator ba-
ptizatus est: fratremq; Halaonem contra Saracenos transmisit.*

VI. A. Dni. 1253. CErnens *Haytonis* Rex Armeniæ, Tartaros regiones in circuitu occupasse: vt su-
periori capitulo dicitur: fratrem suum *Ginibaldum* M. CCLIII. ad Mangonem
magnum Tartarorum Imperatorem, cum magnis transmisit muneribus:
part. XII. cap. IV. vt eius animum ad sua vota inclinet. Hic post annos quatuor re-
diens, quàm gratè susceptus fuerit, illi denuntiat. Ille verò impigrè ad Mangonem
profectus est. In aduentu autem illius, Tartarorum Imperator valdè gauisus est:
eò quòd postquam *Cyngis* Chaam transiuit montem *Belyam*, nullus magnus Prin-
ceps eis obuiam processisset: deditque illi de maioribus domus suæ, qui eum
sociarent, & honorarent; & secundùm Imperialem munificentiam munera de-
dit. Postquam verò præfatus Rex diebus aliquibus immoratus est, Impera-
tori supplicauit vt negotiis pro quibus venerat, intendere dignaretur; qui integrè
votis suis annuere spopondit. Potrexit itaq; Rex *petitiones* septem: *Prima* fuit, vt ip-
se cum gente sua, relictis superstitiosis sectis, fidem CHRISTI susciperet & Bap-
tismum: *secunda*, quòd inter Christianos & Tartaros pax perpetua firmaretur: *ter-
tia*, quòd in omni loco occupato per Tartaros, aut in posterum capiendo, Christia-
ni Clerici religiosi ac Layci, ab omni seruitute sint liberi & tributo: *quarta*, vt Chri-
stianus ad recuperandam Ierusalem & Terram Sanctam præstaret auxilium, libe-
req; eis dimitteret possidendam: *quinta*, vt mandaret Tartaris, qui Turchiam occu-
pauerant, vt ad destruendum *Baldac* procederent, eorumq; Calypham: cùm esset
origo & caput erroris impii Mahumeti: *sexta*, vt priuilegium sibi daret, quòd o-
mnes Tartari regno Armeniæ vicini, cùm requisiti ab eo fuerint, auxilium sibi præ-
stare teneantur: *septima*, vt quæcunq; loca ad regnum Armeniæ spectãtia, per Tar-
taros occupata fuerant, sibi redderentur; & loca Saracenorum, quæ ipse Rex pos-
set in posterum occupare, absque Tartarorum contradictione posset liberè possi-
dere. Igitur *Mango* Chaam Regis petitionibus intellectis, post deliberationem
cum suis proceribus habitam, conuocato consilio suo, ait: *Quoniam Rex Armeniæ
de remotis partibus ad Imperium nostrum venit, non vocatus, non compulsus; sed sua bonâ &
propriâ*

propriâ voluntate, decet Imperatoriam Maiestatem eius supplicationibus annuere: in his præ-
mis quæ sunt licita & honesta. Vobis itaq; Regi Armeniæ, taliter respondemus: quod preces ve-
stras acceptamus, & omnes faciemus, cum DEI beneplacito, adimpleri. Primo quidem ego
dominus Imperator me faciam baptizari & CHRISTI suscipiam veram fidem; & omnes de
domo mea baptizati in nomine PATRIS & FILII & Spiritus Sancti, tenebunt fidem quam
tenent hodie Christiani; & omnibus sub meo Imperio constitutis idem cõsulam: non tamen vio-
lentiam inferam: nam fides violentiam non requirit. Pro pace autem perpetuò seruanda, requisiuit, vt pro parte Christianorum esset Rex Armeniæ fideiussor. Concessit etiam omnibus Christianis sub Imperio suo degentibus, gaudere priuilegio libertatis; & quòd nullus omninò possit aliquid extorquere ab illis. Ad conquirendam autem Terram Promissionis dixit, quòd libenter propter honorẽ Domini nostri IESV CHRISTI vellet personaliter proficisci, nisi foret variis impeditus negotiis: pro ipso tamen negotio fratrem suum *Halaonem* mitteret, qui Terram Sãctam subiiciat cultui & nomini Christiano. Super facto quoq; Calyphæ, *Bathoni* Capitaneo Tartarorum in regno Turchiæ mãdauit, cæterisq; in circuitu Tartaris, vt fratri Halaoni obedirent; ipsi verò, vt contra Calyphã, quasi contra capitalem procederent hostem. Petitum quoq; priuilegium, de impetrando à vicinis Tartaris auxilium, dedit. Et vltimò, non solùm occupata castra & loca per Tartaros, reddi iussit; sed etiam alia, quæ ad securitatem regni ipsius viderentur vtilia, superaddi.

CAP. VII.

Continet qualiter Halao Persiam sibi subiecit: & Baldacensem occidit Calyphã; & partem Syriæ conquisiuit.

PErsis imperauerũt *Romani* Principes vsq; ad cẽpora *Diocletiani*, post annos Domini circiter CCLXXXVIII. Ex tũc regnauerũt Persæ per annos circiter CCCXIX. Post hos regnare inceperunt *Saracẽi*, DCXXXIV. anno Domini: & tenuerunt imperium per annos CCCCXVIII. totam penè Asiam occupantes: & à Græcis regnum Syriæ, & penè totam regionem, quæ *Turchia* nunc dicitur, sustulerunt. At MLI. *Turquemanni* dominari ceperunt in Asia. Saracenis enim ab inuicem dissidentibus, Soldani ceperunt rebellare Baldacensi Calyphæ. Tunc imperabat Græcis *Diogenes*, vir audax, & de Saracenorum manibus recuperauit ciuitates multas & castra; & patriam quæ *Armenia minor* dicitur, & Antiochiam, & partem regni Mesopotamiæ. *Turchemanni*, quoque tunc primò generalem sibi dominum elegerunt; & continuis victoriis obtinuerunt Asiæ dominium: *Calypham* tamen venerabantur, quasi Mahumet successorem: qui prædictum eorum dominum, vocatum *Salyoc*, Imperatorem instituit. Huic successit filius *Degrisatorilfa*, qui bellum mouere cepit contra Græcos: deindè misit quendam consanguineum suum vocatum *Artech*: qui ciuitatem *Roays* primò, deindè totam Mesopotamiam suo subdidit imperio. Mortuo Degrisatorilfa, successit ei filius *Alpasalem*, qui misit neporem *Solimannum* & cæteros: vt suprà *part. IV. cap. XIII.* Mortuo Alpasalem, successit ei filius *Melchsi*: hic misit multitudinem bellatorum contra Peregrinos, quando ceperunt Antiochiam: qui cùm rediissent in Persiam, inuenerunt eum mortuum, cui frater succedere voluit, sed quibusdam resistentibus, trucidatus est, nec potuerunt Turchi ex tunc esse concordes in præficiendo sibi domino. Tunc *Georgiani*, & *Armeni* maioris Armeniæ, videndo Turchorum diuisionem, in ipsos irruerunt, & de tota Persia expulerunt: indè verò pulsi ad regnum Turchiæ se transtulerunt: propter quod Soldani Turchiæ potentia plurimùm aucta est.

VII. A. Dni. 188. A. Dni. 634. A. D. 1051.

Post hæc *Coraxmini*, populi quidam, qui semper in tentoriis habitabant; in armis strenui, greges pascentes; & qui vbicunque guerra forsitan moueretur, illuc propter stipendia properabant, audierunt Persarum regnum esse absque rectore; & conceperunt illud faciliter occupare: fecerunt; quod mente conceperant, vsque Taurisium omnia occupantes, electo *Laladyn* sibi domino. Elati deindè ex victoria, totam putant occupare Asiam: sed dum Turchiæ regnum inuadunt, interfecto eorum Principe cum multitudine bellatorum, qui fugere potuerunt in planitie Roays deliberant regnum Syriæ occupare: & commisso prælio super Euphraten, iterum debellati sunt; fugerunt; que versus desertum Arabiæ: deindè trã-

fierunt Eufraten; & absque contradictione venerunt vsq; in Palestinam: *supra part. XII. cap. I.* Post hos, occupauerunt *Tartari* regnum Persarum: baptizato enim cum vniuersa domo sua, multisq; proceribus, *Mangone*, *Halaoni* fratri assignat militiam, & profectus est: hic cum Rege Armeniæ, flumen magnum Physon pertransiit; & infra spatium sex mensium, totum regnum Persarum suæ ditioni subiecit; peruenitq; vsq; ad partes, vbi *Arsasidæ* morabantur: & cùm se ad castrum inexpugnabile reduxissent, *Halao* ad eos delendos misit decem millia Tartarorum; vbi XXVII. annis immorantes, tandem iussa perfecerunt, reddentibus castrum Arsasidis, non ciborum, sed vestimentorum defectu. Interim verò Rex Armeniæ ab Halaone, ad custodiam regni Persarum immorante, repatriandi licentiam impetrauit: abeuntem quoque Halao, magnis honorauit muneribus; ac Bathoni suprà memorato mandauit, vt per partes regni Turchiæ Regem Armeniæ securè conduci faceret, vsq; ad introitum regni sui. Ad quod post trium & dimidii annorum spatium postquam indè recesserat, cum gaudio reuersus est. *Halao* autem post dispositam regni Persarum custodiam ad quandam Armeniæ prouinciam se contulit, vocatam *Salore*; vacauitq; totâ æstate solatio & quieti. Aduenientе autem hyeme vocauit ad se XXX. millia Tartarorum de regno Turchiæ; & ad *Baldac* ciuitatem obsidendam processit, & vndique vallauit. *Calypha* autem Baldacensis se circumdatum vndique cernens, cùm esset ipse parui valoris; gensque sibi subiecta mollis & delicata, nec armis idonea, deliberat nuntios ad Halaonem mittere, vt pacem obtineat. Halao gratè se verba recipere simulat; dixitq; se multo affectare desiderio videre Calypham. Hoc sibi concesso, secum infra ciuitatem tra-
A.D. 1258. xit copiam armatorum, obtinuitque dominium, M. CCLVIII. Capti verò Calyphæ gutturi liquatum aurum iussit infundi, *auaritiæ* exprobrans: quia cùm immensis afflueret thesauris, cupiditate detentus, pro salute sua eos expendere renuit. Post mortuum autem Calypham, Halao totam regionem obtinuit. Erat quoque ei vxor Christiana, vocata *Dotouscaton*, de stirpe illorum trium Regum, qui venerunt CHRISTVM, stellâ præuiâ, adorare. Hæc à viro suo impetrauit, templa Saracenorum vbique prosterni; ac inhiberi à quoquam coli spurcissimum Mahumeth: fa-
A.D. 1259. ctique sunt Saraceni sub maxima seruitute. Sequenti anno *Cæsaream* magnam, & *Iconium*, ac totam terram Turchiæ vsque ad mare occupauit. Occurrit autem illi in *Rages* Rex Armeniæ cum magna comitiua: poterat enim tunc facere XII. millia equitum, & LX. millia peditum in armis: & gratè susceptus est. Deindè *Halao* Antiochiam pergens, à Christianis vrbem exeuntibus cum multa reuerentia susceptus est, quos amicabiliter vidit; & pertransiens vsq; *Alapiam*, infra dies XL. ob-
A.D. 1260. tinuit, & postea *Calonelam*, & *Haman* & *Damascum*: M. CCLX. His itaq; in locis ordinatis rebus, dum vellet ad regnum Ierosolymitanum conquirendum procedere, de morte fratris *Mangonis* Chaam recepit nuntium, asserentem quia Tartari eius expectarent aduentum, vt in sede fratris pro domino collocarent. Tunc dimisso pro custodia regni Syriæ, cum XII. millibus Tartaris *Guibogâ*, ad Orientis partes reuertitur: sed receptis nuntiis quòd alterum fratrem *Gabilam* Chaam constituissent, apud Taurisium reuersus est. At cùm moraretur ibidem, aduenerunt nuntii referentes, quòd *Bartha* filius Bathonis, qui in fluuio submersus est, contra Halaonem, cum magno exercitu veniebat, vt indè eum expelleret. *Halao* verò, obuiam illi iuit; & commisso bello, super fluuium vehementissimè congelatum, fractaque glacie vsque ad XXX. millia Tartarorum submersi sunt. Interim *Soldanus Babyloniæ* contra *Guiboga* exercitum duxit, & in bello interfecit; obtinuitque regnum Syriæ. Halao verò, hæc audiens, accersitis Armenis & Georgianis, dum
A.D. 1264. vellet in Syriam proficisci, vitâ excessit; successitq; illi filius *Abaga*. Et M.CCLXIV. à *Cobila* Chaam auunculo suo confirmatus, vocatus est *Abaga Chaam*.

CAP. VIII.

Continet qualiter successores Halaonis se habuerunt cum Christianis, & Saracenis.

VIII. *Abaga* prudens fuit, & prosperè rexit; baptizari tamen renuit, & coluit idola. Soldanus autem Ægyptius, transmissis per mare nuntiis ad Tartaros Cumaniæ

niæ, fœdus iniit; & promiſerunt mutuò quòd ſi *Abaga* contra alteram ipſorum partem procederet, reliqua eius regnum inuaderet. Poſt hæc Rex Armeniæ *Ayto*, *Lyuono* filio, prudenti viro regnum contulit; factuſq; eſt monachus & vocatur *Macharius*, mutato nomine ſecundùm morem Armenorum: poſtquam regnauit annis XL. Hic *Liuon*, multo ſtudio laborauit per Tartaros deſtruere Saracenos. Cùm enim *Bendocdar* cum ingenti apparatu intraſſet Turchiam, & ex parte occupaſſet, fauente ei Tartarorum inibi Capitaneo Saraceno, *Abaga* per Liuonis nuntios de hoc certior factus, in XV. diebus peragrauit diætas quaſi XL. Quod audiens Soldanus Ægypti, fugam iniit; nec tamen euadere potuit quin Tartari extremam cuſtodiam attingerent, antequam ingrederentur Ægyptum: interfeceruntq; vſquè ad duo millia equitum. Mortuo autem Bendocdar, *ſupra part. XII. cap. XVII.* ſucceſſit ei filius *Melec Saye*: ſed poſt modicum temporis ſpatium, de dominio fuit pulſus; & ſucceſſit illi quidam, vocatus *Elphy*. Adueniente autem tempore quo *Abaga* contra Soldanum Ægypti debebat procedere, fratrem ſuum *Tangodomor* tranſmiſit: & tunc Tartari diſcurrerunt, & magnam cædem Saracenorum ediderunt: *ſupra part. XII. cap. XVIII.* In plano autem pulcherrimo *Calamele*, vbi Soldanus congregauerat exercitus ſui robur, bellum commiſſum eſt: & in partem vnam irruit Rex Armeniæ cum Chriſtianis; & per tres leucas eam fugauit, vſque Calamelam: Princeps verò militiæ Tartarorum, partem aliam debellauit; & per tres dietas cædendo ſecutus eſt, vſque ad ciuitatem *Tara*. *Tangodomor* autem, periculis ac tumultibus inſuetus bellicis, campum non tenuit; magis autem ad periculum ſuorum abſceſſit: ideò Chriſtiani ad propria redeuntes, feſſi atque diuiſi, incommoda multa paſſi ſunt: fueruntq; plurimi interfecti; fugeruntq; cum Rege non amplius XXX. militibus. Princeps verò militiæ Tartarorum, biduo dominum ſuum expectans ad conſumandam victoriam, vt abſceſſiſſe cognouit, ad eum rediit ſuper Euſraten, vbi ſuos expectauerat octò diebus. Hæc autem audiens *Abaga* contra Soldanum Babyloniæ congregauit exercitum: ſed procurante quodam Saraceno Perſa, à familiaribus muneribus corruptis, ſimul cum fratre *Tangodomor*, veneno extinctus eſt. M.CCLXXXII. Abaga ſuccedit frater Tangodomor, in pueritia baptizatus, ſed Saracenus effectus, *Mahumeth Chaam* voluit appellari: & quos poterat Tartaros ad ſimile, minis & muneribus inclinabat: Innumerabiles itaq; ipſorũ, ſicut patet hodie, Saraceni effecti ſunt. Perſecutus eſt Chriſtianos, & Eccleſias à fundamentis euertit. Cõponens quoq; cum Soldano Babyloniæ, promiſit cunctos Chriſtianos, aut ad ſectam ſuã cogere, aut trucidare. Praua huius opera per fratrem ipſius, ac nepotem, filium Abaga, vocatum *Argon*, magno *Chaam Cobila* denuntiata ſunt: à quo redarguitur, quia à progenitorũ receſſiſſet veſtigiis. Hoc audito, irâ exarſit *Mahumeth*, fratremq; interimit; & captum in caſtro *Argonem*, à proceribus iubet occultè interfici, ſibiq; caput deferri. Sed auxilio cuiuſdam magni, cui parer eius Abaga beneficia contulerat, de periculo liberatus, Mahumeth perſequens comprehendit; & coram ſe trucidari fecit: imperauitq; pro eo, M.CCLXXXV. Conceſſumq; illi eſt, à magno Tartarorum Imperatore, vt *Chaam* vocaretur. Hic fuit aſpectu pulcherrimus, fortis robore & prudẽs in agendis: Chriſtianorum Eccleſias reparauit; redieruntq; ad eius obedientiam Reges Armeniæ, atq; Georgiæ, qui à Mahumeto receſſerant. Rogatus quoq; pro Terræ S. liberatione; reſpondit, ſe velle cũ vicinis omnibus pacis inire fœdera, vt ſecurus opus illud perficiat: ſed dum hæc aguntur quarto anno regni ſui vitâ exceſſit, M.CCLXXXIX. cui ſucceſſit frater *Quegato*: qui annis ſex quaſi brutum animal vixit, gulæ & luxuriæ deditus: propter quod à ſuis ſuffocatus eſt. Cui ſucceſſit cõſanguineus *Baydo*, Chriſtianus fidelis, qui citò mortuus eſt. Hic, præcepit vt nullus Saracenus legẽ Mahumeti inter Tartaros prædicaret. Saraceni itaque ad *Gazanum* miſerunt, quia ſi vellet CHRISTI fidem relinquere, & legem ſumere Mahumeti, dominium illi confertent. Ille honoris auidus cuncta promittit, & contra Baytonem hoſtiliter vadit. Antè commiſſum verò bellum, cuncti Saraceni Gazano ſe iunguntur: ſic Bayto captus & interfectus eſt; regnauitque pro eo *Gazanus* Argonis filius: qui in regni exordio mala intulit Chriſtianis; ſuſtinuitque vt Saraceni Eccleſias Chriſtianorum deſtruerent. Sed in dominio factus ſecurus, Chriſtianis multa bona contulit; & multos Saracenorum proceres interfecit, eò quòd de lege Mahumeti eum ſæpiùs moleſtarent.

A. Dñi. 1282.

A. Dñi. 1285.

A. Dñi. 1289.

Hic, cùm Babyloniæ Soldano *Melec Naser* congrediens nouo cognomento periculum euasit, ac demũ victor fuit. Saraceni enim galeati, in equis rectis coratiis, cum multo vigore, propè Haman ad vnam diætam, Tartaros lanceis feriunt: & nonnullis prostratis, per quatuor sagittæ iactus retrocedere cogunt. *Gazanus*, veritus ne sui terga darent, de equo dissiliit; & suo exemplo conformiter Tartari vniuersi: & antè constituerunt ex animalibus quasi murum; ceperuntque spiculorum imbrem transmittere, & hostes cædere: Illi sua ac equorum multiplicari sentientes vulnera, cedunt: noui interim ac recentes superueniunt Tartari: Tunc *Gazanus*, cunctos animalia ascendere iubet, & aggredi hostes: Tam acer verò fuit ille Tartarorum insultus, vt quasi victos fugientes vsque serò cæderent: & interfecta sunt ipso bello vsque ad x x. millia Saracenorum. Illâ igitur nocte, Gazanus campum tenuit: sequenti die mandauit cuidam Capitaneo suo, vt cum x L. millibus Tartarorum hostes persequeretur vsq; ad desertum Ægypti: & interfectis plurimis Saracenorum, Soldanus conductu quorundam *Biduinorum*, in dromedariis fugiens, in Babylonem miserabiliter ingrediens, fugâ liberatus est. Gazanus igitur, post victoriam ex omnibus Soldani copiis, innumerisq; thesauris, nihil sibi præter ensem retinuit; sed militibus cuncta distribuit: M. CCC. Postquam autem *Gazanus* quieuit diebus quinq;, processit contra Damascum: Damasceni timentes ciuitatis excidium, munera transmiserunt, offerentes ciuitatis dominium. Cùm igitur Gazanus circa fluuium Damasci diebus plurimis immoraretur quietis gratiâ, venit nuntius, qui violentiam sui consanguinei *Caydo* denuntiaret contra regnum Persarum. Tunc *Gazanus* Damasco præfecit, *Caycâph*: Hic Saracenus erat, & Damasci fuerat dominus: sed fugerat ad Gazanum, propter metum Soldani, qui propter quosdam excessus volebat eum carceri mancipare. A Gazano autem gratiosè susceptus est: sed amicitior patriæ quàm benefactoris, cùm Gazanus contra Soldanum procederet, vt superiùs dicitur; & antè insultum in Saracenos vellet homines in pratis & animalia recreari, proditor, Gazani propositum Soldano transmisit, ac super incautos irruere prouocauit. Post discessum verò Gazani, cum Soldano composuit, omnisq; Syria cum eo: propter quod *Malay*, quem Gazanus ad custodiam regni Syriæ cum xx. millibus dimiserat, in Mesopotamiam transire coactus, rei Gazano nuntiauit euentum. Ille transacto æstatis calore, super fluenta Eufratis castra metatus est, & transuiadare fecit *Codelosium*, principem militiæ, cum x x x. millibus Tartarorum: & cùm peruenisset *Antiochiam*, misit pro Rege Armeniæ & Christianis, qui erant in Cypto, vt venirent: & cùm Syriæ applicuissent, venerunt noua de graui infirmitate Gazani: propter quod infecto negotio, omnes redire coacti sunt,

A. Dni. 1300.

A. Dni. 1301. 1303.

M. CCCI. Ad Eufraten quoq; rediit Gazanus, M. CCCIII. & inuenit cuncta combusta germina à Soldano: & ideò, ne pabula animalibus deficerent, in Syriam transire non potuit: tanta enim erat multitudo exercitus eius, quòd per tres diætas extendebatur super ripam Eufratis. Vndè accepto consilio vernum tempus expectare disposuit: Transmisit tamen *Gotholosam* cum x L. millibus militum, qui cum Rege Armeniæ cepit *Hamam*, & cunctos gladio percusserunt. Processerunt deindè contra *Damascum*, & audientes Soldani apparatum, propè esse ad duas diætas, illuc properauerunt; & horâ vespertinâ superuenerunt. Tunc *Gotholosa* cõtra datum consilium inuasit exercitum Soldani, inter lacum & montem, satis tutè locatum: nec potuit illo sero *Gotholosa* indè extrahere exercitum Soldani: sed neq; mane sequenti, cùm ad hoc laborassent, vsq; ad horam nonam. Cùm verò Tartari Saracenos ad campum trahere non possent, tædio & aquæ inediâ fatigati, ad planum redière Damasci. Damasceni verò collectos aquarum meatus super Tartaros dimiserunt, ita vt oportuerit eos de loco abscedere, non sine personarum & rerum suarum iactura: inglorii proindè in Mesopotamiam redierunt. Post hæc *Gazanus* moritur, & succedit ei frater *Carpanda*: hic filius fuit dominæ Christianæ, & baptizatus; sed post mortem matris cultum sumpsit spurcissimi Mahumeti. Post mortem itaq; Gazani, Saraceni Armeniam sæpiùs discurrerunt, & afflictiones mul-

A. D. 1307.

tas patriæ intulerunt. Sed randem, M. CCCVII. de septem millibus vsque Tharsum percurrentibus, vix euadere potuerunt trecenti, quin iuxta *Aiacium* mortui vel capti fuerint: nec ex tunc Saraceni ausi fuerunt regnum Armeniæ intrare; sed treuguas inuicem firmauerunt.

CAP.

CAP. IX.

Continet mores Tartarorum, & aptitudinem ad bellandum.

TArtari, vnum DEVM colunt, factorem omnium bonorum, & pœnarum in hoc mundo datorem: eum tamen orationibus vel laudibus aut aliter non colunt; sed idola à quibus habent responsa. Omnibus verò diis, vnum DEVM Omnipotentem & immortalem præponunt: vnde nec missas inferunt alicui, nisi præponendo nomen DEI: dicendo sic, *Novit DEVS quòd tibi faciam:* & similia. Superstitiosi sunt nimis: peccatū enim putant cultellum in igne figere, vel quomodocunq; cultello tangere, vel etiam eo carnes de caldaria extrahere, vel cū securi incidere iuxta ignē: putant enim sic caput igni auferri. Item, si dimittunt frenum in ore equi sui, quando debet comedere, grauiter se peccasse putant; vel etiam si equum freno percutiunt. Item appodiare se flagello quo equus percutitur: non enim vtuntur calcaribus: Vel flagello sagittas tangere; os cum osse frangere; cibum vel potum in terram proicere, & specialiter insessum cuiusquam oris impositum; hoc enim morte punitur. Si quis etiam calcat super limen stationis cuius Ducis, interficitur. Obseruant somnia & multa huiusmodi. Homines autem occidere, aliorum terras inuadere, & bona diripere, contra DEI præcepta agere, nullum apud eos extimatur peccatum. Dominis suis plus cæteris promptè obediunt, nec eis de facili mentiuntur. Rarò contendunt: propterea homicidia & vulnerationes inter eos vix fiunt. Prædones vel fures notabilium rerum, inter eos non sunt: ideoq; stationes & currus eorum, vbi thesauros conseruant, seris aut vectibus non firmant. Honorant se mutuò, & sunt ad inuicem familiares; omnem accedentem, dum comedunt, ad conuiuiū recipiunt: patientes quoq; inediæ sunt (ita vt cùm vno die vel etiam duobus non comederint, tamen cantant & ludūt, ac si benè comedissent) caloris etiam & frigoris in equitando: & quando ad terram pergunt, vbi putant adesse victualiū inopiam, equas, vaccas & alia animalia secū portant; & de lacte viuunt. Hæc sufferentia multùm reddit eos aptos ad bella. Sunt etiam strenui in facto armorum, in arte sagittandi maximè; & in bello semper volunt auantagium; nec fugere apud eos verecundum putatur, si expediat: fugiuntq; omnes simul, ordinatis aciebus; & si hostes eos insecuntur, retrò se, dire sagittant: ita etiam compositi stant in acie, vt mille eorum vix quingenti appareant: & quando Capitaneus eorum in bello vel alibi aliquid præcipit, vnusquisque nouit quid debeat agere: & potest auferre ab eis eorum dominus quicquid vult, nullusque contradicit: nemo aliquid eis dare tenetur, cùm ad bella procedunt. Sunt quoque Tartari turpes multùm, inter oculos & genas lati plus cæteris; & genæ eorum multùm præminent à maxillis. Habent oculos palpebris multùm coopertos, & parua est apertura in eis: habent nasum planum, & paruum. Imberbes sunt, excepto quòd in superiori labio, & in mento raros habent pilos, & quasi volatiles. Graciles sunt in cingulo: omnesque ferè sunt staturæ mediocris: rasturam faciunt propè verticis summitatem, quæ descendit inferius per tympora, ab aure vsque ad aurem: sedetque rasura super caput eorum ad modum ferri equi: raduntur & à parte posteriori: & longos habent capillos, & trecas retrò iuxta aures. Communiter sunt leues & agiles, ac benè equitantes: à pueritia quippe discunt, currendo post armenta: vix autem aliquis eorum pedes vadit: Habent enim tibias paruas, & in compositò gradu incedunt: loquuntur etiam clamosè, & in gutture, & quasi interrogatiuè: cantando, mugire vt bos; vel vlulare videntur, vt lupi. In luctationibus & sagittationibus delectantur. Venatores mirabiles sunt, & ordinati: insequuntur animalia fugientia ante se, & tandem claudūt quasi in circulo inter se, & tunc sagittis interficiunt. Habent & cætera, multa singularia, quæ longum foret enarrare.

IX.

CAP. X.

Continet gesta quædam Cyprensium, contrà Saracenos: & apparatum Gazani contra eosdem, ac impedimentum ipsius.

ANno Domini *M. CCIC. Guido* Comes Iopen, & *Iohannes* Antiochenus iuerūt Biblium, vt Regi Armeniæ, qui cum Gazano fuerat, se sociarēt: cognoscentes

X. A. D. 1299.

autem Gazani reditum, redierunt & ipsi. Tunc etiam Rex Cypri *Henricus*, pattacos transmiserat equites, qui sicut & primi nihil agentes, sine aliqua læsione reuersi non sunt. A. Dni. 1300. Sequenti verò anno idem Rex, cum Hospitalariis & Templariis armauerunt septem galeas, & quinque sichias; & ad flumen *Rexit* nauigantes, quinque Saracenorum galeas inuenerunt, quæ per Nilum fugientes liberatæ sunt. In Insula verò descendentes, derobato vno casali redière; & antè Alexandriam consedêre: Indeque recedentes vnam nauem Saracenorum repeterunt, quam interfectis hominibus combusserunt: deindè, discurrerunt maritimam regionem; & paruis illatis damnis redière. Tunc venit nuntius, qui Regi diceret, vt se muniret, transiretque in Syriam, quia *Gazanus* contra Saracenos procedere vellet: Rex verò pro viribus exercitum præparauit. Eodem anno dominus *Almericus de Lisignano*, dominus Tyri, transiit ad Insulam Tortosæ: habuitque secum vsque ad ducentos homines in equis, ex melioribus, qui essent in Cypro: & eâ die quâ in Insula Tortosæ applicuit, aduenerunt similiter Magistri Hospitalis & Templi. Intrauit autem tetram Alapiæ quidam magnus Admiraldus Gazani, vocatus *Codessa*: sed cùm *Gazanus* eum sequeretur, magna eum occupauit infirmitas, ita vt redire coactus sit. Quod audiens *Codessa*, districtum Alapiæ discurrit vsque ad Calamelem, & postea rediit ad Gazanum: prædicti verò, qui de Cypro exierant, conformiter redierunt. A. Dni. 1302. Magister tamen Templi, M. CCCII. in Insula Tortosæ ædes aliquas erexit: ibique maiorem partem conuentus sui tenebat, vt Turchis pro posse nocerent. Eodem anno, *Soldanus Babyloniæ* per flumen Tampnis, inter galeas & sichias misit vsque ad viginti, quæ inuenientes circa Tripolim magnum Saracenorum apparatum, eum ad Tortosæ Insulam conduxerunt: & cùm à duabus partibus in Insulam descenderent, occurrentes Templarii vsque ad nauigia retrocedere coegerunt: deindè cùm se ad turrem quandam Templarii reduxissent, illi in Insulam ad libitum descenderunt; & occupatâ Insulâ, dixerunt Templariis vt se redderent, & salùs personis ad optatum ducerentur locum: Illi verò de infidelibus confidentes, in Babylonem captiui ducti sunt: erant autem CXX. interfectique sunt arcerii quasi quingenti, & de minuto populo vsq; ad trecentos.

CAP. XI.

Continet gubernationem Cyprensis Insulæ, indebitè Regi Henrico sublatam.

XI. A. Dni. 1306. COngregati aduersus dominum suum valuassores & milites multi regni Cypri, in domo *Hugonis de Presterone*, M. CCCVI. XXVI. die Aprilis, administrationem regni *Almerico* domino Tyri, fratri Regis, conferre deliberant: eunteſq; ad Regem, propositum suum illi denuntiant, petentes vt quod egerant confirmaret. Rex verò optimatibus respondit, quia petitioni huiusmodi nequaquam annueret: quia absque illius conuentia indebitè res acta erat. Tunc illi deliberant, quid facto opus sit: statuuntque vt Regi & Reginæ ac familiæ certi redditus assignentur; cætera verò Regalia intra, gubernatori conferantur: sicque factum est. Facit igitur dictus gubernator per Insulam banna ad libitum proclamari; & secretagium, inuito Rege surripuit; & vniuersos ad faciendum sibi homagium compulit. Rex verò, XVI. Iunii, prædicto gubernatori transmittit, quòd sibi tale officium indebitè vsurpasset; ipse verò, DEI gratiâ, potens esset ad Regium officium exequendum: propterea ab inceptis desisteret, quia in tali negotio nimis processerat. Ille verò eorum super hoc requirit consilium, qui se gubernatorem creauerant: & licet ad dimittendam procurationem satis promptus videretur, consilium tamen, habitâ deliberatione, respondet, quòd si gubernationi renuntiaret, officium alteri cõferret: & facta est apud eos magna congregatio equitum. Rex verò hæc audiens, paruam familiam suam arma sumere iubet; & ipse armis induitur Regiis, & mandat portari vexillum vt prodiret in publicum. Sed DEI prouidentiâ aliter disponente, dum gubernator ad sonum campanæ cunctos vocat, & pauciſſimi ad Regis vexillum pergerent, fuissetque illius curiæ introitus & exitus citò præclusus, quatuor diebus ac noctibus obsessus pertinuit. Tunc Prælatis & Religiosis tractantibus, qui ad regis vexillum perrexerant, hac conditione gubernatori se reddunt, vt vitam aut partem corporis non amittant; nec pane & aquâ in carcere

affligan-

affligantur. Aduenientium igitur quidam, libertati donantur; quidam carceri mancipantur ad gubernatoris libitum: nonnulli verò in Armeniam missi sunt, quia nunquam dominio dicti gubernatoris assentire voluerunt. Dum in Insula Cypri tam enormia perpetrant contra Regem, in *Armenia* inopinabilis superuenit iactura. Cùm enim ad partes illas venisset vnus magnus Admiraldus Tartarorum, vocatus *Balargon*, ac pro Rege missus, M. CCCVII. Rex verò illi tam celeriter sicut affectauerat non occurrisset, Admiraldus Tartarico more elatus, tandem venientem Regem, secumque ducentem parulum, quem coronari fecerat Regem, Thoroni fratris sui defuncti filium ex sorore Henrici prædicti Regis Insulæ Cypri, ad papilionem suum de nocte & cum tota comitiua iugulari mandauit: ex quibus vnus euasit, qui noua tam crudelia reportaret. M. CCCIX. mense Martii, Soldanus Babyloniæ *Claudus* ad *Cracum*, siue Petram deserti secessit cum gente & familia sua: & *Bibarsinicher*, de quo supra actum est, *cap. 11.* abstulisse ei videbatur dominium Cayri & Babylonis: propter quod noua dissensio inter Admiraldos orta est. Eodem anno Rex Cypri in Armeniam, carceri mancipandus, transmittitur, primo Februarii. Sequenti verò anno, gubernator præfatus regni Cypri à quodam sibi familiari milite, cùm in camera vellet quiescere, subitò interfectus est. Tunc *Almericus* frater Regis & Princeps militiæ, factus est gubernator. Sed milites quibus talia displicebant ad inuicem conueniunt: & facta coniuratione pro sustinendo Rege, in regno grandis lætitia orta est. Rex verò XXVI. Augusti, de Armenia liber ad regnum suum cum multo gaudio rediit. Eodem anno in Aprili Soldanus *Claudus*, Cayrum & Babyloniam rediens, cunctos quasi Admiraldos potentes & viriles destruxit, nouosq; instituit. Interfecit enim *Bibarsinicher*, *Naboysseler*, & *Merezendal*, & *Camelyn*, & etiam *Sandomor* qui fuit Georgianus, & diu circa Tripolim dominium viriliter tenuit. *Carasancor* quoque, qui Christianus fuit, diues valdè & potens, qui dominabatur in contrata Antiochiæ & Semi, qui Soldani fratrem interfecerat, qui Ptolomaydam destruxit, à prædicto Claudo Eufraten transire, & cum gente, rebus, ac thesauris suis ad Tartaros fugere coactus est: induxitque *Carpandam*, vt contra duo castra Soldani super Eufraten sita veniret; M. CCCXIII. quorum vnum vocatur *Clarachebe*; alterum *Elbire*. Sunt autem ipsa castra in confinio Tartarorum, vltra Eufraten: promisit enim *Carasancor*, de castellanis & habitatoribus castrorum confidens, quòd citò & leuiter Tartaris traderentur: sed mutatis castellanis cæterisq; per Soldanum, promissum implere non valuit. Post mensem igitur obsidionis, propter defectum victualium, & maximè herbatici: dicuntur enim fuisse in ipso exercitu, præter cætera animalia, mille millia bestiarum caballinarum: & quia morbus, vulgariter dictus *pedana*, equos inuaserat: quia etiam Soldanus cum magno exercitu in Damascum venerat: habitâ deliberatione *Carpanda*, ad deducendum æstiuum tempus, ad contratam Baldacensem transiit; missiq; ad fratrem matris suæ *Herengi*, qui suâ concessione dominabatur in Turchia, veniebatq; eius iussu contra Soldanum, quatinus rediret & ipse. Ex his omnibus liquet apertè quàm debilitata sit Ægyptii Soldani potentia: quàm apta tempora populo Christiano ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis sceleratis.

A. D. 1307.

A. Dñi. 1309.

A. Dñi. 1310.

A. Dñi. 1313.

QVARTADECIMA PARS, CONTINET LOCORVM DISPOSITIONEM, MAXIME TERRÆ SANCTÆ: habens capitula XII.

CAP. I.

Continet situm prouinciarum adiacentium Terræ Sanctæ.

TERRA Sancta Promissionis in *Syria* est, quæ comprehendit totam terram à Tygri vsque in Ægyptum: habes ab Oriente, Tygrim; à Meridie, sinum Arabicum; Ab Occasu, mare Mediterraneum; A Septentrione, Armeniam & Cappadociam. Hæc autem totalis Syria, in plures partiales diuiditur. Prima enim Syria, quæ inter Tygrim &

Eufraten protenditur, per longum à Septentrione in Meridiē: id est, à monte Tauro vsq; ad sinum Arabicum: & vocatur *Mesopotamia* Syriæ: de qua *part. VII. cap. I.* In ea sunt *Edissa*, quæ in Tobia vocatur *Rages*: vulgariter dicitur *Roasse*: ad XIV. leucas vltra Eufraten, inter montes Taurum & Caucasum: de qua *part. V. cap. II.* & huic parti Aquilonari appropriatur nomen totius: & vocatur, strictè loquendo, *Mesopotamia Syriæ*. Sunt etiam in ea *Ninive*, & *Babylonia*. Diuiditur quoque hæc Syria in prouincias, Medam, Caldeam & Persiam: vt figura docet. Secunda Syria, dicitur *Syria Celes*: à fluuio Eufrate & Tauro monte, vsque ad fluuium Abana, qui in ciuitate Valaniæ, sub castro Margath, intrat mare: In hac Syria, *Antiochia* metropolis est. Tertia Syria, dicitur *Syria Phenicis*: quæ incipit à dicto fluuio Valaniæ, & extenditur versus Austrum vsque ad Petram incisam: quam *Districtum* vocant, sub monte Carmeli, & nunc vocatur Castrum Peregrinorum; & extenditur versus Oriens, vsque ad introitum Emath: vndè in ea sunt *Capharnaum*, *Margath*, *Anteradum*, & reliquæ ciuitates: metropolis in ea est *Tyrus*. Quarta Syria, dicitur *Syria Damasci*: quia in ea metropolis est *Damascus*: dicitur & Libanita, quia mons Libanus in ea præclarus habetur: vocatur sæpe & Syria absolutè iuxta illud Isay. *Caput Syriæ Damascus*. Dicuntur etiam Syriæ, tres Palestinæ: vndè quinta Syria est Palestina, quæ propriè *Philistym* nominatur: cuius metropolis est *Cæsarea*, incipiens à Castro Peregrinorum, & tendens versus Meridiem, supra mare Mediterraneum, contra Austrum, vsque Gazam. Sexta Syria, est alia *Palestina*, cuius metropolis est *Ierusalem*, cum omnibus montanis vsque ad Mare Mortuum, & vsque ad desertum Cadesbarne: hæc strictè *Iudæa* dicitur nomine totius parti attributo. Septima Syria, est alia *Palestina*: cuius metropolis est *Bethsan*, sita sub monte Gelboe iuxta Iordanem: quæ Galilea & campus magnus Esdrelon. Dicuntur etiam Syriæ, *tres Arabiæ*: vndè octaua Syria est, cuius Metropolis est *Bostron*, quæ nunc dicitur Buzereth, olim verò Bersa. Huic coniungitur Traconitidis regio, & Iturea ab Occidente, & ab Aquilone penè Damascus: propter quam vicinitatem hæc Arabia, *Syria Damasci* aliquando vocatur: vndè *Aretha*, Rex Arabiæ dicitur, qui secundum veritatē fuit Rex Damasci. Nona Syria, est *Arabia*, cuius Metropolis est *Petra*, olim dicta Nabath, & Ar, & Arcopolis, sita super torrentem Arnon, in confinio Moabitarum ac Amorreorum: fuit quoque de regno Seon Regis Esebon; & includebat regnum Og Regis Basan, & montem Galaad: & coniungitur primæ Arabiæ ex parte Australi. Decima Syria, est *Arabia* cuius Metropolis est *Mons-Regalis*, qui nunc *Crach* dicitur; Olim tamen *Petra deserti* vocabatur: sita vltra Mare Mortuum: & continet sub se terram Moab: quæ propriè *Syria Sobal* dicitur: & totam continet Idumeam, siue montem Seyr, & totam terram circa Mare Mortuum, vsque ad Cadesbarne, & vsque ad Syon Gaber, & Aquas contradictionis, versus Mare Rubrum, per latissimas solitudines vsq; ad Eufraten. Hæc est *Arabia magna*, & prima: & dicitur *Arabia Edemon*, id est sacra: in ea adoratur, in ciuitate Mecha, spurcissimus Mahumeth.

Esai. 7, 8.

CAP. II.

Continet totius Syriæ maritimam regionem.

¶ 1. EXeuntibus Armeniam Minorem occurrit via arta inter montes & mare, & vocatur *Passus Portellæ*. Inde, mediâ dietâ per maritimam, peruenitur *Alexandretam*: & indè transitur *Montagna Nigra*: & alia media dieta, peruenitur ad duo castra *Bagaras*, & *Trapasa* ad pedem montis: indè est media dieta in *Antiochiam*: & de Antiochia sunt decem milliaria vsque ad mare, & portum vocatum *Soldyn*, vel portus Sancti Symeonis, de quo *part. V. cap. XV.* & *part. VII. cap. I.* De portu Sancti Symeonis vsque *Pulzyn*, milliaria XX. De Pulzyn vsque *Gloriatam*, XX. milliaria. De Gloriata vsque *Lizam*, decem milliaria. De Liza vsque *Lenam*, X. milliaria. De Lena vsque *Valaniam*, V. milliaria. Supra Valaniam, ad V. milliaria, ad vnam leucam à mari, est castrum munitissimum *Margath*: quod fuit Hospitalis: & in fluuio, qui Valaniam præterfluit, (*superiori capitulo*,) terminatur Antiochenus Principatus, & incipit Tripolitanus. De Margath vsque *Tortosam*, XX. milliaria; & vocata est *Anteradum*, quasi ante radium sita. Est autem Aradium

Insula

Insula in corde maris sita,& à terra firma per mediam leucam distãs: in qua erat ciuitas, quam ædificauit Aradius filius Chanaam: in qua beatus Petrus inuenit matrem Sancti Clementis. Ibi beatus Petrus in Antiochiam transiens, parutulam ædificauit Ecclesiam, ad honorem beatæ virginis: & dicitur fuisse prima Ecclesia ad honorem eius erecta: propter quod piissima mater DEI, multa ibi operatur miracula, ita vt etiam ab infidelibus in reuerentia habeatur. A latere Anteradii, ad dimidiam leucam, contra Orientem, sunt montana quædam, vbi quidam habitant Saraceni: & dicitur *terra Assasinorum*, vbi dominabatur *Vetulus* de montibus, de quibus infra dicetur. De Tortosa ad octo leucas, est castrum *Arachas*, quod Aracheus filius Chanaam ædificauit: *part. vi. cap. vii.* Ibi terminatur Libanus, & Antelibanus. De castro Arachas ad dimidiam leucam, est oppidum *Sin*, quod ædificauit Syneus filius Chanaam: quidam castrum vocant Sinochim: ab hiis, castro & oppido, est planities magna & amœna & fertilis vsq; ad castrum *Crath*, quę fuit Hospitalis; & durat per decẽ leucas vsq; Tortosam: planities multa habet casalia, & pulchra nemora oliuarum, ficuum, & huiusmodi: habundat etiam fluminibus, & pascuis pinguibus supra modum. Vndè Turchemanni, & Madianitæ, & Beduini, ibidem habitant in tabernaculis, cum vxoribus, & filiis, & animalibus. Planitiem istam circundant montana ab Orientè, non multùm lata, quæ incipiunt iuxta Arachas, & protẽduntur vsq; Baracha: ibi habitant Saraceni, qui dicuntur *Vaalini*: gens effera & malitiosa ac Christianis infesta. De Tortosa ad xx. milliaria est *Tripolis*: de quo *part. vi. cap. xviii.* De Tripoli ad quinq; milliaria, *Nephyn*. De Nephyn ad quinq; milliaria, est *Botrum*, vulgariter dictũ *Botron*. De Botro ad xi. milliaria, est *Biblium*, vulgariter dictum *Zibelet*, antiquitus Euea, quam fundauit Eueus filius Chanaam: de quo *part. vi. cap. xviii.* De Biblio ad quinq; milliaria, est *Berytum*: de quo *part. vi. c. vi.* & inde ad tres leucas versus Botron, in flumine, [qui Canis vocatur] est locus, qui *Passus canis* dicitur: & est confinium inter Patriarchatum Antiochenum & Ierosolymitanũ: & est locus immeabilis per terram, nisi de voluntate Saracenorum: pauci enim prohiberent passum cuicunq; multitudini: [inter montem enim præruptum & mare, est via nequaquã latior. i. forsè; longitudo verò eius quasi ad quartam partem vnius leucæ extenditur.] De hiis omnibus vide supra *part. vi. cap. xviii.* De Berito ad xx. milliaria est *Sydon*, vulgariter dicitur Sageta: de qua *part. vi. cap. vi.* De Sydone ad duas leucas, est *Sarepta*: de qua suprà. De Sarepta ad duas leucas, est fluuius *Elenterus*: in Iturea nascitur sub Assor, & versus Oriens primo tendens, redit versus Occidens; & fluit sub castro Belfort, quod fuit Militiæ Templi iuxta Horma: vsque quò persecutus est Ioshue xxiv. Reges, *Ios. xi.* Hucusque persecutus est Ionathas Regem Demetrium. *i. Machab. xii.* Tandem inter Sareptam & Tyrum mare intrat. De fluuio Elentero ad tres leucas, est *Tyrus*, vbi Origenes sepultus est: multæ sunt in ea sanctorum reliquiæ. Ibi enim coronatorum martyrum multitudo, Diocletiani tempore, soli DEO nota est. De Tyro vide multa *part. vi. cap. xi. & xii. & part. vii. cap. i.* De Tyro infra vnam leucam, est *Puteus* ille mirabilis *Aquarum viuentium*, quasi ad iactum sagittæ, iuxta viam ducentem ad loca sequentia: cuius aquæ, *Cant. iv.* fluunt impetu de Libano: & licet dicatur puteus singulariter, sunt tamen quatuor eiusdem dispositionis, sed imparis quantitatis: vnus enim, in quadro positus, per latus habet cubitos xl. alii tres circa xxv. omnes sunt muris & lapidibus fortissimis circumdati, & quasi opere indissolubili, eleuatis ad astæ altitudinem, & vltrà: sicque in eis aqua colligitur, quod ad omnem partem defluit vltra muros. Sunt ibi & aquæductus profundi & lati ad hominis vestigium, quibus aqua ad vniuersam Tyri planitiem deducitur. Distant autem hii fontes à mari parum vltra iactum sagittæ; & in paruo hoc spatio impellunt molendinorum rotas sex. Huic fonti rectè conuenit illud Eccles. xxiv. *Rigabo ortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum: & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* De hoc supra *part. vi. cap. xviii.* De puteo parùm vltra vnam leucam, est castrum *Scandalium*: de quo part. *vi. cap. viii.* De Scandalio ad tres leucas, per transito mõte *Sarona*, ad radices eius, *casale Lamberti* iuxta mare, ortis, vineis & aquis abundans. De casali Lamberti ad quatuor leucas, est *Acon*, quæ & Ptolomayda, & Abiron vocata est. Hanc nunquam possederunt filii Israel: de ipsa, *part. vi. cap. iv.* De Acon ad tres leucas, est *Cayphas*, sub

pede Aquilonari montis Carmeli: *part. VI. cap. IV.* De Caypha ad leucam, est via quæ ducit ad Castrum Peregrinorum: super montem Carmeli, quasi ad dimidiam leucam, est *spelunca Helyæ*, & mansio Helysei, & fons vbi habitabant filii Prophetarum. In Carmelo etiam postea habitauerunt fratres *Carmelitæ*. De Caypha ad tres leucas, est *Castrum Peregrinorum*, munitissimum: & erat Templariorum: situm in corde maris. De Castro Peregrinorum ad tres leucas, est *Cæsarea Palestinæ*: compassus ponit xx. milliaria: de ea, *part. VI. cap. IV.* De Cæsarea ad duas leucas, est munitio *Assur*, vel Dora: compassus ponit milliaria XV. Fuit autem Templariorum, qui etiam post eius amissionem, annuatim soluebant domino Assur XXVIII. millia Bizantiorum: de ea, *part. III. cap. IV.* De Assur ad octo leucas, est *Iopen*, super mare sita, vulgariter dicitur *Zapha*, de ea, *part. VI. cap. III.* De Iopen ad decem milliaria, *castrum Beroardi*. De castro Beroardi ad decem milliaria, est *Ascalona*: de qua, *part. VI. cap. VIII.* De Ascalona ad XV. milliaria, *Gaza*: de qua, *part. VI. cap. XVIII.* De Gaza vsque *Darum*, milliaria XV. de quo, *part. VI. cap. XVIII.* & ibi finis Terræ Promissionis. De prædictis tamen supra *lib. II. part. IV. capit. XXV.* aliquid tactum est.

CAP. III.

Continet situationem locorum notabilium Sanctæ Terræ Promissionis.

III. TErræ Promissionis *longitudo*, pertrahitur à *Dan*, quæ est sub monte Libano versus Aquilonem, vsque in *Bersabee*, quæ est versus Meridiem, & prope desertum Ægypti, in spatio leucarum LXXXIII. *Latitudo* verò eius, protenditur à mari Mediterraneo ex parte Occidentali, versus Oriens, per leucas XXVIII. Imaginemur itaque Terram Promissionis diuidi per lineas in XXVIII. spatia, quæ protenduntur à monte Libano vsque ad desertum quo itur in Ægyptum; & in LXXXIII. spatia: tractis lineis super priores transuersaliter ab Occidente in Oriens, ita quòd resultent, ad quantitatem vnius leucæ siue duorum milliarium, plurima loca quadrata. In Primo igitur spatio & supremo, quod est versus Oriens, incipiendo à Septentrione, & procedendo versus Meridiem, in quadro LIII. est *Ar*: nunc Arcopolis, vel Petra. In LXXVI. est Petra deserti, siue Mons Regalis: de quo supra *part. VI. cap. VIII. & XVIII.* In Secundo spatio, quadro XII. est *Bosra*, nunc Idumea. In tertio spatio, quadro L. est *Esebon*. In LXI. est *Othonaym*. In quarto spatio, quadro XXXVI. est *Macheronta*, vel Manaym, nunc Haylon: vbi latuit Dauid; & Iohannes Baptista positus fuit in carcere. In XLIV. est *Ayr*, vel Auoth Seyr. In LV. *Sethyn*. In quinto spatio, quadro VIII. est *Baalgad*. In XXI. est *Cedar*, gloriosa ciuitas & munita in monte Sanyr: indè transit via, quæ ducit de Achon, per littus Aquilonare maris Galileæ, & per Cedar, in Aram: & inde Isay. IX. dicitur *via maris*: quia omninò procedit in littore maris Galileæ, transiens per vallem [terræ Asser] quæ nunc *Sancti Georgij* appellatur, in sinistro habens ciuitatem Saphet: Et hæc pars dicitur *Galilea gentium*: dicitur etiam *trans Iordanem*, quia ducit vltra Iordanem in regionem, quæ dicitur *Aram*: additur quoque Galileæ gentium, quia Galilea ibidem in Iordane terminatur. In sexto spatio, quadro XIII. est *Sucta*, vndè fuit Baldac Suites: Sub hac ciuitate, versus Cedar, conuenire Saraceni soliti sunt de Arã, & Mesopotamia, & Haman, & Syria Moab, & Amon, & tota terra Orientali, circa fontem Fiale: & ibi propter loci amœnitatem, toto æstiuo tempore nundinas celebrant, & erigunt tentoria diuersorum colorum, quæ de ciuitate Cedar aspicientibus pulchrum valdè præbent aspectum. Hæc in Canticis vocantur *tabernacula Cedar*. Cant. 1. 4. In XXXIX. est *Basan*. In LII. *Iazer*. In septimo spatio, quadro XI. *Sepulchrum Iob*: & indè ad vnam leucam, incipit ascensus montis *Sanyr*. In XXIV. *Gadera*. In XXXIII. *Effrem*. In XXXVI. *Phanuel*. [In XXXVIII. *Iabes*.] In XLV. *Eleale*. In L. *Sartan*. In LVIII. *Ecclesia Iohannis Baptistæ*, vbi CHRISTVS baptizatus est. In LXII. Engalym, supra Mare Mortuum. In octauo spatio, quadro XXX. *Pella*. In XLI. *Ernon*. In XLVIII. *Betesmuth*. In LXI. *Betagla*, vbi filii Israël planxerunt Iacob patrem suum, quando tulerunt eum de Ægypto: & distat vnâ leucâ à Iordane. In nono spatio, quadro XXII. *Corazaym*, in principio maris Galileæ. In XXVII. *Gerasa*, à qua regio Gerasanorum. In XXXVIII. *Sochor*. In LVIII. *Iericho*: de qua supra *part. I. cap. III.* In LXXXII. Afasantomar. In decimo spacio, quadro XXXVIII. *Salim*. In XLI. ædificatum fuit altare miræ magnitudinis. In XLIX. *Dotum*, post se habens ad

Aqui-

Aquilonem terram Tampne. In Doto, Ptolomeus, filius Abbobi, insidiosè cepit Simeonem Machabeum, De Doto est pulcher aspectus ad Orientem, versus Falga; & Meridiem, vsque Iericho. *Macch. 16, 11*

In LVI. est *Galgala*, vbi filii Israël circumcisi sunt, ac diu immorati. Post Galgalam, propè sequitur *vallis Achor*: sic dicta, quia Achor ibi lapidatus est. *Ios. 7, 24. &c.*

In *vndecima* spatio diuiditur *Libanus* à monte *Hermon*, sub quo est Damascus à parte Septentrionis: de quo *part. VI. cap. XIX.* & in hac diuisione montium est via quæ ducit Emath. Quadro autem XX. est mons vocatus *Mensa*, vbi satiauit Dominus quinque millia hominum: ibi fecit sermonem in monte, in orationibus pernoctauit: de isto monte videtur omnis regio in circuitu ad decem leucas, & vltra: est autem mons longus, ad duos iactus sagittæ; latus, ad iactū lapidis. Ad pedem eius oritur fons, iuxta mare Galileæ ad XXX. passus, quem dicunt venam Nili: quia piscem *Corconum* producit, qui alibi quàm in Nilo non reperitur. De isto fonte ad XX. passus, supra mare Galileæ, est locus vbi Christus post resurrectionem apparuit septem discipulis piscantibus; & indè ad X. passus, est locus vbi discipuli, egressi de nau viderunt prunas, & piscem suprapositum. In XXI. est *Capharnaum* propè latus Aquilonare maris Galileæ, ad duas leucas: ibi ostendebatur domus & locus sessionis in strata Regia, vndè à Christo Mattheus vocatus est. In LI. *Fasaelis* vel Fasael, tribus leucis distans à Iordane, in campestribus, vbi torrens Carith descendit de monte, in quo loco manfit Helyas, quando corui deferebant ei cibum. *III. Reg. XVII.* In LVII. est *Quarentena*, vbi Christus ieiunauit: sed in alio monte tentatum asserunt qui distat per duas leucas à latere Bethel & Hay Australi. Subtus Quarentenam, ad duos iactus sagittæ, oritur *fons Helysei*, quem sanauit: fluit autem circa Galgalam, à parte Australi, & impellit ibi magna molendina, & postea diuisus in riuos plures rigat ortos, & fluit postea in Iordanem. In *duodecimo* spatio, quadro XXII. est *Bethsayda* ciuitas Petri & Andreæ, & Philippi iuxta viam quæ ducit de Syria in Ægyptum, vbi mare curuari incipit versus Austrum. In XXVIII. *Tyberias*, à qua mare Tyberiadis nuncupatur: antiquitus dicta est Cenereth: per longum extenditur iuxta mare, & in eius Australi latere balnea medicinalia sunt. In Tyberiade terminatur regio Decapoleos: cuius termini sunt mare Galileæ ab Oriente; Sydon ab Occidente: & hæc est longitudo eius: in latitudine verò, protenditur à Tyberiade, & toto latere Aquilonari maris Galileæ, vsque ad Damascum: & dicitur Decapoleos, à decem ciuitatibus principalibus quæ sunt Tyberias, Saphet, Cedesneptalim, Asor, Cæsarea, Capharnaum, Ianapara, Bethsayda, Corozaym, Bethsan, quæ & Sicopolis. Habet quoq; hæc regio diuersa nomina, quia dicitur Decapolis, Iturea, Roob, Kabul, Galilea gentium: extenditur tamen Iturea vsque propè Beritum, quod distat à Sydone versus Septentrionem per leucas circa XX. In LIX. castrum *Dumi*, in via quæ ducit à Ierusalem in Iericho, ad dexteram. In LXII. *Herodium*, vbi Herodes sepultus est. In LXVII. *Massada*, castrum in expugnabile, quod ædificauit Herodes in colle Achillæ.

In tredecimo spatio, quadro XXIV. est *Magdalum*, castrum Mariæ Magdalenæ: & habet à parte Occidentis & Aquilonis, planitiem magnam & pascuosam. In XLVII. *Amon* amœno loco situm, & vniuersis bonis abundat. In LVI. *Hay*, de quo *supra part. I. cap. III.* In LIX. est oppidum *Zyf*, iuxta desertum, qui etiam dicitur Zif, vbi latuit Dauid: cui directè ad Austrum adiacet desertum *Mahon*, in quo est mons Carmelus, vbi habitabat Nabal.

In decimoquarto spatio, quadro. II. *Suba*, quæ in Canticis dicitur *Turris Libani*. In XV. est *Cedes Neptalim* de qua fuit Barach filius Achinoë, qui pugnauit contra Sysaram, in monte Tabor: fuit ciuitas fugitiuorum, & fertilis multum. In XXV. *Bethulia*. In XXXI. *Belueir*. In XXXIV. *Betsan*, quæ & Sycopolis, inter Gelboe & Iordanem: in cuius muro suspenderunt cadauera Saulis & filiorum. In XLIII. *Tersa*, vbi primò regnauerunt Reges Israel. In LIV. *Baurim*, & lapis Boem. In LXIII. *Tecua*, vndè fuit Amos, & ibi sepultus, quem Rex Israel Ocozia per timpora transfixit: huic ciuitati adiacet desertum Tecuæ. Inter Tecuam & Engaddi est vallis Benedictionis, vbi Iosaphat vicit Idumeos & filios Amon. In decimo quinto spatio, quadro XXX. pugnauit *Barah* contra Sysaram. In XXXIII. fuit pugna *Saulis* vltima. In LIV. palma Debboræ: de qua *Iudic. IV.* In LV. *Bethel*, siue Luza, vbi vidit Iacob scalam. In LVII. *Effron*. In LIX *Bethania*. In LXII. Turris Gregis siue *Ader*. In LXVII. *Bosra* vel Bethsur. *Cor. 7, 4. Iud. 4, 6. Ios. 20, 7. 1. Reg. 31, 10. Gen. 18, 12.*

In decimo sexto spatio

quadro XIX. Saphet. In XXII. *Neptalim* Tobiæ. In XXV. *Dotaym*, sub monte Betuliæ: locus abundans arboribus & pascuis. Ibi in campo ostenditur cisterna, in qua positus fuit Ioseph: & est iuxta viã quæ de Galaad veniens, coniungitur in Berhsayda cum via quæ de Syria ducit in Ægyptum, ascendens de Dotaym iuxta montem Betuliæ, & indè per campum Esdrelon, procedens sub monte Tabor ad sinistram per campum Magedo, ascendit montem Effraym, & per Gazam ducit in Ægyptum. Dotaym autem æquiuocum est ad oppidum & ad vallem. In valle verò Dotaym. Syri vallauerunt Helyseum *iv. Reg. vi.* & ipse in medio Samariæ duxit eos. In XXXVII. *Bereth.* In XLV. *Dan*, vbi erat vitulus aureus. In LVI. *Rama*: de hac putant dictũ illud Ieremiæ: *Vox in Rama audita est*: est & alia Rama iuxta Thecuam, in via quæ ducit Ebron; alia in tribu Neptalim non longè à castro Saphet; alia iuxta Sephorum; alia est Sylo: & omnes in altis collibus sitæ sunt; alia prope Lidam: de qua *part. VI. cap. IV.* In LIX. Ciuitas Sancta *Ierusalem*: de qua supra *part. VII. cap. II.* & infra, *cap. VII.* In LXI. Sepulchrum *Rachelis*. In LXX. *Ebron*, ad dexteram Mambre: est Ebron antiqua, in qua regnauit Dauid septem annis, in monte alto: & est destructa. Indè ad tres iactus sagittæ, versus Meridiem declinando ad Orientem est Ebron noua, vbi erat spelunca duplex. Ab ista spelunca contra Occidentem ad bonum sagittæ iactum, est ager Damascenus, de quo supra *part. VII. cap. II.* De loco autem vbi ager foditur contra Austrum ad iactum sagittæ, est locus vbi Cain occidit Abel. Item ab eadem fossura contra Occidentem, quantum bis iacere potest arcus, in monte quodam à latere Ebron veteris Australi, est spelunca quædam in rupe, habens in latum XXX. pedes, & tantundem in longum, vbi Adam & Eua luxerunt mortem Abel, vbi lectuli eorum ostenduntur: & ibi oritur quidam fons. In LXXIII. *Dabir* vel *Cariathsefer*: In decimo septimo spatio, quadro VI. est *Lachis*, quam ceperunt filii Dan, & nomine patris sui vocauerunt eam Lesedan: dicitur & simpliciter Dan, & Cæsarea Philippi, nunc *Belinas*: antè portum huius ciuitatis conueniunt Ior & Dan, & efficiunt Iordanem. In XIII. Tabernaculum *Eber Cinei*. In XVII. Kabul: Saraceni vocant hoc *castrũ Zabulon*, quod sonat displicentia. *III. Regum IX.* In XXIV. *Abelina*. In XXXI. *Gedeon* pugnauit cõtra Amalech. In XLIII. *Sebaste*, vel *Samaria*; situs ciuitatis erat pulcher valdè & aspectus latus versus mare, è monte Carmeli vsque Iopen. In XLV. est *Sichem*, nunc Neapolis: & ad duos iactus sagittæ, est fons Iacob, de quo Ioseph. IV. ad cuius dexteram est *Garizi*, quem locum putant Samaritanam ostendisse, quando dixit *Iohan. 4. 20.* *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*: ad sinistram verò oppidum, quod putant antiquum Sicen; & secundam Sichen putant oppidum Thebes: & distant ab inuicem per duos iactus sagittæ, dicto etiam fonti adiacet prædiũ quod dedit Iacob Ioseph, & est vallis longa, fertilis, & amœna valde. In Sichem sepulta sunt ossa Ioseph. In LIV. est *Magina*, nunc Bira, terminus tribus Effraym: oppidum satis magnum. In LV. est *Gabaa* Saulis, vbi oppressa fuit vxor Leuitæ: *Iudic.* & vndè Saul oriundus *Iud. 19. 14.* *1. Reg. 10. 29* fuit *1. Reg.* In LVII. est *Astaroth*. In LXI. est *Bethsura*. In LXIII. est *Bezet*. In LXVI. *Betacare*, ciuitas in alto sita. In LXVII. *Rama*, in colle sublimi vndè videtur tota Arabia, vsque ad montem Seyr, & latibula Dauid, & omnia circa Mare Mortuum, & vsque ad montem Abarim; & versus Occidens totum littus maris à Ramata vsque Bersabee, & desertum Sur. In LXIX. est *Mambre*, vbi habitauit Abraham: & ibi ilex, quæ vsque ad tempora Theodosii Imperatoris permansit, teste Ieronymo, & suum esse dilatauit: & ex illa hæc fuisse perhibetur, quæ in præsenti ab illic præsentibus videtur, & cara tenetur: quæ licet arida, Medicinalis tamen probatur: si enim equitans de ea secum portauerit, animal suum non infundetur. *Ios. 11. 13.* In spatio *decimo octauo*, quadro XI. est *Asor*, munitissima. *Ios. VI.* In XXI. est *Naason*, in valle. In XXX. est *Endor*. In XXXIV. *Iezrael*, in Occidentali parte montis Gelboe, in loco aliquantulum edito: nunc dicitur *Carethi*: ante cuius portam adhuc ostenditur ager Naboth. Iuxta ciuitatem nascitur fons, ad iactum sagittæ de Iezraël est pulcherrimus aspectus, & videtur tota Galilea, vsque ad montes Phenicæ, & Tabor, & Carmelum, & montem Effraym. *Luc. 17. 12.* In XXXVIII. *Zamin*, vel Zilim: vbi decem leprosos mundauit Christus. In *Ios. 8. 30. & 6.* XLVI. templum in monte *Garizim*, de quo supra *part. I. cap. X.* & ibi iuxta est *Ebal*, vbi Iosue constituto altari, Domino obtulit holocausta, scripsitque Deuteronomium, id est, mandata tantum de vtro, secundum aliquos: & posuit vnam partem populi cum Sacerdotibus & Leuitis in Ebal, aliam partem cum Sacerdotibus & Leuitis in

Gari-

Garizi: & clamauerunt ſibi alternatim benedictiones & maledictiones, ſicut illis mandauerat Moyſes. In XLIX. *Lepna* caſale pulchrum: & eſt alia Lempna in tribu Iuda. In LVIII. *Bethoron* inferior. In LXI. domus *Zachariæ*, vbi Maria ſalutauit Heliſabeth. In ſpatio decimo nono, quadro XXVI. *Ruma*: vbi Ionas ſepultus eſt, indè translatus in Rauennam. In XXVIII. eſt *Tabor*. In XXX. *Naym*: vbi CHRISTVS filium viduæ ſuſcitauit. In XXXIII. *Achab* pugnauit contra Syros. In XXXV. *Nechao* occidit Ioſyam. In LVI. *Sylo*, in monte: qui locus dicitur ad *Sanctum Samuelem*: diſtat vna leuca à Gabaa Saulis, & plus; & à Rama ſimiliter: ibi longo tempore fuit archa, & tabernaculum fœderis, quod fecit Moyſes. In LVII. *Gabaon*: vnde venientes Gabaonitæ fraudulenter inierunt pactum cum Ioſue *cap. XXII.* ſub monte ſita eſt. In LVIII. eſt *Nobe*: vbi Saul interfici iuſſit Sacerdotes. *1. Reg. XII.* In LXVIII. *Neeleſcol*: vnde duo viri tulerunt palmitem. In viceſimo ſpatio quadro XXXI. eſt *Suna*, in latere Hermon, ad ſiniſtram viæ quæ ducit Iezrael: hanc frequentare conſueuit Helyſeus, de Carmelo vadens in Galgala *IV. Reg. IV.* Indè enim tranſibat per Berſan in campeſtria Iordanis, quia via eſt planior: de Suna etiam fuit Abiſag Sunamitis, quæ Dauit ſeruiuit *III. Reg. capit. I.* In XLVI. eſt *Tampnatſare*: vbi ſepultus fuit Ioſue. In LVIII. *Socoth*. In LX. *Emaus*, nunc Sycopolis: & ibi propè *Bethſame* Iudæ, ad differentiam alterius quæ eſt in Effraym. In LXVI. Sycelech. In XXI. ſpatio, quadro XIX. ad Sanctum Georgium: vndè idem Sanctus putatur oriundus: caſale ſitum inter Montana, in valle pingui & amœna, quæ protenditur vſque ad mare Galileæ, in tribu Aſer, cui dicitur Gen. *Aſer pinguis panis eius.* In XXVII. *Nazareth*. In XXX. *Meſraa*. In XXXI. *caſtrum Fabæ*, & *Ruma* Aſer, extra viam quæ ducit Iezrael, in cãpo magno Eſdrelõ vel cãpo Magedo, vel plano Fabæ, vel Galilea inferiori, vel planitie Galileæ: & tenet à Tyberiade per Berhſan vſque Magedo, & montem Effraym, redeundo iuxta montem Tabor & Bethuliam in Tyberiadem. In LIII. *Aretha*. In LVII. *Cariathiarim*. In LXI. *Baptiſmus Eunuchi*. In XXII. ſpatio, quadro XIV. *Thoronum*, caſtrum munitum valdè, quod dominus Tyberiadis contra Tyrum ædificauit; & ſeptẽ leucis diſtat à Tyro: de quo *part. VI. cap. V.* In XXII. eſt *Cana* Galileæ. In XXV. *Sephorum* de quibus infra *cap. VII.* In LV. *Maceda*. In LXXVII. *Alba Specula*: de qua *part. VI. cap. XVIII.* In XXIII. ſpatio, quadro XXVIII. *caſtrum Regium* domus Theotonicorum: habundat fructibus & omnibus bonis, & in circuitu pauci fructus reperiuntur. In XXXV. eſt *Mageda* vel *Sububa*. In LVII. *Lachis*. In LXII. *Sepulchrum Machabeorum*: & videtur de mari, quia locus altè ſitus eſt. In LXXII. *Tampna*. In XXIV. ſpatio, quadro XVIII. *Mons fortis*. In XIX. *Iudyn*, caſtrum domus Theotonicæ, in montanis Saron. In XXIX. *Kaymont*, vbi *Lamech* ſagitta interfecit Cain. *Gen.* In XXXVI. Cacouelanathat. In L. *Sarona*, in monte Saron. In LIX. *Bethſames*. In LXVI *Sarra*. In LXIX. *Staol*. In LXXXI. *Berſabee*, vel Ziblin: de quo *part. VI. cap. XV. & XVIII.* In XXV. ſpatio, quadro LI. *Lida*, vel Diaſpolis. In XXVI. ſpatio, quadro LV. *Ramathaym* Sophym, quæ nunc *Ramula*: de qua *part. VI. cap. IV.* In XXVII. ſpatio, quadro VII. *Sarepta*. Sydoniorum: ante cuius portam Auſtralem oſtenditur capella, in loco vbi Helyas Propheta venit ad mulierem Sareptenam, vbi & manſit & eius filium ſuſcitauit: & oſtenditur ibi cœnaculum in quo quieuit. In XV. *Scandalium*: de quo ſupra *part. VI. cap. VIII.* In XXVI. locus vbi *Helyas* occidit Prophetas Baal. In LXI. *Acharon*. In LXV. *Azotum*: de quo ſupra *part. VI. cap. XVIII.* In XXVII. ſpatio, quadro III. *Sydon* magna: fuit autem in campo per longum diſpoſita, tendens ab Auſtro in Aquilonem, ſub monte Antelibano: de ruinis autem eius alia parua, ſed munita ædificata eſt, & etiam ex parte vna in corde maris ſita: habens hinc indè duo caſtra ſatis munita, vnum ab Aquilone, in rupe quadam in mari, quod ibidem ædificauerunt Peregrini Theotonici; aliud ex parte Auſtrali, in colle ſitum: quæ caſtra cum ciuitate, tenebant milites Templi: & eſt ibi terra fertilis valdè, & aër ſalubertimus. In XIII. *Tyrus*. In XVIII. *Acon*. In XXVII. *Caypha*: de quo *part. VI. cap. III.* In XXX. *caſtrum Peregrinorum*. In XL. *Cæſarea*. In XLVII. *Arſur*, ſiue Dora, vel Antipatrida. In LII. *Iopen*. In LV. *portus Iudæ*, iuxta Iannam. In LVI. *caſtrum Beroaldi*. In LXX. *Aſcalona*. In LXXVII. *Gaza*. De hiis omnibus ſupra capitulo præcedenti.

Luc. 7. 12

Ioſ. 9, 3.

Num. 13, 22

Gen. 49, 28

3. Reg. 17, 9. &c.

3. Reg. 18, 40

CAP.

CAP. IV.

Continet dispositionem montium regionis quæ est vltra Iordanem, ad Orientem.

IV. VLtra viam quæ ducit Emath, de qua superiori capitulo dictum est; extenditur mons *Hermon* versus Orientem. Et nota, quia *Libanus*, & *Hermon*, & *Seyr*, vel *Sanir*, & *Galaad*, & montana quę sunt super torrentem Arnon, & quæ sunt inter Amon & Moab & Amorreos, sunt vnus mons continuus: secundùm tamen varias summitates, sortitur diuersa nomina. Mons tamen Galaad inter cæteros altior est, ita vt
Iere. 22, 6. ad litteram, sic intelligi videatur illud Ierem. *Galaad tu mihi caput Libani.* Extenditur autem prædictus mõs Hermon, per leucas circa decem, deindè montium iuga flectuntur versus Meridiem. Primus autem montium huius, vocatur mons *Seyr*, vel *Sanir*: qui terminatur sub monte Galaad in loco opposito ciuitati Bethsan, & monti Gelboe: & vltimus, similiter *Seyr* dicitur iuxta desertum in fine Terræ promissionis, versus Meridiem: de quo dicitur Gen. xiv. quòd Codor Laomor, & alii Reges cum eo, percussierunt Coreos qui habitabant in monte Seyr: qui tunc non dicebatur Seyr, quia nec Esau, à quo mons dictus est Seyr, natus erat: vnde per anticipationem creditur esse dictum, & Deut. iii. dicitur: *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filios Esau, qui habitant in monte Seyr.* Hoc dictum est in Cadesbarne, venturis ad hunc montem Seyr, qui illis propinquus erat: nam ad illum montem Seyr, qui est propinquus Damasco, non leguntur eo tempore venisse filii Israël. Hunc verò habitauit Esau cùm Iacob rediit de Mesopotamia: sicut enim legitur Gen. xxxi. quia Laban fugientem Iacob comprehendit in monte Galaad, & cum procederet, (*sequenti capitulo*)
Gen. 32, 2. habuit obuiam Angelos Domini, & ait: *castra Dei sunt hæc*: & vocauit nomen loci illius *Manaym*, id est, castra: & est locus ille in eodem monte: & indè misit nuntios ad Esau, qui illuc redeuntes, dixerunt Esau illi occurrere cum viris quadringentis: tunc manens in castris, id est, *Manaym*, misit fratri munera. Cumq; maturè surrexisset cum vxoribus & filiis, transiuit vadum *Iaboc*, quasi ad tres leucas de Manaym. Et *xxxiii. capitulo*, vidit venientem Esau &c. Sequitur *Reuersus est itaque Esau illo die itinere quo venerat in Seyr.* Hoc autem de Seyr, qui est iuxta desertum ad Meridiem intelligi non potest, cùm distet milliariis plus quàm centum. Potuerunt autem in diuersis montibus vocatis Seyr habitare filii Esau, propter varias vxores quas duxit. Habuit enim vxorem, *Gen. xxxvi. Colibama* filiam Aries, filiæ Esebon Enei, qui habitabant in Sycopoli siue Betsan, iuxta mare Galileæ, propinqua monti Seyr: Aliam etiam habuit *Bethsemat*, filiam Ismaëlis, sororem Nabaioth: & filii Hus habitauerunt in alio monte Seyr, iuxta desertum Pharan, propè habitationem Ismaelis aui materni: de quo dicitur Gen. xxxi. Quòd *factus est vir sagittarius, & moratus est in solitudine Pharan.* Est adhuc tertius mons *Seyr*, in finibus Azoti & Ascalonis, in distributione sortis Iudæ: & habitatores terræ illius *Idumei* dicti sunt: Vnde Antipater & Herodes filius eius, qui fuerunt Ascalonitæ, Idumei dicti sunt. Possumus & sic diuidere totam terram vltra Iordanem: quia primo à parte Septentrionis, est *Traconitidis* regio, sic dicta pro eo quòd aquis pluuialibus caret: colligunt autem aquas pluuiales in cisternis, & per tracones de loco ad locum conducunt: & vocatur in Ios. xi. *planities Libani*: extenditur autem vsque Cedar & mare Galileæ. Et est in prima eius parte terra *Hus*: in sequenti parte versus Meridiem, est dimidia tribus *Manasse*: deindè sequitur tribus *Gad*, sub monte Galaad: deindè sequitur tribus *Ruben*, & comprehendit regnum Seon regis Esebon: postea sequuntur campestria *Moab*, sub monte Abarim, in Setym, vbi longo tempore steterunt filii Israël cõtra Iericho. Et extenditur terra Moab vsque ad Petram deserti, per leucas fortè xx. Vltimò sequitur pars terræ *Amon*, quantum durat Mare Mortuum: & circuit eius latus Australe vsque ad montem Seyr, qui coniunctus est deserto Pharan iuxta Cadesbarne, habens à latere desertum Sinai, & Mare Rubrum: terra tamen Moab & Amon, de Terra Promissionis non fuit.

CAP. V.

Continet situm montium principalium cis Iordanem.

V. POst Hermon incipit *Libanus*: supra *cap. iii.* & *Antelibanus*, vbi Asot super fluuiũ Elentherum: *part. vi. cap. vi.* & protenduntur per quinque dietas, vltra Tripolim

per

per leucas quinque. Vltra hos ad Meridiem occurrit mons *Saron*, suprà *11. cap.* De Abelina verò ad magnam leucam, est mons *Bethuliæ*, vbi Iudith occidit Holofernẽ: qui mons per totam ferè Galileam videtur, pulcher & munitus; & extenditur versus Occidens vsque ad Chana Galileæ: & iuxta est vallis ad Meridiem in campo Dotaym, in quà se lauit Iudith, & quam giratuit redeundo in Bethuliam. Est etiam sub eodem monte, versus Meridiem, planities à Chana Galileæ vsq; in Ephorum, fertilis & amœna. Post hunc versus Meridiem est alius mons, qui ab Occidente, vbi sita est Nazareth, fortè per octo leucas extenditur in Oriente: & ibi habet Dothaym. De Nazareth ad duas leucas, est mons *Tabor*: de quo infra *cap. VII.* & suprà montem Tabor, ad Orientem, est vallis Fabæ, quæ est vallis Regis. De monte Tabor ad vnam leucam, est mons *Hermon*, modicus, à quo descendit Hermonium, tumor quidam potius quàm mons, & coniungitur monti Tabor: & est in eo villa Endor, vbi erat mulier habens Phytonem: *in fine primi Regum.* Hermon verò, habens in latere Aquilonari Naym, extenditur ferè per quatuor leucas contra finem maris Galileæ. Sub montibus Nazareth & Tabor & Hermon, propè mare, est mons *Carmelus*: in cuius extrema parte, inter Orientem & Meridiem, [Lamech sagittâ interfecit Cain. *Gen.* De Carmelo, vide supra. Vltra Hermon ad Meridiem] sunt montes Gelboe: & extenduntur à Bethsan vsque Iezrael, versus Oriens, per tres leucas: & iuxta, ad iactum sagittæ oritur fons Iezrael, vbi posuerunt Philistim castra cùm esset Saul in Gelboe. Inter hunc fontem & Bethsan, etiam alius riuus fluit de monte Hermon, & isti coniunctus fluit per vallem mediam in Iordanem. Hæc vallis habet latitudinem quasi duarum leucarum, in qua etiam fuit pugna Gedeonis contra Madian. *Iudic. VII.* & Achab contra Syrios. *III. Reg. IX.* In hac etiam planitie versus Iordanem incipit Vallis illustris, & protenditur vsque ad mare mortuum. Post Gelboe ad Meridiem, est *Bereth*: vbi incipiunt *montes Samariæ*, inter quos & Iordanem sunt leucæ circa VI. & in ipso spatio est terra Tampne, quæ habet montes valdè altos & protenditur vsque ad campestria Iordanis. Mons verò vbi est Bereth bifurcatur versus Meridiem ad duas leucas. In monte alto, qui est versus Occidens, Ieroboam posuit vnum de vitulis aureis: & in monte altiori qui est versus Oriens, ad dimidiam leucam posuit alium. Licet aliqui putent quod in Dan, quæ dicta est Lachis. Et in valle inter hos montes sita est *Sichem*, quæ nunc Neapolis, delitiosa valdè: sed muniri non potest, quia ex vtroque monte collaterali, manu lapides proiici possunt in oppidum: de his suprà *III. cap. dictum est.* Postea secuntur ad Meridiem *montana Iudeæ*, & Ierusalem: De Ierusalem & Syon & circumstantibus, vide suprà *cap. VI. & VII.* & de *Quarentena* suprà cap. III. Post Quarentenam versus Meridiem extenditur mons *Engadi* altissimus, iuxta Occidentale littus Maris Mortui: & est mirabilis dispositionis, præruptas habens rupes & valles. In Engadi erant *vites Balsami*: sed tempore Herodis Ascalonitæ, Cleopatra Regina, fauente sibi Antonio, transtulit eas in Ægyptum, vbi à solis Christianis coli possunt. In fine Engadi est mons *Carmelus*, vbi habitauit Nabal: & vltrà, est Amalech: & adhuc vltrà, cõtra Mare Rubrum, est Cadesbarne, vndè Moyses misit exploratores: vbi longo tempore mansserunt filii Israel; & in de montem Seyr iussi sunt circuire, quæ in Idumea est, adiacens deserto Maon, inter Orientem & Meridiem; & indè redierunt per viam Maris Rubri. De deserto Maon habetur suprà *cap. III.* De monte *Bethlehem*, infrà *capit. X.* Et de monte *Rama*, *suprà cap. III.* Et de montibus hæc sufficiant.

CAP. VI.

Continet dispositionem aquarum, & fluminum Terræ Sanctæ.

Iordanus ad radices nascitur Libani: suprà *cap. 3.* Dicunt autem de fonte qui *Fiala* appellatur, qui semper est plenus, & nunquam effluit, posito in sexto spatio, quadro XVIII. oriri fontem Dan, eò quòd paleæ in illo fonte positæ recipiuntur in Dan; & ideò dicunt ibi esse verum ortum Iordanis: vndè Saraceni vocant illum fontem, *Medan*, quod sonat, *aquæ Dan.* Marcus vocat *Dalmanuca*, Mattheus, *Mageda. Iordanis* igitur tale habẽs initium, fluens diuidit Ituream & Traconitidẽ regionẽ: & primò versus Oriens procedens, deindè versus Meridiem, medio quasi loco *Marc. 8, 10. Matth. 15, 39.*

inter ortum fuum & mare Galileæ, vallem ingrediens, in ſtagnum colligitur cùm
Ioſ.11,5. niues de Libano reſoluuntur: & vocantur *aquæ Maron*, vbi Ioſue cum Iabyn Rege
Aſor, & aliis XXIV. Regibus dimicauit. Hæc aqua pro magna parte æſtiuo tempore
deſiccatur: & naſcuntur ibi arbuſta, in quibus latitant Leones, Vrſi, & huiuſmodi
feræ: & ſunt ibi venationes Regiæ. Deindè Iordanis procedens inter Capharnaum
& Corozaim, *mare* ingreditur *Galileæ*, ſic dictum ab adiacente prouincia Galilea:
dicitur etiam mare Tyberiadis, à proxima ciuitate: & mare Genezareth, quia con-
tinuè criſpantibus vndis ventum generat, ſecundùm Bedam; vel à modica regione
Genezara, quàm præterfluit: & habet in longitudine, ſecundùm Bedam, CXL. ſtadia;
in latitudine verò, XL. Deindè Iordanis verſus Meridiem tendens, *Mare Mortuum* 10
intrat quod Arabiam diuidit à Iudea: & extenditur in longitudine verſus Meridi-
em, leucis XXXV. & plus, minuſue; vſque ſcilicet ad Cadesbarne, & deſertum Pha-
ran: & putant nonnulli quòd mari Rubro cõtinuetur: inter quæ maria computãtur
dietæ quinque; & ex his putant eſſe aquas intermedias, quæ Exod. XV. *aquæ Marath*
appellantur. Dicunt etiam aliqui quòd aquæ Iordanis non intrant Mare mortuum,
ſed cùm illuc perueniunt abſorbentur à terra: experti verò, aiunt quòd intrant &
exeunt, & in fine aquæ Iordanis abſorbentur à terra poſt modicum ſpatium, vndè &
mare creſcit, creſcente Iordane ex reſolutione niuium Libani, & aliorum montiũ,
& multiplicatione pluuiarum. Eſt autem Mare hoc ſemper fumans, & tenebroſum
ſicut caminus inferni. In Iordanem à parte Orientis fluit vadum *Iaboch*, inchoans 20
ſpatio ſecundo, quadro XLV, vadens nunc contra Occidentem, nunc contra Aqui-
lonem; & propè mare Galileę ad tres leucas, intrat Iordanem. Item torrens *Arnõn*,
inchoans in monte Phagor, & ſub Iazer intrat Iordanem. Duo verò alii conformiter intrant Mare Mortuum, vnus in principio; alter vltrà, verſus Meridiem ad nouem leucas. A parte verò occidentali intrat mare Galileæ fluuius, quem Ioſephus *paruum Iordanem* vocat: propè caſtrum Regium incipit, & ei iungitur alia aqua veniens de propè Kabul; & iuxta Bethſayda, intrat mare Galileæ: & iuxta eundem locum magis ad Meridiem, intrat alia aqua ex duobus fontibus veniens à lateribus Dotaym: & iuxta Magdalum intrat alia aqua veniens de monte Betuliæ. Oritur
Iud.4,6 quoque de pede Orientali montis Tabor torrens *Cyſon*, vbi Barach pugnauit con- 30
trà Syſaram. Torrens iſte Cyſon collectus eſt de aquis pluuialibus montis Tabor, &
Hermon, & Hermonym: & vna pars, deſcendit quaſi ad finem maris Galileæ; alia verò pars, fluit in mare Mediterraneum prope Caypham ad vnum milliare; ad tria verò propè Ptolomaydam, & propè locum vbi intrat mare, vbi Helyas occidit Prophetas *III. Reg. XVIII.* Huic autem parti torrentis multæ aquæ iunguntur de monte Effraym, & de locis Samariæ & de toto campo magno Esdrelon, & Caymmonte & Magedo. A Meridionali verò latere Hermon fluens aqua, iungitur illi quæ fluit ex fonte Iezrael, & ſub Berhſan intrat Iordanem. Fons quoque Iaboch, de quo ſuprà *III. cap.* intrat Iordanem [regionem] è regione Eleale. Torrens *Carith*, deſcen- 40
dit de monte vbi Helyas à coruis paſtus eſt, iuxta Phaſael tranſiens verſus Oriens:
De *fonte Helyſei*, ſuprà *cap. III.* dictum eſt. Aquæ etiam circa Ieruſalem conuenientes, adiunctâ ſibi aquâ de monte Engadi, ſub Iordane initium Maris Mortui intrant. Mare verò Mediterraneum intrat primò à parte Aquilonis fluuius *Elentherus*: de quo ſupra *cap. II.* Deindè procedendo verſus Meridiem *puteus* eſt *aquarium viuentium*: de quo ſuprà *parte VI. cap. XVIII.* Deindè aqua de propè *caſtrum Regium*, tranſiens inter Montem fortem & Iudyn, iuxta caſale Lamperti mare ingreditur. Deindè iuxta *Ptolomaydam* intrat fluuius de propè veniẽs, fortè ad milliaria quinque. Deindè torrens *Cyſon* de quo immediatè ſuprà. Deindè venit aqua de propè *Sycelec*, & inter Cęſaream & Aſſur intrat mare. Deindè ex loco medio inter domum Zachariæ & Emaus per vallem *Raphaym*, tranſit fluuius iuxta Ramatha, & propè Io- 50
pen intrat mare. Poſtea de propè *Bethſuram* deſcendit aqua, primò fluens verſus Occidens; deindè propè Meridiem, & tunc ei iungitur fons inuocantis de maxilla, veniens à parte Aquilonis: & ibi propè fuit baptiſmus Eunuchi: & deſcendit vltra Staol, propè Aſcalonam, verſus Occidens in mare. Vltimò de monte Carmelo, deſcendit torrens *Boſoch*, vltra Berſabeæ, & rediens verſus Gazam intrat mare.

CAP.

CAP. VII.

Continet peregrinationem de Ptolomayda, per Nazareth, vsque in Ierusalem.

SAcra loca electæ Terræ Promissionis visitare cupiens à *Nazareth* sumat exordiũ vbi nostra salus sumpsit initium: Hæc distat à Ptolomayda septem leucis: & in via *Saphar* castrum reperitur, vbi nati dicuntur Iacobus & Iohannes filii Zebedei. In Nazareth locus ostenditur vbi Angelus Gabriel, Dei nuntius, beatæ Virgini antiquum pro mundi redemptione implendum nuntiauit fore consiliũ: de hoc supra *part. VII. cap. II.* & in capella ibi ædificata, erant triã altaria; & capella erat excisa in petra de rupe, sicut & locus Natiuitatis & resurrectionis: & magna pars ciuitatis erat antiquitus excisa de rupe, quod etiam nunc apparet. Ibi etiam ostenditur Synagoga, sed in Ecclesiam conuersa; in qua Christus tradito sibi Isayâ legit, *Spiritus Domini super me* &c. Extra ciuitatem ad Austrum, ad quatuor iactus sagittæ est locus dictus, *Saltus Domini*: vbi voluerunt eum præcipitare Iudei; sed exiuit de manibus eorum, & subitò intuentus ostenditur in latere montis oppositi ad iactum sagittæ, & videtur ibidem vestigium corporis eius lapidi impressum. De monte isto videtur mons Tabor, & Hermon minor, & Hermonym, villa Endor, & Naym, & Iezrael & ferè tota latitudo campi magni Esdrelon. De Nazareth ad duas leucas est *Sephorum* vndè beata Anna traxit originem: oppidum istud habet desuper castrum valdè pulchrum: Indè Ioachim ortus dicitur, & est in tribu Aser iuxta vallem Carmeleon. De Sephoro ad duas leucas & dimidiam, est *Chana Galileæ*, de qua fuerunt Symon Chananeus & Nathanael: ibi ostenditur locus vbi stetertunt sex hydriæ, in quibus conuertit Christus aquam in vinum, & triclinium in quo erant mensæ. Sunt autem loca hæc, sicut & alia in quibus aliquid Christus oderatus est sub terra & descendunt ad ea per plures gradus in criptam: sicut & locus Annuntiationis & Natiuitatis, & plura alia: cuius ratio videtur esse, quia propter frequentes Ecclesiarum destructiones ruinæ super terram exaltatæ sunt; eisque complanatis alia ædificia sunt constructa: & ideò fideles vt priora loca possent ædificare fecerunt, gradus, & quasi in criptis ea visitant. Adiacet autem ciuitati ab Aquilone, mons altus & rotundus, in cuius decliui latere sita est: sub se verò cõtra Austrum, habet planitiem pulchram, vsque in Sephorum, fertilem & amœnam. Localis tamen ordo esset ire de Ptolomayda, per quinque leucas, versus Oriens ad Chana Galileæ, & indè versus Meridiem per Sephorum in Nazareth. De Nazareth ad duas leucas est *mons Tabor*, vbi transfiguratus est Dominus: ibi ostenduntur ruinæ trium tabernaculorum, quæ erecta fuerant secundùm Petri desiderium. Sunt etiã aliorũ ædificiorũ multæ ruinæ, in quib. nunc habitãt Leones & feræ: vndè & ibi sunt Regiæ venationes. Difficilis autem est montis ascensus, & altus valdè, ac aptus munitioni. In eius pede Australi, in via quæ ducit de Syria in Ægyptum, est locus vbi Melchisedech occurrit Abrahæ, reuertenti à cæde quatuor Regum de confinio Damasci. In pede verò Occidentali contra Nazareth est Capella vbi Christus ait discipulis: *nemini dixeritis visionem* &c. & de pede eius Orientali descendit torrens Cyzon. De monte Tabor ad duas leucas, inter Orientem & Meridiem, est *Naym*, vbi Christus filium viduæ suscitauit. Deindè ad XV. leucas, est *Samaria*, deindè vsque Ierusalem via ponitur. C. III.

VII.

Luc. 4. 17.

Gen. 14. 18.

Matt. 17. 9.

CAP. VIII.

Continet peregrinationem ciuitatis Sanctæ Ierusalem, & montis Syon.

CVM sacratissima illa loca visitaueris, ad quod integra dies vix sufficere poterit, per *portam Beniamin*, siue Sancti Stephani intrandum est: deindè, primò ingrediaris *Ecclesiam Sancti Sepulchri*, quæ inter cuncta mundi sanctuaria obtinet principatum. Ecclesia ista rotunda est, & habet per dyametrum inter columpnas LXXIII. pedes, præter assides quæ habent per circuitum XXX. pedes. Super Sepulchrum Domini, quod est in medio Ecclesiæ eiusdem, est apertura rotunda, ita vt tota cripta Sancti Sepulchri sit sub diuo. *Golgotana* autẽ Ecclesia adhæret isti, & est oblonga, loco

VIII.

chori Sancti Sepulchri, parum demissior: sunt tamen ambo sub vno tecto. Prius enim quàm Christiani ibi haberent dominium, vbi CHRISTVS crucifixus est, & vbi crux inuenta est, ædificata est Ecclesia instar capellæ: sed postquam fideles loca illa possederunt, apparuit eis locus paruus & arctus: & ideò ædificauerunt nouum opus, sumptuosum, pulchrum & firmum, intra se sanctuaria comprehendens. Hostium Sepulchri demissum est valdè & paruum. Sepulchri autem forma posita est supra *part. VII. cap. II.* Est autem spelunca ex omni parte clausa, nec per aditum aliquem intrare potest lux: sed nouem lampades lucem continuam subministrant. Est & alia spelunca antè speluncam istam Sancti Sepulchri, eiusdem longitudinis & latitudinis & dispositionis, intus & extra: & videntur hæ duæ vna, exteriùs exeunti. In istam exteriorem intrauerunt mulieres, quando dixerunt, *quis reuoluet nobis lapidem ab hostio monumenti?* lapis enim aduolutus erat hostio speluncæ interioris: & iacet adhuc magna pars eius, ante prædictum hostium; alia verò pars eius, translata est in monte Syon, & suppositа est vni altari. Est autem iuxta cellam Sepulchri, columna quædam in qua est imago beati Pantaleonis: cuius oculos cùm quidam Saracenus destrueret, ipsius oculi protinus ceciderunt in terram. *Mons Caluariæ*, in quo Dominus crucifixus est, distat à loco Sepulchri per CVIII. pedes: & ascenditur ad locum vbi crux posita est per XXIX. pedes, à superficie pauimẽti Ecclesiæ. *Scissio Petræ* eiusdem in qua crux fixa fuit, tantæ est capacitatis, vt caput hominis recipiat: & descendit longitudo eius, de loco fixionis Crucis, vsque ad pauimentum Ecclesiæ, per XXIX. pedes: & color sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI, apparet hodiè in ipsa scissione petræ: & erat scissio sub manu eius sinistra. Altare etiam ædificatum est iuxta eundem locum manus sinistræ, valdè decorum, & pulchrum de marmore. Pauimentum etiam capellæ huius, stratum est marmore; & parietes tecti marmore, & Mosayco opere decorati. Locus verò vbi crux posita fuit, est fossa duobus palmis profunda, & ita capax vt caput hominis comprehendat. De Caluaria contra Orientem ad decem pedes, est altare quoddam, sub quo est pars *columnæ ad quam Dominus fuit flagellatus*: Illuc enim translata est de domo Pilati: & sub lapide altaris est tecta, ita vt à fidelibus possit tangi, videri & osculari. Est autem de lapide porphirio subnigro, habẽs quasdã maculas rubeas naturaliter, quas dicit vulgus tincturas sanguinis Christi. Alia verò pars colũnæ dicitur translata in Constantinopolim. Est & alius locus in sinistra parte Ecclesiæ vbi est columna parua & subtilis, ad quam dicũt IESVM ligatũ & flagellatũ fuisse. De altari huius columnæ contra Orientẽ ad XII. pedes descẽditur per gradus XLVIII. ad locũ vbi ab Helena Crux inuenta est: & est ibi capella, & duo altaria infra terram. Et locus ille vbi crux inuẽta est, putatur fuisse vnum de fossatis ciuitatis antiquæ, in quod depositis corporibus, cruces missæ fuerunt. Locus autem vbi steterit *beata Virgo* cum cæteris mulieribus iuxta crucem, non fuit sub brachio crucis ad Aquilonem, vt multi putant: sed antè faciem filii penè ad Occidentem: & ostenditur sub rupe prædicta locus ille. Ibi propè ostenditur locus vbi *Ioseph* ab Arimathia, & *Nicodemus* lauerunt Iesum quando deposuerunt eum de cruce: quem aiunt Dominum IESVM ostendendo dixisse, ibi esse medium mundi: & est in medio chori; & à sinistro latere chori, est carcer Christi. Et propè locum illum, est locus vbi Dominus noster à mortuis resurgens apparuit Magdalenæ, quando existimauit eũ ortolanũ, dicens: *Ioan. 20, 15* *si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* In quo loco factum est altare, pro illius apparitionis memoria, ante cellam Sepulchri. Deindè proceditur ad portam Occidentalem vbi conuersa est *Maria Aegyptiaca*, quia eam cum aliis Christianis ingredi non poterat. Suntq; in ipsa Ecclesia, multa altaria composita & ornata decenter. Post vadat Peregrinus ad *montem Syon*. In procedendo autem contra turrim Dauid, in itinere, inuenitur locus vbi ab Herode Agrippa fuit beatus *Iacobus*, frater Iohannis, occisus gladio: nec bene dicunt qui referunt, caput eius de Ioppen illuc per manus Angelorum allatum, atq; sepultum. In monte autem Syon inuenit homo primò *Ecclesiã Sancti Saluatoris*, quæ olim fuit domus, Cayphæ in qua post captionem fuit Christus vsq; mane: ibi enim Princeps Sacerdotum, & omne concilium, quærebant falsum testimoniũ contra Iesum, vt eum morti traderent: ibi *Matt. 26, 63* surgens Princeps Sacerdotum ait illi: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus, filius Dei benedicti:* & respondit Iesus; *à modo videbitis filium homi-*

nes

nis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc scidit Princeps sacerdotum vestimenta sua: Nec tamen scindi potuit inconsutilis tunica CHRISTI in figura lacerandæ Synagogæ, & Ecclesiasticæ firmitatis. Tunc eum iudicauerunt reum mortis, & expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæderunt: alii autem illudebant ei, cædentes eum; & velabant eum, & percutiebant faciem eius, dicentes, *prophetiza, nobis Christe, quis est qui te percussit?* & alia multa blasphemantes dicebant in eum; Ibi consueuit ostendi pars columnæ ad quam fuit vsque manè ligatus & flagellatus: vndè & ostenditur ibidem *carcer*, vbi post recessum sacrilegi concilii, detentus dicitur CHRISTVS vsque mane, ab indignis seruis infinita improperia audiens, & illusiones sustinens. Ibi etiam *Lapis grandis* est super altare qui dicitur fuisse lapis positus super monumentum Domini Iesu. Prope locum hunc, ad iactum lapidis contra Austrum, est locus vbi *gloriosa Virgo* habitauit, post Ascensionem filii eius in cœlum; & cellà vbi migrauit ex hoc seculo. Est etiam ibi *Ecclesia beati Iohannis Euangelistæ*, quæ fuit, vt dicitur, prima omnium Ecclesiarum: in qua idē Apostolus, beatissimæ illi Reginæ celebrare solitus erat, donec in hoc seculo vixit. Ostendi etiā consueuit ibidem quidam *Lapis rubeus*, qui erat ibi pro altari, quem de monte Synai, per manus Angelorum delatum asserunt, ad preces beati Thomæ de India reuertētis. Prædicto autem loco propinquum est *cœnaculum* grande, stratum: in quo cœnauit CHRISTVS cùm discipulis suis pedes eorum lauit; corpus suum & sanguinem tradidit; post resurrectionem pluries apparuit, vbi capella de subtus ædificata est: Matthias etiam in Apostolū electus est; Spiritus quoque Sanctus Apostolis missus est; septem Diaconi electi sunt; Iacobus etiam minor, Ierosolymitanus Episcopus ordinatus est: & ostenduntur loca hæc ab inuicem separata. Ibi etiam ostenditur *peluis*, in quam misit CHRISTVS aquam, ad lauandū pedes discipulorum. Ibi propè est *sepulchrum Dauid, & Salomonis*, & aliorum Regum Iuda, partim in ipsa Ecclesia montis Syon, & partim extra quasi in parte Aquilonari. Ibi etiam non lōgè, est *sepulchrum beati Stephani* protomartyris, vbi post inuentionem suam positus fuit.

Mat. 26, 68

CAP. IX.

Continet peregrinationem locorum circa Ierusalem.

DEscendenti de monte Syon, occurrit locus, vbi dum Apostoli portarent *gloriosam virginem* ad sepulchrum in vallem Iosaphat, Iudeorū Pontifex eius corpus rapere voluit: sed manus eius cōtinuò arefacta est. Est etiam ibi Ecclesia, dicta vulgariter *Gallicantus*, in qua cauea profundā est; vbi Petrus fleuit amarè. Deinde ad Meridiem itur ad *agrum emptum* triginta argenteis, quibus CHRISTVS à Iuda venditus fuit. Postea itur ad *fontem Siloe*, sub monte Syon, contra Regiā Salomonis; & ex eo fluit aqua in piscinam inferiorem, & in notatoria Siloë; non tamen fluit iugiter, sed interpolatè: & accedit ad ambas piscinas etiam aqua *fontis Gyon* inferioris, qui oritur sub agro fullonis, vbi Rapsaces exprobrauit Domino audiente populo super murū. Iuxta piscinas istas, contra Orientē descendit *torrens Cedron*, collectis simul omnibus aquis quas secum trahit de partibus superioribus! scilicet Rama, Anaroth, sepulchro Reginæ Iabenorū: & lōngè sub sepulchro Virginis auditur strepitus eius sub terra descendentis: & sic omnes descendūt in vallē Gehennon, quæ dicitur etiā locus *Tophet*, in qua valle est etiam lapis *Zoeleth*, & fons *Rogel*, vbi Adonias fecit conuiuiū, quando regnare volebat. Ibiq; sub quercu Rogel *sepulchrum Isayæ* Prophetæ ostenditur. Et sunt loca ista amœnissima & delitiosa; ibiq; orti & viridaria irrigātur a quis torrentis Cedron. De fonte Siloë procedendo per vallem Iosaphat, ostenditur in opposito loco templi, & in pede montis Oliueti, *sepulchrū Iosaphat* Regis Iuda, habens superpositam pyramidē magnæ pulchritudinis. De prædicto sepulchro vsq; ad *locum orationis Christi*, quasi versus Septentrionem, est plus quā iactus lapidis. Et indè vlteriùs ad Aquilonē ad iactū lapidis est Ecclesia dicta *Gethsemani*: vbi est ortus in quem introiuit Iesus & discipuli eius, in latere montis Oliueti, adhærens cuidam rupi concauę de monte pendenti: sub qua rupe discipuli sederunt, quando dixit eis Iesus, *sedete hic & orate ne intretis in tentationem*: & ostenditur adhuc locus sessionis eorum. Ibidem etiam ostenditur locus in quo dērentis fuit à turbis; Iudā osculo eum prodente: & videtur adhuc *impressiō calvariæ* eius in rupe descendente, & vestigia capitis ac capillorum eius. Et in alio latere apparet *impressio digitorum* eius, ac si in pasta

4. Reg. 18, 17.

1. Reg. 1, 9.

Mat. 26. 36, 41.

facta fuisset: quam impressionem dicitur fecisse apprehendēdo rupem cùm tenerētur à turbis. Et est mirum, quia experti recitant quòd et á ferreis instrumentis, non modò partem lapidis possunt abscindere; sed nec puluerem quidem possunt elicere. In loco etiam orationis, vbi factus in agonia prolixiùs orauit, & factus est sudor
Luc. 22, 44. eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrā, conformiter *impressio genuū & manuū* eius in lapide facta est: vndè similiter nihil euelli potest. Inter hunc locū & Gethsemani, antè Ecclesiā beatæ Virginis, transit via quà ascēditur in monte Oliueti. Ab hostio autē dictæ Ecclesiæ Gethsemani, vsq; ad ostiū capellæ per quam intratur ad Ecclesiā vbi est *sepulchrū gloriosæ Virginis*, mensurati sunt passus quinquaginta, quasi versus Occidens; nō in profundo vallis, sed in pede montis Oliueti: & erat antè destructionē Ierusalē, aliquantulū super terram; nunc verò est multum sub terra: quia Romani, vt dicit *Iosephus*, ab ea parte ciuitatem oppugnantes, incisis oliuis & arboribus aliis, & aggeribus indè factis, eam impleuerunt. Deindè etiam captâ ciuitate, ruinas atriorū & Templi, complanato etiā monte Moriâ, ne locus esset de cætero tā munitus, *Adrianus* fecit proiici in torrentē Cedron; & ciuitatē sale fecit aspergi. Huiusmodi igitur repletionibus, Ecclesia, licet sit multùm alta & testudinata, totaliter cooperta est, & vallis desuper plana, & ibi via publica. Est tamen ibidem supra terrā quoddam ædificiū, ad modum capellæ, quod cùm intraueris descendes fortè per gradus LX. sub terram in ipsam Ecclesiam, & ad sepulchrū Virginis gloriosæ. Est autem sepulchrū in medio chori, contra altare, marmoreū & magnificè decoratū. Ecclesia tamen multùm est humida: nam torrens Cedron est sub ipsa, prædictis repletionibus omnino coopertus, & antiquū tenet meatum: cùm verò abundant pluuiæ prædictus torrens erumpens, replet Ecclesiā in tantum, quòd sæpe per ostiū capellæ superiùs positæ, per omnes gradus exuperans exit aqua. Habet autem Ecclesia lumen de fenestris Orientalibus, vbi benè secundū loci dispositionem potest lux accedere à parte montis Oliueti. Iuxta sepulchrum Virginis: est *sepulchrum beati Iacobi minoris*: ibi enim à Christianis sepultus est, cùm fuit de tēplo à Iudeis præcipitatus. De sepulchro verò *Helenæ* Reginæ, dictū est supra: nec fuit hæc Helena Constantini mater; sed Abigenorum Regina: quæ fratres sustentauit in Ierusalem, quando fuit fames quarto anno Claudii, ac vndecimo. Post hæc visitata, vadat Peregrinus per viam, quam iuxta sepulchrum Virginis esse diximus, & sequatur Christum euntē
Matth. 21, 9 super Asellū in Ierusalem, in ramis palmarū, & clamet cum fidelibus turbis: *Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in excelsis.* Intrauit autem Christus in Ierusalem per portam auream: Ibi enim propè ad iactum baliste, erat *templum Domini*, in monte Moria. In hoc templo præsentatus est Iesus in tem-
Luc. 2, 29. plum, puer XL. dierum, cui cēcinit Symeon: *Nunc dimittis, Domine, seruum tuum, secundùm verbū tuum in pace &c.* & Anna Prophetissa superueniens, loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Ibi puer annorum XII. in medio Doctorū, magis docet dum prudenter interrogat. Tandē prouectæ ætatis, eiecit de
Matth. 21, 12. Iohan. 2, 14. Tēplo ementes & vēdentes; & mensas nummulariorū, & cathedras vendentiū columbas euertit: dicens, *nolite facere domū meam* &c. Ibi deprehensam in adulterio à pœna absoluit pariter & à culpa. Ibi lapidare eū voluerunt Iudei, dicentem, *Ego & Pater vnum sumus.* Ibi duo minuta viduæ, prætulit magnis oblationibus aliorum: humilem iustificans publicanum, & Pharisæum condemnans elatum: & plura alia egit congrua nostræ saluti. Est autem area Templi quadrata & muro clausa, habens in longitudine & latitudine plusquā iacere possit arcus: & sunt ex parte Occidentis duæ portæ, vna vocatur *spetiosa*: de qua supra *part. 1. cap. VI.* ad quam Petrus sanauit claudū, *Act. III.* alia verò innominata est. Ex parte verò Septētrionis est vna porta, & ex parte Orientis alia quæ vocatur *porta aurea*: & super quamlibet istarum portarum est turris alta, quas sacerdotes Saracēnorum consueuerunt ascendere, & Mahumet clamitare legem. Infra claustrum huius plateæ, nullus audet intrare nisi mundis pedibus: & ad hoc, adhibiti sunt custodes, siue portarii. In medio autem illius magnæ plateæ, est alia platea altior & quadrata, ad quā ascendunt per gradus ex parte Occidentis, & ex parte Meridiei. Templū verò in medio eius ædificatū est, vbi Dauid emit aream Aureuma Iebusei, vt ædificaret altare Domino, cessaretq; plaga quæ in populo crassabatur: *in fine secundi libri Regum.* Est autem Templum octo angulorū ac octo laterum: & sunt muti tecti marmore, & ornati opere Mosayco. & cooperturta superior est de plumbo optimè elaborata; & quelibet istarum platearū

strata

strata est lapide albo. Iuxta Templum Domini aiunt esse *templum Salomonis*, in quo sunt duo templa: illuc nullus Christianorum intrare permittitur, ne iuxta imprecationem Salomonis, exaudiatur in oratione sua. Si autem Peregrinus per portã, quâ CHRISTVS intrauit ad Templum, intrare non potest; intret per portam vallis, quæ ab area magna templi distat fortè per iactum lapidis, versus Meridiem: & antequam portam intret, ad dextram videbit locum vbi ligatus fuit beatus Stephanus quando lapidatus est; vbi etiam positis genibus pro se lapidantibus orauit, dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum* &c. Act. 7, 60.

CAP. X.

Continet peregrinationem locorum quæ obmissa fuerunt in ciuitate Ierusalem.

CVm autem prædictam portam vallis intraueris, primò ad dextram occurrit *Ecclesia Sanctæ Annæ*, vbi ostenditur cripta in qua gloriosa virgo Maria nata est, vbi fuit domus Ioachim & beatæ Annæ. Ibi iuxta est piscina grandis, quæ dicebatur *piscina interior*, quam fecit Ezechias hoc modo: obturauit enim superiorem fontem aquarum Gyon, & auertit aquas eius subter, ad Occidentem turris Dauid, incidens petram ferro: sicut dicitur Eccles. haſt. XLVIII. & inducens aquas per medium ciuitatis in piscinam istam: vt in obsidione haberet aquam populus ad bibẽdum, & eas non possent Assyrii prohibere: Fontem verò aquarum Gyon, duxit in piscinam superiorem, quę est super natatoria Siloe. Hoc enim Achaz inceperat, sed non perfecerat. De hac piscina & de hoc fonte & de eius situ dicitur Esay. VII. *Egredere ad extremum aquæductus piscinæ superioris, in via agri fullonis.* Dicitur autem ista piscina superior, respectu natatoriæ Siloë de qua suprà *cap. VIII.* Est & quarta piscina in ciuitate ad sinistram dictæ portæ vallis, sicut Sancta Anna est ad dexteram; quæ dicitur *Probatica*, iuxta aram Templi, in qua Natinei lauabant hostias; & sic eas Sacerdotibus præsentabant, offerendas in Templo. Hæc adhuc quinque porticus habuisse ostenditur, in quibus iacebant infirmi expectantes aquæ motum: nam qui prior post aquæ motum descendebat sanabatur. *Ioh. V.* vbi etiam CHRISTVS sanauit tricenum octonemq; in grabato. Quidam tamen primam piscinam quæ iuxta Sanctam Annam est, dicunt Probaticam piscinã: quod nõ credo. In Ierusalẽ autẽ, vel circà, piscinæ aliæ non leguntur. Postquam autem hæc videris à dextris & à sinistris, per viam directè procedens versus portam oppositam siue Iudiciariam, inuenies *domum Pilati*: vbi innocens Agnus Dei flagellatus & illusus à militibus, conspurtus, alapis cæsus, coronâ spineâ coronatus, & tandem ad mortem condemnatus est. Et est ibi via quæ ducit ad Templum, per quam Iudei venientes de Templo clamabant, *crucifige, crucifige eum.* Prope domum Pilati est *domus Annæ*, ad quam captus CHRISTVS à turbis, in Gethsemani primò deductus est, vbi quasi hæresiarcha de doctrina sua examinatur, & à seruo nequam alapâ cæditur; indeq; ad Cayphan ligatus mittitur in monte Syon: de cuius domo *suprà cap. VIII.* Iuxta domum Annæ est *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Pamasan*, vbi beata illa Virgo syncopizzauit præ dolore, quãdo vidit innocentem filium suum baiulantem sibi crucem, & sub eius onere anxiũ: & adhuc sunt duo lapides magni & albi in arcu alto murati, super quos Dominus noster requieuit quando crucem portabat. Vlterius per dictam viam procedendo, inuenitur ad dexteram via quæ ducit ad portam Sancti Stephani, per quam Iudæi ducentes IESVM inuenerunt Symonem quendam Cyreneum venientem de villa: hunc angariauerunt vt tolleret crucem, qui portauit eam vsq; ad montem caluariæ, vbi crucifixerunt eum: de quo loco dictum est *suprà cap. VIII.* Propè Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Pamasan, dicitur fuisse *palatium Herodis Regis*: à quo non longè monstratur *domus Iudæ* proditoris, in qua cum vxore & filiis morabatur.

CAP. XI.

Continet peregrinationem Bethleem & Ebron.

POst peregrinationes Ierusalem, montis Syon, & adiacentium locorum, per portam Dauid exeundum versus *Bethleem*, distantem ad duas leucas, contra Austrũ in sinistra parte viæ quæ ducit versus Ebron: extra viam tamen, ad iactum sagittæ. Est autem in medio huius peregrinationis *Ecclesia* quædam, in loco vbi Helyas aliquando pœnitentiam egit. Propè Bethlehem ad vnum milliare est *Sepulchrum Ra-*

chelis ad dextram, iuxta viam, cui pyramis pulchra imminet, quam ædificauit Iacob supponens eidem super tumbam XII. lapides grandes, secundùm numerum filiorum Israël, qui hodie sunt ibidē. Iuxta verò sepulchrū Rachelis, est *ager cicerū lapideorum*: aiunt enim Dominum IESVM, indè transeuntem, interrogasse ab homine cicera seminante, quid seminaret? quo respondente, *lapides*, ait Dominus: *Et lapides fiāt*: sic cicera in lapides conuersa sunt, & vsq; hodie reperiuntur ibi cicera lapidea, quæ solent colligere Peregrini. Demū ad *Bethleem* peruenitur, quæ sita est in monte cōpetenter alto, sed arto, qui ab Oriente in Occidentē protenditur: & ab Occidente habet introitū, vbi est cisterna iuxta portā, de qua desiderauit bibere Dauid cū esset in præsidio. *1. Reg. XXIII.* Ex parte verò Orientali est *spelunca* in rupe iuxta murū ciuitatis: & videtur, secundùm modū terræ illius, fuisse locus pro stabulo, habēs *præsepe* excisum, vt ibi moris est facere præsepia. Hanc spelunca quib. laudibus efferā? vbi ortus est CHRISTVS de Virgine, Sol de stella; vbi veritas de terra orta est, & terra nostra dedit fructū suū? Qua etiā voce promā illius præsepii gloriā? in quo pannis inuolutus vagit infans, qui creauit sydera, & ad tam stupendum miraculum, Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Herodes terretur, Ierosolyma conturbatur? O Bethlehē, ciuitas Dauid; veri certè Dauid ortu insignis affecta, manu fortis, & decori aspectu: ciuitas erat parua, sed magnificata est à Domino: magnificauit eam qui paruus in ea ex magno factus est. Quæ ciuitas si audiat, non inuideat pretiosū illud stabulum, & illius præsepii gloriā: vbiq; gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: vbiq; canitur, *quia homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Et nota, quia iuxta rupem prædictam, in qua CHRISTVS natus est, est alia capacior, à prima quatuor tantùm pedibus distans, sub qua erat præsepe in quo dulcissimus ille puer, mox natus, ac pannis inuolutus, iuxta bouem & asinum reclinatur: & videtur vna fuisse spelunca continua, quam solum diuidit factum hostium; & ascensus quo de capella ad chorum ascenditur. *Fœnum* verò *præsepis*, Romædelatum est ab Helena Regina, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris decenter reconditum, non longè à præsepio sepultus fuit *Ieronymus.* Ad locum autem dulcissimæ Natiuitatis, descenditur ab Ecclesia in capellam, per decem gradus. Est autem capella illa tota interiùs facta de opere Mosayco, & strata marmore, & sumptuosè valdè facta. Super locum illū vbi beata Virgo peperit, potest missa celebrari super tabulam marmoreā quę est ibi. De lapide etiā nudo, videtur aliqua portio, vbi natus est Christus: Similiter pars quædā præsepii, in quo iacuit, nuda relicta est. Quæ loca cum deuotione & reuerētia maxima visitantur. Vix in Orbe terrarū pulchrior Ecclesia, vel æquè deuota poterit inueniri; sunt enim in ea colūnæ marmoreæ nobilissimæ per quatuor ordines dispositę, non solū multitudine, sed etiam magnitudine stupendæ. Præterea nauis ipsa Ecclesiæ desuper columnas vsq; ad trabes, facta est de opere Mosayco pulcherrimo & nobilissimo: suntque ibi depictæ cunctæ historiæ à mundi creatione vsque ad Christi aduentum ad iudicium; totum etiam pauimentum Ecclesiæ, stratum est marmore diuersorum colorum, quod mirâ varietate pictura decorat. In hac quoque *Ecclesia Sanctæ Mariæ de Bethleem*, in pariete, ex parte sinistra, est locus vbi positus fuit *vmbilicus*, & circumcisio Domini: & ex parte dextera chori versus Austrū, est locus vbi sepulti fuerunt *Sancti Innocentes*, vbi & altare constructum est: maior verò pars eorum contra Meridiem, tertio milliario sepulta est. Huius venerabilis Ecclesiæ prætiosas tabulas & columnas præcepit Soldanus quidam, pro construendo sibi palatio, in Babylonem deferri: & cùm accessissent in Soldani præsentia cum suis instrumentis artifices, vt iussa perficerent, de sano & integro pariete, vndè nec acus posset educi, exiuit serpens miræ magnitudinis, primæque tabulæ quæ occurrit, morsum dedit, & tabula continuò transuersaliter scissa est. Ad secundam verò accedens fecit similiter, & ad alias consequenter, vsque ad XL. Cunctis verò astantibus stupore suspensis, Soldano quoque mutante propositum, serpens disparuit: remansit proindè Ecclesia, & remanet vsque hodie sicut priùs: *Saraceni* quidem omnes Ecclesias beatæ *gloriosæ Virginis*, sed hanc præcipuè, venerātur. Appa ret autē vsq; nunc, vestigium trāseuntis serpentis in singulis tabulis, quasi cōbustio quædam ignis. Et inter cætera stupendū qualiter serpens per transuersum transire poterat, cùm paries esset planissimus & politissimus, sicut vitrum. In exitu huius Ecclesiæ contra Aquilonē est *claustrum monachorū*, ad quod per gradus aliquos ascēditur & in cripta quadā ostēditur cella, in qua beatus *Ieronymus* pœnitētia se afflixit;

Psalm. 86.

& in translatione ac expositione Sacræ Scripturæ plurimũ laborauit: lectulus quoque eius ostẽditur, & officinæ claustri cui præfuit. De Ecclesia prædicta ferè quantum est iactus lapidis, quasi contra Orientem, est *Ecclesiæ Sanctæ Paulæ, & Eustochij* filii eius, vbi pœnitentiam egerunt: vbi etiam ostenduntur eorum sepulchra. Deinde subtus verò prædictæ Ecclesiæ, est cripta magna: vbi est capella, in qua, vt dicitur, sedebat aliquando *Virgo* cum filio, vt solitaria perfectiùs vacaret ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere: DEVM apud DEVM, ac sedẽtem super Cherubyn in decore suo; sedentem super solium excelsum & eleuatum, in ea forma in qua æqualis est Patri, in splendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus. Ibi etiam præsisse dicitur vbera lacte repleta ad terram, vndè terra illa dealbata est, vt quasi lac coagulatum videretur; fertur quoque quòd si mulier lac amittit, & parum de terra illa in ciatho aquæ ponat & bibat, quòd statim lac reuertitur. Milliario à Bethleem erant *pastores*, inquit Euangelista *vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Vtinam super gregem commissum vigilassent pastores in regione eâdem, & forsitan non percussisset eos, *Ier. v. Leo de Sylua*: potentia Saladini: *suprà part. VIII.* nec vastasset *Lupus ad vesperam*: Bendocdar, residuũ quod remanserat à leone: *suprà part. XI.* nec *Pardus*: Melecmessor, velox ad malũ & præceps, quasi pardus ad sanguinẽ, vigilasset super ciuitates corũ, quæ solæ remãserũt: *in fine partis eiusdem.* De Bethleem ad octo leucas, versus Meridiẽ itur in *Ebron*: de quo suprà *cap. III.* & de loci conditionibus, vide suprà *part. VII. cap. II.* Dispositionem autem & conditionem cæterorum locorum Terræ Sanctæ videre potes suprà *cap. III. & IV.*

Luc. 2, 8.

CAP. XII.

Continet dispositionem regni Aegypti.

POstquam de Syria & Terra Promissionis sufficienter tractatum est, ad *Aegyptum* decet stilum conuertere. In Dato terminum posuimus Terræ Sanctæ Promissionis: *supra II. cap.* Per Riperiam igitur Ægypti discurrẽdo, licet partim *lib. I. part. I. cap. VI.* & diffusiùs *in secundo, part. IV. cap. XXV.* fecerimus mentionẽ de eadem, dicamus, quòd de *Daro* vsq; ad *caput Beroaldi*, sunt milliaria XXX. & indè vsq; ad fundũ cuiusdã stagni, siue *cuisi de Rixa*, sunt milliaria XXX. & indè ad aliud caput, cuiusdã culfi, sunt miliaria XXX. & inde vsq; ad *Rasacasarõ* milliaria L. & indè vsq; ad *Pharamiã*, milliaria XXX. Hæc fuit ciuitas benè murata ac munita, sed postea à serpẽtibus totaliter occupata est. De Pharamia vsq; ad flumen *Tampnis*, milliaria XXV. ciuitas tamen Tampnis est vltra fluuiũ, per milliaria quasi XV. supra lacum, de qua in Psalm: *Qui fecit prodigia sua in campo Tampneos*: vbi Moyses & Aaron & filii Israël fuerunt conmorati, & est in terra Iessen, de qua dixit Ioseph fratribus suis, *Gen.* XLVI. & patri: *dicetis Pharaoni, Pastores ouiũ sumus, & nos & patres nostri: hoc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Iessen.* de hac *part. VI. c. XVIII.* Tampnis fuit antiquitùs ciuitas valdè munita, & firmo loco sita: sed hodie omninò est destructa & pauci *Beduini*, propter pascua & terræ vberratem, habitant in ruinis eius: & abundat piscibus & auibus suprà modum: de ea, *part. VI. cap. XVIII.* A fluuio Tampnis vsq; ad *Damiatam*, milliaria LX. per mare nauigando: quæ olim dicebatur Memphis: suprà *part. VI. cap. XXII.* Fecerunt autem Saraceni in distantia duarum leucarum, à mari, aliud casale lõgum, sed immunitum, ad naues collocandas, & merces colligendas: & abundat fructibus, frumento, & cæteris bonis sicut Tampnis: & fluit inter hanc & veterẽ Damiatam quidam riuus Nili, & procedit contra Tampnis; & indè per fretum, quod *Bayera* dicitur, vsq; Phataniam procedit, & in mare ingreditur: & iste est primus portus Ægypti versus Terram Promissionis. De Damiata vsq; ad *Brullium*, milliaria LXX. & indè vsque ad *Os Sturionis*, quod est latitudinis quinq; milliariorum, sunt milliaria XXX. & habet in circuitu milliaria XXX. De Ore Sturionis ad *Os Rossetti*, milliaria XL. Ab ore Rossetti ad turrim *Bolcherij*, milliaria XXV. & indè vsque *Alexandriam* XVIII. milliaria. Ex prædictis patet, quia à Pharamia vsq; in Alexãdriam sunt milliaria CCIXVIII. Et hæc est latitudo Ægypti iuxta mare. Verumtamen dominium Ægyptiorũ, vsq; ad *Portum Soldani* extenditur: qui portus sub Alexãdria versus Occidens per spatium CCLXX. milliarium existit: vt suprà *lib. 2. part. IV. cap. XXV.* De *Alexandria* vsq; in *Babylonem*, ponuntur milliaria CCXXX. per fluuiũ Nili ascendendo. De *Pharamia* verò per Tampni & Damiatã vsq; in *Babyloniam* CC. milliaria tantùm, similiter per fluuium. De Babylonia verò vsq; ad ciuitatẽ *Sienen*, quæ est vltima

Psal. 77, 12.

pars Ægypti contra Auſtrum & Æthyopiam, ſunt milliaria CXL. A prædicta quidem ciuitate Syenen, ſurſum per Nili fluuium nauigando, vſque ad locum vocatum *Chus*, vbi onerantur naugia ex delatis mercimoniis de Haden, circa CCLX. milliaria computantur: Supradicta Æthyopia, propriè *Nubia* nuncupatur, quam totaliter incolunt Chriſtiani, quam & beatus Matthæus conuertit ad CHRISTVM. De Damiata aſcendendo per Nilum, primò inuenitur *Abdela*; & indè *Manſora*, vbi diuiditur Nilus, & vadit minor riuus iuxta Pharamiam. Locus autem, vbi principaliter diuiditur Nilus, & principalem Ægypti partem, Inſulam conſtituit, *Delta* vocatur, nam Inſula, per modum Deltæ litteræ, triangula eſt: & procedit maior riuus contra Alexandriam, alter verò in Damiatam. De Delta vſque in *Eliopolim*, ſunt tria milliaria. Indè quidam riuulus Nili procedit contra Aquilonem, vſq; ad ciuitatem *Belbeis*, quæ quondam *Peluſium* dicebatur: *part. VI. cap. XVIII.* & indè vadit per deſertum verſus Terram Sanctam & intrat mare iuxta ciuitatem *Laris*, quæ vna dicta diſtat à Gaza & Berſabee; & vocatur propriè in ſcriptura, *riuus Aegypti*; & in eo erat terminus tribus Iuda: *Numerorum* * ..... nauigari autem non poteſt. *Eliopolis* eſt villa bona valdè: ſed non eſt munita, ſicut nec aliqua villa in tota Ægypto præter Alexandriam & Cayrum. In Eliopoli & Babylonia oſtenduntur loca, in quibus manſit glorioſa Virgo cum Filio, quando fugit in Ægyptum à facie Herodis: cùm enim locum alium non haberet, ingreſſa eſt Templum in quo erant idola CCCLXV. quibus ſingulis diebus diuinus exhibebatur honor: ad CHRISTI autem & virginis Mariæ ingreſſum, vniuerſa idola corruerunt: & impletum eſt illud Iſay. XIX. *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur ſimulachra Aegypti.* Cumq; hoc nuntiatum eſſet *Afrodoſio*, venit ad templum cum omni exercitu ſuo, & accedens adorauit infantem, & alloquens exercitum, ait: *Hic niſi eſſet DEVS Deorum noſtrorũ, coram eo ſe non proſternerent: nos ergo quod DEOS noſtros facere videmus, niſi cautè fecerimus, omnes ſicut Pharao periculum incurremus.* Sic pius Dominus, qui in ira miſericordias ſuas non continet, mittens Filium ſuum in Ægyptum, magnum dedit reconciliationis ſignum: decemq; plagas eius, vna medicina curauit. De *Eliopoli* ad ſeptem leucas, eſt *Babylonia*, magna valdè & benè munita, ſita ſupra Nilum, in eius littore Aquilonari: tranſit tamen riuus ſatis magnus eiuſdem fluminis, per medium eius, & per ciuitatem *Kayrum*: de qua *part. VI. cap. XXII.* quæ Babyloniæ contigua eſt: & reuertitur in Kayro ad flumen. Iuxta Kayrum eſt arbor palmæ antiquiſſima, quæ ſe beatæ Mariæ Virgini inclinauit, vt dactila indè colligeret, & iterum erexit ſe: quod videntes pagani eam ſuccciderunt, ſed nocte ſequenti conſolidata eſt & erecta; & apparent inciſiones adhuc, ſuntq; circà hanc ciuitatẽ optima pomeria & multa: ad vnum quoq; milliare eſt *ortus balſami*, ad quantitatem dimidii manſi. Arbuſcula illa, eſt ſicut lignum vitis trium annorum; folium verò, quaſi parui trifolii, vel ſicut rutæ, albiora tamen. Tempore maturitatis, quæ eſt circa menſem Madii, ſcinditur cortex ligni: & liquor colligitur in vaſis vitreis; reponiturq; in ſtercore columbino, & deſiccatur: & ſic fit balſamus probatus. Alium etiam tradunt colligendi modum: quia à parte quæ reſpicit Solem euellunt folium: ſtipiti enim adhæret, & vnum tantùm ſtipitem habet, licet plures ſimul in vno ſtent ceſpite: erepto autem folio, ſtatim egreditur gutta luciditſſima, odorifera valdè. Hic autem ortus vno ſolo fonte fœcundari poteſt, in quo beata Virgo panniculos pueri IESV lauiſſe dicitur. Ad hunc fontem in Epiphania, Chriſtiani & Saraceni conueniunt; & in eo ex deuotione corpora ſua lauant. Eſt & aliud ibi ſtupendum: quòd boues aquam prædictam trahentes, à Meridie Sabbathi, vſque ad congruam horam diei Dominicæ, etiam ſi excoriari deberent, aquam non traherent. In Babylone quoque eſt miraculum memoriâ dignum: In monaſterio enim ibidem conſtructo ad honorem beati Iohannis Baptiſtæ eſt ſcrineum cum reliquiis eius: & locus ille in feſto ipſius, tam à Chriſtianis quàm à Saracenis plurimùm viſitatur: & anno quolibet portant prædictum ſcrineum per Nilum deſcendendo, quaſi quinque leucas, ad aliam Eccleſiam monachorum, ſimiliter ad eius honorem conſtructam: poſt celebrationem verò Miſſæ ſcrineum in flumine ponunt, experiri volentes vbi Sanctus reliquias ſuas manere velit, in hoc videlicet loco an potius in priori: ſed mox in oculis omnium ſcrineum contra impetum fluuii vic lentum valdè, tantâ velocitate ſurſum fertur, vt qui in equis velociſſimè currunt,

3. *Reg.* 8, 65. 4. *Reg.* 24, 7. *

currunt, illud nequeunt præuenire. Dè Babylonia ad quinq; leucas, sunt quædam *pyramides* triangulæ, multùm altæ, quæ dicuntur fuisse horrea Ioseph: & iuxta illas sunt ruinæ ciuitatis *Tebe*, ad duas leucas, vndè fuit legio Tebeorum: cui adiacet desertum Thebaydos, vbi fuit multitudo monachorum antiquitus. Super Babyloniam Nilus totus collectus descendit à loco dicto *Syenen*, per milliaria CCXL. indeq; vsq; *Meroen* ciuitatem, sunt milliaria CCLX. Syene, sub Tropico æstiuali sita est: vndè & ibi assumitur vmbra in primo gradu Cancri, & tunc Meroè proiicit vmbram contra Austrum. Et nota quòd, licet de Babylone vsque in Syenen, & indè vsque Meroen, sit longitudo magna, latitudo tamen penè nulla est: quia via ilo la procedit circa Nilum, qui habet montes altos hinc indè, & terram omninò destructam, præter quam circa flumen. Ortus verò *Nili*, sciri non potest, nisi vsque ad montes, qui sunt in sinistro Nubiæ per quos descendit: & est vltra immeabilis locus. Terra Ægypti aliundè quàm à mari penè inaccessibilis est. Ex parte Occidẽtis, habet confinia cum quadam prouincia Barbariæ, quæ *Barca* vocatur; & est desertum intermedium XV. dietarum. Ab Austro, est desertum Æthiopiæ, per XII. dietas & vltrà, vsq; in Nubiam. Ab Oriente, desertũ Thebaydos, vsq; ad Mare Rubrũ, per tres dietas, ad locum, qui *Beronice* dicitur; & est portus Ægypti in littore Maris Rubri. Volentibus versus Indiam nauigare contra Vulturnum & Septentrionem, est desertum magnum vsq; ad Terram Sanctam, in quo XL. annis immorati sunt filii Israël: per hoc desertum transitur in Syriam nõ paucioribus octo dietis. Ex omni igitur parte, præter eam quæ mari adiacet, sabulo & deserto circumdatũ est regnũ Ægypti. Est autem in Ægypto aër bonus, & cibi conuenientes, & terra temperatior Palestinâ & Syriâ: cùm tamen ex dispositione situs, vt videtur, deberet contrarius reperiri. Terra etiam Ægypti solo *Nilo* irrigatur. Incipit enim crescere in natiuitate beati Iohannis, & crescit vsq; ad exaltationem Sanctæ Crucis; ex tunc est in decrescendo, vsq; ad Epiphaniam: & cùm apparet arida, cultor proiicit semen, & metet in Martio. Posita est autem columna marmorea in Insula quadam parua, in medio fluminis, quæ est antè antiquam ciuitatem *Mesor*, quæ est prope Cayrũ: & in illa columna posuerunt signa, secundùm quæ cognoscunt sequentis messis copiam 30 vel defectum. A festo quoque beati Martini vsque Martium, legumina & recentes colliguntur fructus. Oues & capræ, bis in anno pariunt. Describitur quoque via de Terra Promissionis vsque ad Kayrum, terrestri itinere, per desertum, sic. De *Gaza*, leucæ tres vsq; *Darum*: bona via, & aqua, & herbacium. Indè vsq; *Raphat*, leucæ duæ: bona via, & aqua, & in copia. Indè vsq; *Zasque*, leucæ quatuor: parum de littore, bonum herbaciũ, & bona aqua & copiosa. Indè vsq; *Heus*, leucæ quatuor: via littorosa, & aquæ satis bonæ. Indè vsq; *Laris*, leucæ quatuor: totum littus, & aqua bona satis, & platea ad emendum & vendendum. [Indè vsq; *Burelum*, leucæ quatuor: totum littus, aqua bona, & in copia.] Indè vsq; *Bouser*, leucæ quatuor: & ibi via diuiditur in superiorem & inferiorem: inferior est magis cõmunis, & trãsit 40 per locum vocatum *Sabaquet baridoil*, vbi mortuus est Rex Balduinus. De Bouser vsq; *Tarade*, leucæ duæ: satis habet de littore, de herbacio & bona aqua; & ibi platea. Indè vsq; *Asbede*, leucæ quatuor: sic est ibi littus magnum, bonum herbacium, aqua bona, & platea. Indè vsq; *Viteleb*, leucæ quinq;: habundantia littoris, malum herbaciũ, & aquæ satis malæ, sed in copia. Indè vsq; *Naberleysibia*, leucæ quatuor: satis de littore, & de bona aqua. Inde vsq; *Catie*, leucæ *..... bona villa est, & aquæ satis bonæ: & ibi via diuiditur in superiorem & inferiorem; vtraq; perducit ad *Habesse*, villa optima: via inferior magis est cõmunis. Via superior: de *Chatie* vsq; *Habras*, leucæ quinq;: satis de littore, & de aqua, sed mala. Indè vsque *Bonuruch*, leucæ quatuor: satis de littore, sed aqua est pessima, amara, & salsa. Indeq; vsq; *Hucar*, leu- 50 cæ quatuor parũæ: satis de littore, & aquæ malæ. Indè vsq; *Asebbi*, leucæ quatuor: [satis de littore, herbacio, & aqua bona; & ibi platea. Indè vsq; *Hesiuone*, leucæ quatuor:] satis de littore, & bona aqua ex flumine. Indè vsq; *Masinach*, leucæ tres: satis de littore, & bona aqua ex flumine. De *Sbesbie* incipit terra laboris: & indè vsq; ad *Vacariã* bonã villã, leucæ duę & magnę: satis aquę de flumine. Indè vsq; *Habesse*, leucę tres: via bona, & terra fertilis, & villa abũdat omnib. bonis. Indè vsq; *Belbeis*, leucæ tres: terra arabilis, & villa magna & fertilis. Indè vsq; *Abirelcara*, leucę tres: terra fructifera, bona aqua, & in copia. Indè vsq; *Hus*, leucę quatuor: terra fructifera, aqua bona &

in copia. Indè *Quiriacos*, leucæ tres: terra fructifera, & fertilis. Indè *Kayrum*, leucæ tres: bona via. Via inferior: dè *Chatie* vsq; *Aguorabi*, leucæ quatuor: satis de littore, parum de aqua, & salsa. Indè vsq; *Chausyr*, leucæ quinq;: satis de littore, & de aqua, sed pessima. Indè vsq; *Birchisce*, leucæ quatuor: parum de littore, satis de aqua, sed salsa. Indè vsq; *Salchie*, bonam villam, leucæ quatuor: & copia bonæ aquæ. Indè vsq; *Habesse*, leucæ sex: via bona, aquà multa & bona ex flumine. Indè vsq; *Kayrum*, vt suprà. Durat itaq; desertum leucas quasi LXX. terra arabilis vsq; XX. & vltrà à Zaza vsq; Kayrum.

QVINTADECIMA PARS, CONTINET OPPORTVNA REMEDIA PRO TERRÆ SANCTÆ CONSERVATIONE, contra defectus & errores multiplices superiùs enarratos: habens capitula XXV.

CAP. I.

Continet quàm necessaria sint ad eius conseruationem studium militaris disciplinæ, & continuum armorum exercitium.

1. IN præcedentibus varii explicati sunt defectus tam in *vitæ moribus*, quàm *militiæ disciplina*, quibus graues iacturas in Terra Promissionis perpessus est populus Christianus: indeq; erasus quisq; Catholicus. Sed quia *inflicta vexatio intellectum dat auditui*; & præterita mala ad declinandum futura, congruè dant cautelam, ex incommodis, meritò satagamus vtilia carpere, securitatem, de periculis; & de erroribus, legem vitæ & disciplinæ. Et primò quidem, in disciplina militari inuenimus fideles sæpiùs defeciſſe. Interdum enim Crucesignati maximè, Saracenos quiescentes indiscretè prouocauerūt: at illi in multitudine venientes, casalia, & castra, & ciuitates aliquando destruxerunt. Imminente quoque necessitate dissimulare nesciunt aut Legatos pacis mittere, non attendentes CHRISTI monita Luc. XIV. *Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, nonne prius sedens cogitat si possit cum XII. millibus occurrere ei, qui cum XX. millibus venit ad se?* alioquin, *adhuc illo longè agente, legationem mittit rogans ea quæ pacis sunt*: maximè cùm videt hostem pecuniis ditiorem, calliditate sagaciorem, sæuitiâ crudeliorem, armatis seu viribus fortiorem. Voluntas enim DEI est, vt interdum humilietur propter peccata: & tunc est fatuum superbire, & pacta salubria non tractare, exemplum de *Ioachim* & de *Sedechiâ*, ponitur *part. I. cap. VI.* & de secundo Rege Latino, *part. VI. cap. IV.* Pauci etiam contra multos & sæuos pugnare elegerunt, *part. XII. cap. I.* imò captis etiam ciuitatibus, aliquando fugere nesciebant. Vndè captâ Antiochiâ Bendocdar dixisse fertur aliquibus Christianis: *O Christiani vos insipientes estis, & imprudentes nimis: quia nec pugnare, nec pacem tenere, nec suo tempore fugere scitis.* Proindè conquisitâ Terrâ Sanctâ Promissionis, inter cætera ad eius conseruationem securam expediens videtur omninò, vt militaris disciplinæ studium, & exercitium continuum habeatur ibidem: & publicè statuatur, quòd in locis idoneis, *Vegetius* de re militari, similesve doctores legātur in scholis: & quemadmodum Romani faciebant antiquitus, sic militares, & qui bellis vacare debent, exerceantur in armis continuè, vt imminente necessitate, prouidi in periculis inueniantur, & cauti: quia in omni prælio, vt ait *Vegetius*, *non tam multitudo, quàm ars & exercitium solent patrare victoriam.* Sic *Amilius Rufus*, cùm à Dacis plurimis premeretur, paucis præcepit, vt cùm vidissent contractum prælium, subitos ex aduerso se ostenderent sonantibus montium iugis: spe itaq; multitudinis effusâ, hostes terga dedēre. Sub certa etiam pœnâ statuendū, vt cuncti habitatores Terræ Sanctæ, vel etiam regni Ierusalem, semel ad minus in hebdomada, *in baliſtando* vel *sagittando* se exercitent, siue in ciuitatibus, siue in casalibus commorentur. Sic præcepit *Dauid* secundo libro Regum, vt docerent filios Iuda arcum, quia audiuit Regem Saulem, filiumq; Ionathan à sagittariis vulneratos: & magnus Patriarcha Iacob, *agrum*, inquit, *tuli de manu Amorrei in gladio, & arcu meo.* Et *Scipio* Africanus non aliter se vincere putabat, nisi in omnibus aciebus, electos sagittarios miscuisset, qui

Esa. 28, 19.

Gen. 48, 22.

hostem

hostem à remotis percutiendo terrerent. *Si verò nonnullos longis lanceis* exercitari delectat, & conformiter & eodem tempore exercitio illi vacent: quia eorum ministerium frequenter vtile valdè reperitur in bellis. Sic ad defensionem electæ Terræ Promissionis, reddetur habilis populus Christianus; simulque vitabit marcidum otium, sentinam omnium vitiorum. Iudeæ enim Ezech. voce clamatur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis & otium.* Tale armorum exercitium Romanis orbem subiecit, secundùm *Vegetium*: Quid enim potuisset paucitas Romanorum contra multitudinem Gallorum, & Ispanorum, dolos Afrorum, prudentiam Græcorum: Exercitium enim in quolibet negotio, præbet audaciam: estque paucitas exercitata, ad victoriam prompta; multitudo rudis, ad fugam. Nec illicitum quis putet pro iustitia & defensione patriæ vacare militiæ: dicente, Ieronymo ad Bonifacium: *Noli extimare neminem DEO placere posse, qui armis bellicis militat.* In his erat Sanctus Dauid, in his plurimi illius temporis iusti: in his etiam illi quibus cùm beatum Iohannem Baptistam quęsissent quid facerent, respondit, dicens: *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Non vtique eos sub armis militare prohibuit, quibus suum stipendium sufficere debere præcepit. Ezech. 16. Luc. 3. 14.

CAP. II.

Continet quàm vtile sit processuris contra hostem, propria celare consilia.

SIcut enim quidam Poëtarum ait: *Vindictam de inimico, si tu sensérit, perdidisti.* Idcò prudentium exercituum Duces, summo studio inimicis, suum occultabant propositum. Vndè percunctanti quid acturus esset posterà die, *Metellus Pius* respondit, *Tunicam meam si eloqui posset combureret.* Et *Portius Cato*, deuictas à se ciuitates Yspaniæ extimans aliquando rebellaturas murorum fiduciâ, scripsit singulis, minatus bellum ni confestim munimenta deiiciant, epistolasque cunctis eodem die reddi iussit: quâ consilii occultatione, vnaquæque vrbium sibi soli credidit imperatum; & consecutus est ne possent contra mandatum inuicem conspirare. Et *G. Lelius* ad Siphacem profectus Legatos quosdam ex tributis & Centurionibus, per speciem seruitutis, exploratores secum duxit, quorum vnum, quia notus hosti videbatur, occultandæ conditionis eius gratiâ, quasi seruum baculo castigauit: egitque intentum. *Mithridates* etiam, circumuallante eum Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius consilii celandi causâ, latiùs & vsque ad applicitas hosti valles pabulatus, colloquia cum pluribus, pro auertenda suspicione constituit: ignes etiam per tota castra copiosiores fieri iussit: secundâ deindè vigiliâ per ipsa castra hostium, agmen eduxit. *Lucius Furius*, exercitu producto in locum iniquum, occultauit sollicitudinem suam, ne reliqui trepidarent; & paulatim se inflectens, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus, conuerso agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum incolumem duxit. Hiis exemplis planè instruimur, quantum ad nocendum aduersariis sit efficax, quamque ad sui conseruationem, occultum campiductoris propositum. Hac cautelâ maximè vtuntur *Tartari*: de quibus aiunt, quòd nullus intrare aut exire potest absque illorum coniuentia eorum exercitum, ne aduersariis suum consilium denudetur. Non sic egerunt Christiani captâ *Damiatâ*: sed eorum reuelato consilio, vulnerati & capti Damiatam reddere coacti sunt: *part. xi. capit. ix.* Et *Ptolomenses*, quia in ponendo insidias, consilium suum occultare nescierunt, trucidati sunt: *part. xii. cap. viii.* II.

CAP. III.

Continet quàm solliciti debent esse de aduersariorum consiliis perscriptandis.

SAraceni, ad sciendum inimicorũ suorum intentum, solliciti sunt valdè, & Christianorum maximè facta scire conantur, non solùm in propinquis partibus, sed etiam in remotis. *M. Cato* in Yspania hostium consilia aliter indagare non valens, iussit trecentos in stationem hostium impetum facere, & aliquem proferre incolumem, qui tortus cuncta suorum arcana confessus est. Valet enim inimicorum scire consilia, ad vitandum grauamina: quia *iacula quæ præuidentur*, vt Sanctus, ait Gregorius, *minus feriunt: & tolerabiliùs mala suscipimus, si contra hæc per prouidentiæ clipeum munimur.* Propterea *Carthaginenses* ad Alexandrum, Amilcarum virum actem III.

miserunt, qui in eius amicitias, simulato exilio, se transferret: vt sic illius explorato consilio vitarent nociua, & contra ea necessaria præpararent. *Aemilius* quoque Consul aspiciens procul auium multitudinem ex sylua consurrexisse, insidias inibi intellexit: nudatoq; consilio, euasit periculum. Valet etiam ad molestandum aduersarium, maximè quando explorantur infirma. Sic *Scipio Africanus* cum Lelio ad Sifacem legato, sub habitu seruorum misit tribunos, & centuriones electissimos, vt sollicitè Regias vires prospicerent: .... hii cùm liberiùs castrorum positionem scruptarentur, equum de industria dimissum, tanquam fugiẽtem persecuti, munimenta ex magna parte circumdantes, in reditu cuncta denuntiant: & cognito qualiter hostem offendere valeat, commisit bellum. Valet denique ad animorum quietem. Sic dubius *C. Marius* Consul bello Cymbrico de Gallorum Ligurumq; fide, litteras illis transmisit, quarum initium, imperabat ne sequentia, quæ signata erant, antè taxatum diem conspicerent, medioq; tempore repetiit litteras, & quia reseratas reperit, intellexit hostilia agitari, & à motu dubietatis quieuit. Quantum in perscrutandis *Saracenorum* secretis Christiani defecerint, aduertere possumus per gesta superiùs enarrata, semel tantùm legimus Saracenum quendam ostendisse vadum Christianis: *part. xiii. cap. ii.* Inter *Christianos* verò, erant non solùm exploratores; sed etiam proditores: id meritò passi, quia infidelium & schismaticorum indifferenter consortium admittebant.

CAP. IV.

Continet plura cautelosa exempla, ad vitandum pericula multa, quæ exercitui accidere consueuerunt in via.

IV. Licet cuncta, quæ contra hostem aguntur secretissimè tractanda sint: vt supra *cap. ii.* dictum est: inter cætera tamen exercitus occultè deduci debet. Sic *Alexander* Magnus Græciam occupauit, quia priùs sentiebatur adesse, quàm venire putaretur, & eodem modo *Tartari* multa occupauerunt, maximè Portas Ferreas: suprà *part. xiii. cap. v.* Ad euadendum quoq; pericula & insidias, secretò duci debet exercitus, quæ si emerserint Ducis sagàciâ, multipliciter vitari possunt. *Quæstorius* enim in Ispania, instante à tergo hoste, cùm flumen transire haberet, in ripa eius ad modum cauæ Lunæ vallum produxit, & oneratum materiis incendit; atque taliter exclusis hostibus liber transiuit. *Cressius* vadum transire, aut pontem construere nõ valens, fossa post castra deducta alueum fluminis à tergo deduxit. *Herculeus* Legatus Sertorii in Hispania, inter montes cùm longum iter haberet compertus ingentem manum hostium aduentare, fossam inter montes transuersam pressit, vallumq; materiâ extructum incendit; atq; ita intercluso hoste euasit. *Pericles* Athenienſis, abrutis cunctis locis, duos tantùm exitus habebat: alterâ autem parte fossam ingentis altitudinis duxit, quasi hostem vellet excludere; ab altera parte se finxit per hostes erumpere velle: quo, dum relicta fossa vniuersi conuenissent, iniectis fossæ pontibus, agmen eduxit. *Darius* vt falleret Scythas, in suo discessu canes & asinos in castris reliquit: quos cum latrantes rudentesq; hostis audiret, Darium remanere credidit. *Nonnulli* conformiter boues ad arbores ligauerunt, qui frequenti mugitu remanentium speciem præbuerunt. *Anno*, ab hostibus clausus, locum eruptioni maximè aptum, congestis lecubus materiis incendit: hoste verò ad custodiendum cæteros exitus euocato, milites per flammam eduxit, admonitos ora scutis, & crura veste contegere. *Anibal*, instante Fabio, nimisque vrgente periculosè locatum, ad cornua boum fasciculos alligauit, & applicito igne dimisit: turbato ac discurrente pecore, mons flammâ vndiq; illustratur: tunc Romanus, insidias metuens, continuit militem: sic Maurus liber euasit. *Aemilius Paulus* Consul, cùm iuxta littus angusto itinere exercitum duceret, exercitus latera captiuis obtexit, quorum respectu hostes inhibuêre tela. *Alexander* Macedo, prohibente Poro traiici exercitum per fluuium Idaspen, aduersus aquam assiduè suos currere iussit: inde assecutus, vt cum id tantum Poro caueret, per superiorem partem subitò transmisit exercitum. Sic variis cautelis egregii Duces euaserunt discrimina, & saluos exercitus conduxerunt. E contra *Balduinus* primus Rex Ierusalem xxx. millibus Turchis inter Lidam & Ramam se ostendens, se suosque exposuit

posuit summo discrimini: *part. VI. capit. IV. & VIII.* idem fecit iuxta montem Tabor.

CAP. V.

Continet modum ponendi castra.

CAstra, præsertim hoste vicino, tuto semper facienda sunt loco, vbi lignorum & pabuli & aquæ copia suppetat. *Imperator* enim Romanus, cum Regibus Franciæ atq; Ierusalem à proditoribus decepti, pro apto loco aridum commutantes, circa Damascum confusi sunt: *part. VI. cap. XIX.* Et *Guido de Lisignano* conformiter à Saladino captus est: *part. IX. cap. IV.* Et si diutiùs immorandum sit, aëris vel loci salubritas eligitur. Cauendum etiam ne mons sit vicinus, aut altior locus, qui ab aduersariis captus possit officere. Ne etiam campus consueuerit torrentibus abundare: sic Tartaros Damasceni repulerunt: *part. XIII. cap. VIII.* Et, ne maior exercitus arto spatio constipetur; aut minor vltra iustum cogatur extendi. Interdum autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qualitas exigit, constituenda sunt castra. *Quadrangula* tamen oblonga, est defensioni aptior; *circularis* tamen, maioris est capacitatis. Et si nimia necessitas non præuenit, cespites circumciduntur è terra, & ex his quasi murus extruitur, altus tribus pedibus supra terram: ita vt antè sit fossa latitudinis nouem pedum, & octo altitudinis. Sed vbi vis acrior immineat hostis, sit fossa XII. pedum lata, alta nouem, supra quam sudes de lignis fortissimis, quas milites portare soliti sunt, præfigantur: & constrictâ terrâ consurget agger in altitudinem pedum quatuor. Si verò ad hæc hostis impedimentum præstat, vniuersi equites & peditum medietas ordinetur in acie; reliqui, post eos opus exequantur. Sic *Cæsar* bello ciuili copias ducens contra Afranium, cùm recipiendi se absq; periculo facultatem non haberet, primâ & secundâ acie ad terga appositâ, XV. pedum fossam fecisse legitur, intra quam sub Solis occasu se milites receperunt. Summè autem cauendum ne à duplici parte inimicos habeant: quia maius semper immineret periculum, & maioris timoris incussio. Diligentissimè quoq; ordinanda est castrorum custodia: & loca lustranda sunt etiam à remotis, ne forte subitò hostis irrumpat: & arma parata quisq; habeat, iuxta se. *Saraceni* multùm ordinatè figunt tentoria: in medio enim locatur Soldani tentorium & circa eum nobiles & strenui, circiter duo millia: & iste vocatur *circulus Soldani*: deindè alii plures faciunt secundum circulum, & sic conuenienter faciunt vniuersi: scitq; quilibet Saracenus de quo circulo est; & in qua parte circuli debet esse, ac suum locare tentorium. V.

CAP. VI.

Continet informationem & exempla, quoniam ad hostium requisitionem bellum committendum non est.

IN bello enim talis conditio infallibilis est, vt *quod tuo prodest aduersario, tibi noceat*: Nunquam proindè aduersarii arbitrio aliquid agas, ne tibi ipsi contrarius esse incipias: quod in acierum congressu maximè pernitiosum est. Sic *Rogerius* Antiochenus Princeps, excitante Turcho, & inexpectato grandi auxilio congrediens, cum vniuerso penè exercitu Christiano hostili gladio cæsus est: *part. VI. cap. X.* In committendo ergo prælio, temporis opportunitas, non aduersarii voluntas obseruari oportet. *Scipio* enim in Ispania, compertus Asdrubalis exercitum ieiunum manè in acie processisse, suos continuit, iussitq; pausare & capere cibum: cùm verò hostem fame sitiq; affligi, & longâ morâ sub armis fatigari cognouit, subitò educens copias, victor fuit. Sic *Metellus* in Hispania, Herculeo, oriente Sole, feruidissimo anni tempore, suo vallo exercitum applicante, suos continuit; & horâ sextâ, in fessos irruens, victor fuit. *Postumius* Consul in Sicilia, cùm ad eum Penni tribus millibus passuum quotidie aduenirent, exiguâ manu leuibus assiduè prælijs pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente iam Penno, reliquis omnibus intra vallum præparatis, per suos recentes afflictum labore & inedia fugauit hostem. *Iphicrates* Athenicnsis, compertus aduersarios semper eadem horâ cibum capere, suos cibauit maturiùs; & aggressus ieiunum hostem ita detinuit, vt ei neque confligendi neque abeundi facultatem daret: inclinato ve- VI.

tò iam die suos reduxit, & in armis continuit, & super conuescentes & incompositos irruit. *Fulco* Rex Ierusalem, scien's Turchos ad grauandum Antiochenos quicuisse inter Antiochiam & Alapiam, eos præueniens nocte, in papilionibus & castris securos oppressit: *part. vi. cap. xv.* Et *Saladinus* iniquè locatum populum Christianum, & siti aridum aggressus, antequam ad aquas veniret, de Rege & populo Christiano victoriam habuit: *part. ix. cap. iv.*

CAP. VII.

Continet loci aptitudinem ad debellandum.

VII. SIcut in ponendis castris cauendum ne oditior locus aduersario relinquatur, *supra v. capit.* ità & cùm pugna committitur, locus semper altior eligatur. Sic *Cnæus Pompeius* in Cappadocia elegit locum castris editum: vnde, adiuuante procliuio impetum militum, facilè ipso decursu hostem superauit. Aduersus quoque Farnacem, Mithridatis filium, *Cæsar* dimicaturus, in colle instruxit aciem, quæ res expeditam ei victoriam contulit: nam pila ex edito in subeuntes Barbaros emissa, eos protinus auerterunt. *Anibal* pugnaturus contra Marcellum, cauas & præruptas vias obiecit à latere; & loco pro munimento vsus, clarissimum Ducem vicit. *Idem* cùm apud Canas, compertus Vulturnum amnem, ingentes auras mane proflare arenam & puluerem excitantes, sic aciem direxit, vt tota vis puluerisac venti, à tergo suis, Romanis verò in oculos oraq; incideret: quibus incommodis, memorabilem reportauit victoriam. *Cleomenes* Lacedæmonius aduersus Hyspiam Athenienſem, qui equitatu prævalebat, planitiem in qua dimicaturus erat, prostratis arboribus, inuiam equiti fecit. *Theran* Africa ingenti multitudine hostium, licet virtute præstarent, circuiri timentes, à tergo susceptoflumine, incursando in proximos, omnem deniq; strauerunt exercitum. *Xantipius* Lacedæmonius Afros desperantes, qui equitatu & elephantis præstabant, aduertens colles sectari; à Romanis verò quorum robur in peditibus erat, campestria teneri, solâ loci muratione fortunam conuertit, Pennos in plana deducens, & per elephantos dissipans ordines Romanorum. *Epaminundas* dux Thebanorum, in faciem Lacedæmoniorum, iubens equites discurrere, puluerem suscitauit; & circumdato pedite, inopinantium terga adortus cæcidit. Propter hæc videat Princeps militiæ, vt loca apta eligat, & in periculosa hostem propellat, diligentè de locis habere notitiam. Et cùm non sit in minori periculo in exercitu, quàm in naui seu mari, studeat exemplo nautarum *mappam* habere scriptam aut depictam, vbi anfractus viarum, & pericula quantum possibile est, explicita sint. *Pedotas* quoq; securos habeat, à quibus propter infidelitatem deceptum in India legimus *Alexandrum*, & *Imperatorem* Romanum, suprà *part. vi. cap. xix.* & *Fulconem* Regem Ierusalem: *part. vi. cap. xvi.* Et *Balduinus* eius successor difficultate perisset loci, nisi liberatus fuisset diuino miraculo: *part. vi. cap. xix.* *Guido* etiam de Lisignano, prauo consilio Tripolitani Comitis inepto loco positus, à Saladino vincitur: *part. ix. cap. iv.*

CAP. VIII.

Continet cautelas circa acies producendas.

VIII. EX præcedenti Capitulo satis aduertere possumus, quia melius est non committere bellum, quàm sine debita prouisione exponere se fortunæ. Cùm autem instruenda est acies, super omnia debitus ordo seruetur, quia vbi sine ordine multitudo, ibi confusio: ordo etiam acierum exterret aduersarium. *Terribilis*, inquit Scriptura, *vt castrorum acies ordinata.* Sic ordinati *Tartari:* (*suprà part. xiii. cap. iv.*) per Decanos, Centuriones, &c. Indorum acceperunt dominium. Singulis quoq; aciebus propria sunt designanda *vexilla*, vt oberrans interdum miles ad propriam aciem de facili redeat. Eadem ratione vtile est, vt Decani & Centuriones, *signo* aliquo in galea vel alibi, cognoscantur. Habeant autem equites Christiani balistarios & sagittarios multos secum immixtos, qui Saracenos ab insultibus arceant, & qui ad feriendum equos ipsorū leuiter falcatos, multùm attendant: Saraceni enim boni pedites non sunt: Caueāt ne sagittas frustra proiiciant. Si autē pedites multi fuerint, ita vt cūcti

Cant. 6, 3.

equiti-

equitibus ſociari non valeant, tunc pedites in giro homines cum longis lanceis habeant: & iſti ſint inter ſe arti & ſtricti, ità vt eorum nullus caſtra intrare valeat: ſint quoque iuxta lancearios, qui cum ſcutis eos defendant à Saracenorum iaculis, eosque operiant: Iſti enim debent eſſe ſicut murus: interiùs verò habere debent aliquam latitudinem ne comprimantur ad inuicem, & vbi ſagittarii liberè valeant operari: Hi enim maximè arcebunt Saracenorum inſultus. Portent verò ſecum lanceas, gladios, ſagittas, & varia tela in copia: ſummè autem caueant, ne acies ab inuicem ſeparentur, quia facilè ab hoſtibus vel inſidiis ſuperantur: *vt part. xii. cap. viii.* Diſcant quoque exemplo Saracenorum, ſi aliquo euentu ſeparati fuerint ab inuicem, ſe reunire; & acies inſtruere ad aliquod datum ſignum. Sic & vitabunt periculum, & magis erunt formidabiles Saracenis. Et ſi ad ſolam defenſionem attendunt, ſit acies *circularis* & denſa, ne frangatur; & in fronte meliùs armati ponantur, vt ictus ſuſtineant. Si inuadere volunt, ſit acies *pyramidalis*, quæ de facili frangibilis non eſt. Quod ſi hoſtium affuerit paucitas, vtilis erit ad eos intercludendum, acies antè aperta, retrò verò clauſa quaſi *forfex*. *Quadrata* autem acies, cunctis inutilior eſt. Et attendat campiductor temporis conditiones & loci, ſecundùm duo proxima capitula: qui in equitibus aut in peditibus ampliùs abundent, ſui an aduerſarii. Equites enim, meliùs ſe defendunt in campis; & in collibus aut ſylueſtribus locis, pedites: Vbi aduerſariorum animoſiores, vbi magis remiſſi; vbi fortiores, & vbi debiliores poſiti ſint. *G. Scipio* in Africa aduerſus Annonem, cùm animaduertiſſet in dextro cornu Iſpanos, robuſtos quidem, ſed qui alienum negotium agerent; Afros in ſiniſtro, inferiores viribus, ſed conſtantioris animi: cornu validiſſimis inſtructum militibus, reducto alio, obliquâ acie in Afros tranſmiſit: illisque fuſis fugatisque, Iſpanos in deditionem facilè compulit. *Philippus* Rex Macedonum, vt frontem animaduertit hoſtium, electis ſtipatam militibus, infirma iuſſit inuadi latera: & aciem exturbauit. *Parmenes* Thebanus, contra fortiſſimam Perſarum aciem, viliſſimos inſtruxit, monens, vt ad primum impetum ſibi fugâ conſulerent; & in ſylueſtria ac confragoſa loca ſe reciperent; ipſe verò cum electis ad minores ſe contulit: ſic, fruſtrato Perſarum robore, aciem circuiuit hoſtium & auertit. *Scipio* Africanus in Iſpania aduerſus Aſdrubalem, continuatis dietis ita ordinatum produxit exercitum, vt mediâ acie fortiſſimi locarentur: ſed cùm hoſtes eodem modo aſſiduè procederent, Scipio inſtructionis ordinem commutauit: & firmiſſimos in cornibus collocauit; at leuem armaturam in media acie, ſed retortam: ita cornibus, quibus ipſe prævalebat, infirmas hoſtium partes *Lunatâ* acie facilè fudit. *Metellus* ſimiliter in Iſpania, compertus Herculeum cohortes fortiſsimas in acie media locaſſe, mediam ſuam reduxit: ne antè eâ parte cum hoſte confligeret, quàm cornibus confligatis medios vndiq; circumueniſſet. *Caſtronius* Lacedæmonius, cùm in auxilium veniſſet Ægyptiis contra Perſas, ſciens Græcos magis timeri à Perſis, commutatis armis, Græcos in prima poſuit acie, ſubmittens deindè Ægyptiorum manum: Perſæ, cùm Græci quos Ægyptios putabant, reſtitiſſent, ſuperueniente Ægyptiorum multitudine, quaſi Græcos expauentes ceſſerunt. *Silla*, quadrigarum offenſam miſſarum ad ſuam aciem exturbandam, palorum infixione turbauit: & *Cæſar*, Gallorum falcatas quadrigas ſimiliter inibuit. [*Aſtiages* rex Medorum, ſuis pugnantibus cõtra Perſas a tergo partem exercitus poſuit, eisq; annunciat, ni vincant, non minus poſt terga fortes quàm à frontibus inuenire. Sic repulit hoſtem.]

CAP. IX.

Continet exempla, & cautelas quaſdam ad hoſtium acies exturbandas.

IX. PApirius curſor Conſulis filius, aduerſus obſtinatos Sannites pugnans, iuſſit nonnullos mulis inſidentes, camos per terram trahendo diſcurrere cum magno tumultu: quibus inſpectis, clamauit, victorẽ adeſſe collegam, vt occuparent præſentis prælii gloriã: quo facto Romani cõceptâ fiduciâ, pauefactos hoſtes terga vertere cõpulerunt. *Fabius* Conſul haſtatos ordinibus ſubduxit, & collẽ vndè in hoſtiũ terga decurri poterat occupare iuſſit, & Sanites ceſſit. *Amitius* Rufus cùm à Dacis plurimis premeretur, paucis præcepit vt cùm vidiſſent cõtractũ prælium, ſubitos ex aduerſo ſe oſtenderent, ſonantibus montium iugis: ſpe itaq; multitudinis effuſâ,

hostes terga dedêre. Simile egit *Sulpitius*, contra Gallos. *Iugurtha* Numida, aduersus G. Marium pugnans, in primam Romanorum aciem procurrens, clamauit, se Marium occidisse; multosq; Romanorum auertit. Et *Valerius Leuinus* conformiter hostem repulit, mentitus se Pyrrhum occidisse, tenensq; cruentum gladium. *Mironides* Athenienſis, dubio prælio aduersus Thebanos, repentè in dextro suorum cornu prosiliens, clamauit se iam sinistro vicisse: & iniectâ suis alacritate, hostiq; mæstitiâ, victor fuit. *Cressus*, prævalido hostium equitatui camelorũ gregem opposuit, quorum nouitate & horrore consternati equi, non solùm insidentes præcipitauerunt, sed etiam peditum ordines turbauerunt. *Pyrrhus* etiam Epyrotarum Rex contra Romanos, & *Penni* conformiter, elephantis sæpiùs vsi sunt. *Hispani* contra Amilcarem, ad vehicula, teda, sepo & sulphure composita iũctis bobus, ad signum pugnæ datum incenderunt vehicula, & acti in hostem buculi, consternatam aciem proruperunt. *Tarquinenses*, cum pluribus suorum in habitu sacerdotum faces & angues furiali habitu præferentibus, turbauerunt acies Romanorum.

CAP. X.

Continet exempla quædam, & cautelas restituendi suam aciem, cùm declinat.

ACiem declinantem posse reducere, de faucibus mortis est suos eruere: & in eo casu vis ingenii summè exercenda est. Ex acie fugere, mortis impellit timor: quin etiam ad leues sagittarum iactus fugientes aliquando Saraceni, Christianos compulerunt ad fugam: *part. xi. cap. xv.* Sed à vero fideli timorem expellit iusta causa bellandi, & præmium post laborem. Quid enim iustius quàm ignominiam CHRISTI repellere, & populi Christiani? Probrosum est nimis populis Christianis, vt ibi lex Euangelii sileat, sola lex personet seductoris spurcissimi, vbi CHRISTVS Dominus de Virgine est conceptus & natus, vbi passus, & Sepulchro traditus, & operatus salutem in medio terræ: ita vt dicere possimus illud 1. Machab. 1. *Facta est Ierusalem extera nomini suo, & nati eius reliquerunt eam: secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius.* Surgat vtinam Iudas aliquis Machabeus, & adiuuẽt eum omnes fratres eius, & prælientur prælium Domini cum lætitia. Induat se nouus Iudas vt gigas; similis fiat leoni, qui nullius pauet aduentum. In Terra Sancta pro Iustitia & DEI lege pugnantes, laudat Apost. ad Hebræos xi. *Gedeon*, inquit, *Barach, Samson, Iepte, Dauid, & Samuel, per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Quid quoq; vtilius atq; securius tali morte, vbi obtentâ omniũ peccatorum veniâ, sic moriendo non pereunt corpora nostra, sed mutantur in melius? *Nihil timeas*, Apocal. ii. *eorum quæ passurus es; esto fidelis vsq; ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.* Vndè & cùm *Bendocdar* Saphet obtinuit, *part. xii. cap. xviii.* licet fidem dederit fidelibus, vt si per deditionem castrum reciperet, saluos cunctos Ptolomaydam vsq; conduci faceret: recepto castro ad spurcissimam legem suscipiendam Christianos primò inuitat precibus, mortem deinde in crastino comminatur: Sed duorum Minorum Fratrum, totâ nocte sacris confortati monitis, coronam martyrii elegerunt: fluxitq; per montis declivium nõ modicus sanguis, sed riuus cruoris: enim pauciores quingentis martyrio tunc coronati dicuntur. Post hos autem prædictos Fratres quorum vnus vocabatur frater *Iacobus de Podio*, alter frater *Ieremias de Ianua*, & cum eis Priorem Templariorũ, primò excoriari fecit, deindè crudelissimè fustigari, postremò ad locum deduci, vbi cæteri martyrizati fuerant, vbi capitis obtruncatione suum martyrium compleuerunt. Rex tamẽ crudelis & impius maceriâ corpora sacra conclusit, vbi nocturnis horis, cernentibus Saracenis, frequẽter magnus splendor emicuit. Non igitur timendũ Christianis in bello: si tamen ex humana imbecillitate decliner, Princeps militiæ proborũ Ducum sequatur exempla. *Seruius Tullius* adolescens, prælio quo Rex Tarquinus aduersus Sabinos cõflixit, signiferis segnius dimicantibus, raptũ signum in hostẽ misit: cuius recipiendi gratiâ, Romani ita ardenter pugnauerunt, quod & signũ & victoriam retulerunt. *Scipio*, cùm exercitum suum videret auersum, pronuntiauit hostem sibi futurum quicunque intraret in castra. In simili casu *Q. Furius* nullum ait se recepturum in castra nisi victorem: sic reductis suis in aciem, victoriâ potitus est. *Fuluius Priscus* cunctantem signiferum eius iussu aggredi hostem, occidi imperauit: quo facto perterriti cæteri

hostem

hostem inuaserunt. *Cosus Cornelius* magister equitum, idem fecit. *Q. Attilius* Consul, refugientibus in castra militibus, aciem suam opposuit, & vniuersos contra hostes in aciem reduxit. *L. Silla*, cedentibus legionibus exercitui Mitridatico, stricto gladio in primam aciem procurrit, appellansq; milites, dixit: *si quis quæsisset vbi Imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Boetia*: cuius rei pudore, vniuersi secuti sunt eum. *Philippus* veritus ne impetum *Scytharum* sui non sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, iussitq; vt neminem commilitonum ex acie fugere paterentur, & abeuntes perseuerantiùs trucidarent: volentesque proindè ab hostibus potiùs quàm à suis cædi, victoriam adepti sunt. Simile de Astiage suprà cap. VIII. dictum est.

CAP. XI.

Continet exempla quædam, atq; cautelas ponendi insidias.

QVantum insidiæ valeant iustè bellantibus, quamq; illis conueniant, DEI mandato ad *Iosue* directo cognoscitur: Debellaturo enim ciuitatem Hay iussit DEVS: *pone insidias vrbi post eam.* Et cùm fugam simulasset cum suis Iosue, & insequerentur eum oppidani, ita vt nec vnus remaneret, surrexerunt, qui latebant de insidiis, & ciuitatem incendio consumpserunt. *Scipio* Africanus cùm bina castra haberet aduersa, Sifacis & Carthaginensium, prima, vbi multa incendii erat materia, succendit, & concurrentes socios ad auxilium, vt putabant casualis ignis, per insidias trucidauit. *Pompeius* in Yspania, priùs dispositis, qui ex occulto egrederentur, simulato metu instantem hostem in loca infesta deduxit: vbi verò res poscebat, conuersus & in faciem & in latera, vsque ad internecionem cæcidit. *Tamaris* Regina auditâ morte filij, vltionis quærens solatia, hostem circumuenit insidiarum fraude: simulatâ quippe diffidentiâ refugiens, Cyrum vsque ad angustias perduxit: & cum eo vsque ad XX. millia Persarum trucidauit, Regis caput in vtrem sanguine plenum cum hac crudelitatis exprobratione proiiciens: *Satia te sanguine quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti.* *Pompeius* contra Mithridatem triâ millia militum in sylua iacente inter bina castra locauit; & leui armaturâ simulante metum, vltra locum insidiarum traxit hostem, & ab vtraque parte cæcidit, fugientibus conuersis in faciem. *Melantus* dux Athenienſium, ad singulare prouocatus certamen, cùm applicaret, ab aduersario audit: *Iniquè contra solum cum socio venis:* & conuersus, vt videret quis se comitaretur, vno ictu ab hoste confectus est. *Hipocrates* Athenienſis, firmissimam manum militum eduxit è nauibus, in insidiis collocans; deindè naues omnes quasi milite onustas palàm transnauigare iussit: ita securos, & nihil dubitantes Lacedæmonios à tergo aggressus, in itinere oppressit. *Anibal* apud Canas, sexcentos equites Numidas transfugere iussit, qui ad faciendam fidem, gladios & scuta Romanis dederunt, & in vltimum agmen recepti, vt primò concurri cœpit, strictis minoribus quos occultauerant gladiis, scutis iacentium assumptis, Romanorum aciem cæciderunt. *Idem*, cùm explorasset castra Fuluii Romani ducis negligenter munita, ipsum posteà nosset multa temerè audere, primâ luce cùm densiores tenebræ præstarent obscuritatem, paucos equites Romanarum munitionum vigilibus ostendit; quo Fuluius repentè mouit exercitum: nunc Anibal, per aduersam partem castra eius occupauit; & in terga Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidauit. *Viriatus* ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum, & prælatum eos perduxit; & cùm ipse per solitos ac notos sibi transitus euaderet, Romanos limoso immersos loco cæcidit.

C. enim *Fuluius* cùm in finibus Romanorum, exercitus Faliscorum suo longè maior, castra posuisset, per suos milites quædam procul à castris ædificia succendit, vt Falisci suos id fecisse putantes, se prædæ diffunderent. *Anibal* à Carthaginensibus missus contra Afros, sciens viros vini auidos, prælio leui commisso, cessit: nocte deinde intempestâ, relictis intra castra quibusdam sarcinis & vini copiâ mixti Mandragoræ, cuius inter venenum & saporem media vis est, fugam simulauit: cumque Barbari in gaudium effusi, occupatis castris se medicato oneraſſent mero, dum velut mortui iacerent, reuersus aut eos cepit aut occidit. *Saraceni*, dum Christiani obsiderent Acon, & fame affligerentur, satis dolosè simulatâ fugâ,

prouocauerunt ad victualia & cætera rapienda, & grauatos oneribus redeuntes grauiter cesserunt, *part. x. cap. iii.* *Idem*, aduertens lignorum inopiam regione desertâ, intra vallum reliquit plurimos armentorum greges: at cùm Romani semicrudâ se onerassent carne, ille reducto nocte exercitu, eos multò fortiùs vexauit. *Hij*, qui aduersus Eritreos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco edito deprehensum cæciderunt: & eius veste suus amictus, Eritreos ex eodem iugo, signo dato, ad insidias euocauit.

CAP. XII.

Continet exempla & cautelas, ne hosti fuga penitus negetur.

XII. GRæci vt Xerxis Regis Persarum reditum impedirent, interrumpendi pontis consilium ineunt: sed *Themistocles*, metuens ne inclusi hostes desperationem conuerterent in virtutem, seruum transmisit ad Xersem, vt maturatâ fugâ præoccupet pontem. *Cæsar*, Germanos inclusos, ex desperatione fortiùs pugnantes, emitti iussit, fugientesque aggressus est. *T. Martius*, occisis Scipionibus delato ei exercitu, cùm Poni, ne inulti morerentur, acriùs pugnarent, laxatis manipulis, ex concesso fugæ spatio dissipatos, sine suorum periculo trucidauit. *Manlius* Consul, cùm ex acie reuersus capta ab extrusis Romana castra reperisset, omnibus portis statione circumdatis, inclusos hostes, in eam rabiem efferauit, vt ipse in prælio caderet: quod animaduertentes Legati eius, ab vna parte remotâ statione, exitum extrusis dederunt: & effusos persecuti occurrente altero consule. Sic etiam filii Israël, ingrauato bello contra filios Beniamin, *Iudic. xx.* dederunt eis ad fugiendum locum, vt in præparatas insidias deuenirent. *Pyrus* Epyrotarum Rex, cùm quandam ciuitatem cepisset, cerneretque ex vltima necessitate oppidanos fortiter pugnare clausis portis, locum ad fugam aperuit. *Idem*, inter cætera præcepta Imperatoria memoriæ tradidit, fugienti hosti pertinaciter non instandum: non solùm ne fortiùs ex necessitate resistant, sed vt faciliùs cedant, quoque postea facilius est, non vsq; ad perniciem instaturos victores.

CAP. XIII.

Continet cautelas varias, & exempla dissimulandi aduersa.

XIII. QVanto quis in opinione hostium pluris extimatur, tantùm illi de audacia demit: necessitates proindè cunctæ, aduersario tegendæ sunt. *Tullius Hostilius* rex Romanorum, contra Vegentes commisso prælio, cùm Albani desertis Romanis proximos peterent tumulos, clarè pronunciauit, id suo iussu peractum, vt hostes circumueniret, quæ res Romanorum turbatos sedauit animos, & hostium corda strauit. *Silla*, circumuentis auxiliatoribus ab eo missis, ne vniuersus trepidaret exercitus, suo id factum ait consilio, quia ad defectionem conspirassent: & tam manifestam cladem velauit, & militum animos confortauit. *Annibalem* in Italia tria millia carpentariorum, properantem reliquerunt: at ille, ne cæteri mouerentur, edixit à se esse dimissos: in cuius rei fidem, paucos qui remanserant remisit. *Lucullus*, cùm animaduertisset Macedones equites quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, & turmas quæ eos sequerentur immisit: hostis committi prælium ratus, transfugientes telis excepit, & necessitate ad Romanos conuersi, hostem inuaserunt. *T. Quintius Capitolinus* Consul, cedentibus Romanis, mentitus est in altero cornu hostes fugatos, & confirmatis suis victoriam retulit. Sic *G. Manlius* aduersus extrusos vulnerato collegâ Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, cedentibus cum turmis militum occurrit, clamitans collegam viuere, & se dextro cornu vicisse: quâ constantiâ, reintegratis suorum animis, victor fuit.

CAP. XIV.

Continet nonnulla post prælium obseruanda, si prosperè actum est: fugientiumq; cautelas.

XIV. VIctis prælio Theotonis *G. Marius*, reliquias eorũ, quia nox circũuenerat, circũsedens, per paucos suos territauit, & insomnẽ hostẽ detinuit: ex eo assequutus,

vt

vt irrequietum posterâ die faciliùs debellaret. E contra *Balduinus* Rex Ierusalem quartus, fugato Norandino Barones nonnullos dimisit, & redeunte Turcho, de Christianorum strage vix fugâ liberatus est *part. vi. cap. xx.* Simile ab eodem & simili ex causa passi sunt apud castrum de Harench, *(in eodem capitulo)* Barones quidam de Francia venientes. *Cl. Nero*, victis Pennis, Asdrubalis caput in castra Anibalis iecit; vt luctu fratris ipse, & exercitus aduentantis auxilii desperatione, affligeretur: Et conformiter *Iocellinus*, caput Balac Christianis transmisit obsidentibus Tyrum quo facto Turchos satis afflixit: *part. vi. cap. viii.* *L. Silla*, hiis qui Penestræ obsidebantur, occisorum in prælio ducum capita hastis præfixa ostendit; atque sic ostinatorum peruicaciam fregit. *Ermocartes* Syracusanus, superatis acie Carthaginensibus, veritus vt captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, minus diligenter custodirentur: quia victores, elatio atque insolentia in epulas & securitatem facilè compellere poterat, finxit proximâ nocte equitatum hostilem venturum: quâ expectatione consecutus est vt vigiliæ attentius gererentur. Victores quoque non statim currant ad prædam: Sic *Theotoni* post victoriam ad prædam effusi a Karolo Rege Syciliæ in dispersos irruente, facilè superati sunt. Non taliter egit *Iudas Machabeus*, Gorgiæ parte exercitus superatâ *1. Machab. iv.* Sed ait ad populum: *non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est; & Gorgias, & exercitus eius propè nos in monte*: & apparuit pars quædam cum Gorgia prospiciens de monte, & visis quæ gesta erant, & Iuda in campo parato ad prælium, fugit timore concepto: Tunc demum Iudas ad spolia castrorum reuersus est. Hæc autem cautela, cum Saracenis dimicaturis maximè necessaria est: quia fugere sciunt, & cedere; se iterum recolligere, ac redire: Sunt enim à remotis, & quid Christiani agant respiciunt; & si dispersos viderint & ad spolia occupatos, reuertuntur & vincunt: sicut supra *part.... cap.....* & *part. xii. cap. 2.* Vndè & *Galli* laudantur quia pugnaturi cum Atallo, aurum omne & argentum custodibus certis tradiderunt: vt si acies contingeret terga dare hostes thesauris intenti fugientibus parcerent. *Tryphon* quoque Syriæ Rex per totum iter, fugiens, pecuniam sparsit: effugitque Antiochi milites ad eius collectionem immoratos. *Q. Sertorius*, pulsus acie à Quinto Metello Pio, ne fugam quidem tutam arbitratus, milites dispersos abire iussit, admonitos in quem locum conuenire vellet. Nil simile egerunt *Christiani*, quando iuxta castrum vocatum Sarmosac cum Rege Lvdovico capti sunt: *part. xii. cap. iii.* Nec etiam alias similes legimus egisse cautelas.

Cap. XV.

Continet circa obsidionem exempla varia, & cautelas.

SVmmè nociuum obsessis est, aquæ defectus: & ideò sagaciter meatus eius quærendus. Sic *Olofernes* Bethuliam obsidens, aquæ ductum incidi præcepit, quem circuiens reperit, diligenti custodiâ adhibitâ fontibus: vndè sacerdos post quintâ diem statuit reddere ciuitatem. Similiter & itinera obsidenda, vndè victualia comportantur, & ante quàm segetes colliguntur. Sic *Fabius Maximus* vastatis Campanorum agris, vt & semina perderent, cessit; deindè renata strauit. Pluribus quoque cautelis inuenimus obsessorum grana sublata. *Dionysius* enim multis vrbibus captis, cùm Reginos adgredi vellet qui copiis abundabant, simulans pacem, petiit comeatus exercitui ministrari: & exhausto oppidanorum frumento, aggressus est vrbem. *Alexander*, oppugnaturus Leycadiam comeatibus abundantem, priùs castella quæ in confinio erant cepit, & ad vrbem confugere passus est; vt alimenta celeriùs consumerentur. *Fallaris* Agrigentinus, cum quibusdam fœdus simulauit, peritque frumenta apud illos locare, vt proprium incautiùs consumerent; suoque reperito, illos superauit inediâ. Sunt & alii modi decipiendi obsessos. *Anibal* in Italia plures vrbes cepit cum habitu Romanorum, & lingua, quam longo belli vsu didicerant. Sic & *Turchi* Christianorum oppida, simulatâ victoriâ: *part. iv. cap. xiv.* *Dux Athenienſium*, templum Dianæ extra muros incendit; effusisque oppidanis ad opem, vacuam defensoribus cepit vrbem. *Alcibiades* dux Atheniensis, ciuitatem Agrigentinorum, egregiè munitam obsidens, consilium ciuitatis petiit, vt de rebus ad commune pertinentibus

dissereret: dumque in consilii specie multitudinem teneret, Athenienses quos ad id præparauerat, incustoditam vrbem acceperunt. *Antiochus* in Cappadocia, portantes ad obsessum castrum in iumentis frumenta cepit; submisitque milites sub eorum officio & vestitu. Quasi similiter subintrauerunt castrum *Arimeni*, occultatis armis: *part.... cap....* Et *Saraceni*, iuxta Ptolomaydam, Christianos plures similiter deceperunt: *part. XII. cap. VIII.* *P. Cornelius Scipio* intelligens difficultatem ad expugnandum Deliuinum, quia omnium concursu defenderetur, cætera oppida aggredi cœpit, & euocatis ad propria defendenda singulis, euacuatum auxiliarii Deliuinum cepit. *Cornelius Rufinus* consul, Crotonam oppidum cùm obtinere non posset, finxit discessum, & post emissos auxiliarios, inualidos cepit. *Mango* dux Carthaginensium, victo Gn. Pisone, & in quadam turre circumsepto, suspicatus ventura ei auxilia, profugam misit qui persuaderet appropinquantibus captum iam Pisonem: illisque deterritis, reliqua victoriæ consumauit. *Theleopidas* Thebanus, duo oppida simul oppugnaturus, præcepit vt ab aliis castris, quatuor equites coronati cum notabili alacritate venirent: ad cuius simulationem, curauit vt sylua quæ in medio erat incenderetur, præbitura speciem vrbis ardentis: eorumque habitu quosdam captiuorum iussit perduci. *Fabius Maximus*, apud Arpos occupatos præsidio Anibalis, sexcentos milites, obscurâ nocte misit, qui minus frequentatam oppidi partem scalis ad murum ascenderent: & descendentium aquarum strepitu adiuti sunt: & dato tunc signo, à parte alia cepit Arpos. *Cato*, magis imbelles cuiusdam ciuitatis mœnia aggredi iussit: at dum obsessi victores, fugientes hostes aui diùs persequuntur, cum legionibus reseruatis, oppidum bellatoribus vacuum cepit. Sic *Scipio* in Sardinia, fugam simulans, insequentibus oppidanis, per eos quos proximè locauerat, oppidum inuasit. Et *Anibal* Gemeram simili cepit commento. Et filii Israël, (*Iudic. xx.*) fugam artè simulantes, inierunt consilium vt abstraherent de ciuitate filios Beniamin; Sic ceperunt Gabaa; & percusserunt ex eis xxv. millia hominum bellatorum. Non taliter egit *Almericus* Rex v. Ierusalem circa Damiatam cum exercitu Imperatoris Constantinopolitani: sed post longam moram, egestate & frigore compulsus recessit: *part. VI. cap. XXII.* Et Rex *Hugo* ad demoliendum Caco iens cum Domino Odoardo, pro inuenta præda obsidionem miserabiliter omiserunt: *part. XII. cap. XI.*

CAP. XVI.

Continet bellantium monita salubria, & regulas directiuas.

XVI. NOn solùm *exemplis*, sed etiam infallibilibus *regulis* bellorum Duces informare vtile est. In præliis & expeditionibus conditio talis est: vt quod tibi prosit, aduersario noceat; & quod tibi officit, illum iuuet. Nunquam dissimulandum aut agendum aliquid ad hostis arbitrium; sed quod nostro iudicio videtur vtilius, & magis eligendum. Contra te incipis esse si imiteris quod aduersarius in quantum huius pro se facit. In bello qui plus in angariis vigilauerit, plus exercendo militem laborauerit, minus periculum sustinebit. Nunquam militi, nisi probato, arduum aliquid committendum. Inediâ autem emergentibus, vt terrore & insidiis, vtiliùs hostem domare quàm prælio, vbi frequenter fortuna præstat virtuti. Nulla sunt consilia magis efficacia ad perficiendum intentum, quàm ea quæ impedimentũ parrare valens, ignorat. Plus iusta, causa quã bellandi peritia proficere consueuit in bellis. In sollicitandis & suspiciendis hostibus, si cum fide veniant, magna fiducia est: quia transfugæ, ampliùs frangunt aduersarium quàm perempti. Melius est post aciem plura seruare præsidia, quàm latius milites spargere antè eam. Difficile vincitur, qui de suis & aduersarii copiis potest sumere vltionem. Paucitas exercitata, parata ad victoriam; multitudo rudis, ad fugam communiter reperitur. Sæpè locus vel tempus præstat peritiæ belli. Paucos viros fortes natura procreat, multos effecit disciplina. Nunquam acies producenda nisi affuerit spes triumphi. Ordinato incessu nihil fructuosius: quod minimè obseruatur, nisi celeriter ambulare & æqualiter addiscatur. Periculum semper ab hostibus sustinet inordinatus exercitus, & diuisus. Magna est adhibenda cautela ne cùm incumbit necessitas, quid eueniat imperitis. Non armorum ornatu, sed aptitudine & terrore subiicitur hostis.

ſtis. In cæteris rebus emenda poteſt fieri poſt delictum: inemendabilis verò culpa bellorũ, cui pœna protinus eſt adiuncta. Senatui populoq; Romano orbem ſubiecit armorum exercitium, militiæ vſus, & diſciplina caſtrorum. Diſciplina militaris auget audaciam dimicandi; & minus mortem timet in prælio, qui vitam minus habuit delicatam. Ordinatâ munitione caſtrorum nihil ſalubrius, vbi dies noctesq; tam ſecuri peragunt, ac ſi ſecum ciuitatem propriam comportaſſent: ſitque vt ſi neceſſitatis articulo periculis cedant, refugium habeant, ne gladio, animalium more, cadant. Abſque ferro vincitur, qui frumentum non præparat, & alia opportuna. Quid fieri debeat, tractato cum multis: quia Principum oculi, ſapientes: quod verò facturus, cum pauciſſimis, vel potius ipſe tecum. Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt. In milite requirantur operis aptitudo, velocitas, robur, & armorum diſciplina. Fabros, carpentarios, macellarios & venatores congruit militiæ ſociare. Legionis ius eſt, facilè nec fugere, neque ſequi. Militem honeſtas reddit idoneum, & victorem verecundia fugæ. Clauſis, creſcit ex deſperatione audacia. Nulla, vbi pro ſalute certatur, eſt negligenti venia impendenda. Illic numerus requirendus non eſt, vbi animus ſemel territus, non tam hoſtis telum queriit declinare, quàm vultum. Hæc de rei militaris diſciplina commemoraſſe ſufficiat. Cæterùm quæ deſunt in regulis & exemplis, ſuppleantur in ſcholis.

CAP. XVII.

Continet quomodo conquiſitâ Terrâ Promiſſionis, Rex vnus inſtituendus ſit.

POſt conquiſitam Promiſſionis Terram, conſtituendum fore Regem, qui cunctis impetet, prudenter & iuſtè gubernet ſubiectos, hoſtes propulſet & terreat, ſacra monet Scriptura, Deuter. XVII. *Cùm ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, & poſſederis eam, habitaueriſq; in illa, Regem conſtitues quem Dominus DEVS tuus elegerit.* Regem dixit ſingulariter, & non plures: ſicut & vnum Capitaneum eligendum ſuprà diximus, vt pax & vnitas ampliùs foueatur: *ſuprà lib. II. part. I. cap. I.* Summè enim cauendum diſſidium, quod facillimè poteſt contingere in Fidelibus peractâ victoriâ, propter diuerſitatem linguarum, regionum, complexionum & morum. *Soldanus* Babyloniæ aliquando ſe comparauit Serpenti habenti plures caudas & caput vnum, quod caudas omnes ad libitum poſt ſe trahit: Chriſtianos verò comparauit ſerpenti habenti caudam vnam & plura capita, & non poteſt ſequi cauda capitum contrarios appetitus, CHRISTI teſtimonio: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Eligi quoque debet vnus, non contingenter, aut quiuis indifferenter; ſed quem Dominus DEVS tuus elegerit: qui praua oderit, virtutibus floreat, vtilia eligat, ſcelera deteſtetur: ſitque alter *Dauid*, quem omnes concorditer & vnanimiter vnxerunt in Gyon: *II. Reg. V.* Qui tulit frenum tributi de manu Philiſtiim; & percuſſit Moab, & factus eſt ei Moab ſeruiens ſub tributo: fecit quoque ſibi famam cùm reuerteretur, captâ Syriâ, in valle Salinarum: & poſuit in Idumea cuſtodes; & facta eſt vniuerſa Idumea ſeruiens Dauid. Sit alter *Salomon*, cũius vultum deſiderabat vniuerſa terra; qui & famam vincebat virtutibus: ipſe enim obtinebat (*III. Reg. IV.*) omnem regionem trans flumen, & cunctos Reges illatum regionum; & habebat partem ex omni parte in circuitu: habitabatq; Iuda & Iſrael abſq; timore, vnuſquiſque ſub vite & ficu ſua: Sic etiam *Ezechias*, qui muniuit ciuitatem, induxit aquam, fodit ferro rupem, & ædificauit pureum: *II. Paralip. XXX.* & Eccleſ. XLVIII. Denique ſit *Ioſias*, qui directus eſt diuinitus in pœnitentiam gentis, & tulit omnes abominationes, & in diebus ipſorum corroborauit pietatem: *II. Paralip. XXXV. & Eccleſ.* XLIX. Talis eſſe debet Rex Ieruſalem, vt populus Chriſtianus inibi merito & numero augeatur. Nam, vt pulchrè ait Anicladius,

XVII. Matt. 6, 24.

— componitur Orbis
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Taliter electus eſt dilectus & electus à DEO Gotifredus: *part. VI. capit. I.*

Ipsius quoque successores, Soldanus Ægypti & Damasci tributarios habuerunt: *part. 1. eadem, cap. xxi.*

CAP. XVIII.

Continet quòd à superfluis, & quibuscunq; vanis Rex debeat abstinere.

XVIII. SIcut in militari disciplina vtilia quædam sub certis capitulis comprehensa sunt, sic conuenienter circa *vitæ mores* componendos, nonnulla subinferamus. Nam hiis duobus defecisse fideles, si attentè præmissa legerimus, sæpiùs aduertemus. Et quia breuitati insistimus, in persona Regis populus informetur: quia *qualis rector ciuitatis, tales & habitantes in ea: Eccles. x.* Et suprà præmittitur; *componitur orbis Regis ad exemplum.* Ne verò institutus Rex, puter legibus se solutum (*in Deuter. vbi suprà,*) regulam audiat cœlitus sibi datam. *Cumq; Rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos.* Necessarii non prohibentur equi, vel equites ad regni tutelam: sed pomposa multiplicatio, qualiter Salomon habebat (*iii. Reg. iv.*) XL. millia præsepia equorum currilium, & XII. millia equestrium: & (*capit**.) XX. millia equitum dicitur habuisse. Prohibetur autem iactantia hæc, ne onerosus subditis, & in se insolens fiat: equorum enim nomine Legislator familiam, & extrinseca omnia quæ ad eum pertinent denotauit: in quibus excessit Salomon: cuius cibus erat per singulos dies XXX. chori similæ, & LX. chori farinæ; decem boues pingues, & viginti pascuales, & centum arietes; exceptâ venatione ceruorum, caprarum, atque bubalorum, & auium altilium. Fecit quoque ducenta scuta de auro purissimo, & trecentas peltas, ad ostentationem Regii fastus; quibus vtebantur custodes Regis, antè hostium domus excubantes. Cum hiis etiam præcedebant equites iuuenes, cùm Rex egrederetur, diffundentes flauam cæsariem, vsque in equorum sessionem; adiicientes auri tincturam, vt eorum capita sole percussa, ampliùs radiarent. Quantum autem ex hiis similibus ue, subditis Salomon fuerit onerosus, scriptura indicat *iii. lib. Reg. xii. capit.* cùm ad Roboam filium eius clamaret populus: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu minue paululum de imperio patris tui durissimo, & de grauissimo iugo quod imposuit nobis: & seruiemus tibi.* Sed cùm aduersa respondisset, & grauiora minaretur, decem Tribus amisit, & regni diuisionem induxit: (suprà *part. 1. cap. v.*) Quid superflua arma, vel armati conferunt Regi? Plato cùm vidisset Dionysium Tyrannum Siciliæ, corporis sui septum custodibus, ait: *Quid tantum malum fecisti, vt à tam multis necesse habeas custodiri? Vnũ,* inquit Seneca de clementia ad Neronem, *est inexpugnabile munimentũ amor ciuium.* Hinc aduertant Principes & Barones: si equos & equites Regi ad fastum multiplicare non licet, minus licitum esse eis multiplicare canes, aues prædarias, simias, & syluestria quæque diuersa, quasi quædam portenta naturæ. Sed in hiis forsitan sæpiùs deliquerunt, quia familiariùs inhæserunt ioculatoribus quàm prædicatoribus veritatis. *Nobilium est,* inquiunt, *istriones,* se in venatica exercere, causâ recreationis; in auibus cæli ludere; taxillos rapidè colligere, argutè volucre, & aleas frequentare.* Quis ignorat, quòd hæc delicatę susciatant pruriginem leuitatis? Themistocles Philosophus ait: *Magistratus à ludis & quibuscunq; leuioribus esse arcendos, ne res publica ludere videatur.*

Deut. 17. 16.

CAP. XIX.

Continet ad quantum regni periculum Rex malis moribus inquinatur.

XIX. SI Rex Ierusalem à vanis ac leuibus, quasi peccatorum fomentis, abstinere iubetur, ex hoc penset quantâ curâ grauiora peccata vitare debeat, quæ non solùm sui exitium, sed totius etiam regni, ac vniuersi populi infortunium periculumq; inducere possunt? Vndè conuenienter sequitur in regula eius: *Nec reducet populum in Ægyptũ equitatus numero sublenatus.* Fastus enim & vanitas Regis, ad peccatum inclinat: peccatum Regis, faciliter ducit populum in Ægyptũ, id est, in tenebris peccatorum: quia *promptè facit inferior,* ait Ambros. ad Rom. *i. quod vidit fieri à potiore.* Vndè & Ieronymus ad Helyodorum ait Episcopum: *Domus tuæ conuersatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ: quicquid ibi fecerint, id omnes sibi faciendum putant.* Sic *Ieroboam,* quasi in Ægyptum, duxit in idolatriam decem tribus: *part. 1. cap. v.* propterquod regnum ipsum ab Assyriis destructum est. *Ioas* quoque Rex Ierusalem, Optimates suæ vitiauit exemplo à Dei legitimis declinando *sequenti capitulo*

Deut. 17. 16.

Et

Et propterea ex Dabyr vel ex Ephod ex tunc oraculum prohibitum est diuinum. Propter peccatum Dauid in numeratione populi, multa millia occiduntur: *II. Reg. XXXIV.* Sic verum est quod dicitur Ecclesiast. X. *Secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis est rector ciuitatis, tales habitantes in ea.* Et Ethnicus supradictus, *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.* Et quia populum cum Rege iungit sequela peccati: iustè eâdem pœnâ communiter inuoluuntur: sic de talibus Ezech. VII. ait DEVS: *Rex lugebit, Principes induentur mœrore, & manus populi terræ conturbabuntur: secundùm viam eorum faciam eis.* Sic omnium Rex meritò se putet reum, quos vitiato exemplo duxerit in Ægyptum. Proindè Rex Ierusalem virtutibus floreat, vt mores laudabiles in subditos influat, quasi caput in membra: ne illud Helyæ ad Achab, ei improperari possit: *Tu es, qui conturbas Israël, & domus patris tui: III. Reg. XVIII.* ne populus serò gemat illud, Tre. III. *Me minauit & adduxit in tenebras, & non in lucem,* & sequenti capitulo: *ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies; Ægypto dedimus manum & Assyriis, vt saturemur pane.*

CAP. XX.

Continet, qualiter Rex per temperantiam, sub rationis imperio, concupiscibilem frenare debeat, quantum ad sensibiles delectationes.

SIcut in ciuitate benè disposita, cuncti sub obedientia vnius Principis ordinantur: sic concupiscibilia vniuersa, quicunque rectè viuere cupit, necesse habet, vt sub imperio redigat rationis; & *nequaquam post concupiscentias suas eat:* (*Ecclesiast. XVIII.*) sed temperet se à delectationibus in quibus cum brutis animalibus communicamus: *III. Ethic.* Quia enim eas per intemperantiam sequitur, non est aptus aliis dominari; sed magis subiici sequenti iudicium rationis: secundùm quod Noë filiis eius, Gen. IX. ait DEVS: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ:* super animantia, inquit, non super homines: vt non ratio, sed brutalitas timeat hominis potestatem. Vis etiam concupiscibilis: *III. Ethic.* secundùm quam est intemperantia, assimilatur puero: sed *væ terræ, cuius Rex puer est; & cuius Principes manè comedunt:* Ecclesiast. X. Necesse est proindè vim sensibilem, ratione regi; sicut puerum, pædagogo. Qui autem domui suæ, (*ad Tit. III.*) imò, vt ita dicam, sibi ipsi præesse nescit, quomodo Ecclesiæ DEI diligentiam habebit? A regimine igitur sui discat Rex electæ Terræ Promissionis, rectè regere subditos vniuersos, dicente Ethnico Claudiano:

Si metuis, si plura cupis, si duceris irâ,
Si vitijs patiere iugum tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cùm poteris Rex esse tui.

Plutarchus etiam in institutione Traiani: *Quidquis rectissimè geres, si non recesseris à te ipso: si primò te composueris ad virtutem, rectè vniuersa procedent.* Et quia inter sensibiles delectationes sunt Venereæ potiores, in regula Regum nominaliter prohibentur: *Non habebit vxores plurimas, quæ illiciant animũ eius.* Ergò nec adulterari multò minus licebit, aut stupra quæuis committere. Quòd si de Rege Dauid, & filio eius Salomone obiectio oriatur, qui multas duxerunt vxores, respondebitur: quia Dauid, propheticâ conuictus parabolâ, se filium mortis esse respondit, *II. Reg. XII.* Et de Salomone, *Eccles.* XLVIII. post magnalia enarrata dicitur: *Inclinauit femora sua mulieribus; dedit maculam in gloria sua.* Herodes Herodyadem contra legem accipiens, iussit decollari Iohannem. *Matth. XIV. & Marc. VII.* Latinorum quoque Regum Ierusalem, *Balduinus* primus, hoc spreto regulæ suæ capitulo, solutoq; coniugali vinculo, quo vnus vni ab initio iungitur, monasterio intrusâ Reginâ, quod Sancta Anna vocatur, iuxta Probaticam piscinam, & propè portam quæ dicebatur Iosaphat, Comitissam Siciliæ quæ opibus affluebat, relictam Rogerii fratris Roberti Guiscardi superinducens, & infirmitate correptus, demùm relinquens, Siculorum Apulotumq; ad Regem regnumq; Ierusalem dissidii ac odii, non paruo tempore, materiâ tribuit. *Ysabella* etiam, Reginæ Sybillæ sorori defunctæ succedēs, spreto Enfrando, (*suprà part. X. cap. III.*) à Conrado sponsatur, vel adulterio potiùs maculatur: quia veritatis testimonio, (*Luc. XVI.*) *Omnis, qui dimittit vxorem suam & ducit*

Deut. 17. 17.

alteram, quoad primum, *mechatur*: & quo ad secundum, *Qui dimissam à viro duxerit, adulterat.* Fœdares & indigna honore regio, ac penè Machumetico errore suspecta, matrimonia ritè celebrata diuidere, vel personas illegitimas copulare, aut vni plures iungere, contra diuinam legem, & Ecclesiasticam sanctionem. Sub regula itaq; rationis, Rex delectationes, & concupiscentias suas arceat, ne eius illiciant animũ ad peccatum; ne Regale decus fœdet luto peccati: ne illius exemplo populus vitietur, qui virtutibus præstans, sub iugo tributi tenere debet in circuitu populos infideles. *Cui enim libere imperabit,* (inquit Tullius lib. de Paradoxis) *qui non potest suis cupiditatibus imperare? Refrenet primùm libidines, spernat voluptates, animi labes repellat: tunc ij incipiat imperare, cùm ipse improbissimis Dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit.*

CAP. XXI.

Continet qualiter concupiscibilem frenare debet, quantum ad delectationum fomenta, seu thesaurorum abundantiam.

XXI. SIcut in stipite apto cunctæ arbores faciliter inseruntur, ita & in *Auaritia* scelera vniuersa: dicente Apostolo. 1. ad Timoth. vi. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Sic de radice colubri egreditur regulus: *Isay. xiv.* Vnde Apostolus vbi suprà. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* *Auaro* proindè (Eccles. x.) *nihil est scelestius.* Non solùm cupiditas diuitiarum, truncus est in quo mala omnia inseruntur: sed & fomenta sunt diuitiæ, sensibilium & carnalium voluptatum, à quibus debet Rex, (*superiori capitulo*) abstinere. *Diuitiis alitur luxuriosus amor:* ait Ethnicus de remedio amoris. Ad tollendam igitur maculam cunctorum scelerum, & fomentum maximè carnalium vitiorum, additur in regula Regum: *Non habebit auri & argenti immensa pondera:* ne videlicet Regiam gloriam constituat in calamitate multorum, subiectis necessaria subtrahendo, quibus magis expedit beneficia elargiri. Qui enim potentes erant aliis benefacere, hunc honorem adepti sunt vt Reges vocarentur: *v. Polit.* Quo denique titulo congregabit diuitias, quas nomine possidet alieno? Non igitur priuata habere fiscalia debet, quæ publica confitetur. Sed, quia beneficia eroganda sunt, non proiicienda: summa cum consideratione librandum, quid conquisitâ Terrâ Sanctâ, ad regni conseruationem vtilius videatur; an videlicet omnes terræ illius reditus in fiscum deuenire Regium, in viros bellatores secundùm Regis prouidentiam pro tempore dispensandos: quemadmodum Soldanus Babyloniæ ad præsens obseruat: an conquisitâ terrâ, Baronibus ac militibus, & bellatoribus viris distribuere, qui Regi ac regno taxato armatorum numero seruiant, retentis amplis redditibus apud Regem quibus valeat se liberalẽ exhibere Clericis, religiosis, ac secularibus; impotentibus & egenis maximè, qui in conquisitione Terræ Sanctæ laborassent, vel Curiæ deseruissent: ad erigendas quoque Ecclesias, monasteria construenda, & vnum ad minus in vrbe qualibet *hospitale*, in quo recolligantur & foueantur infirmi, & temporali auxilio destituti. Quòd si ciuitates & castra vtilius videbitur partiri diuersis, pro Terræ Sanctæ subsidio, vtilimum videretur aliquibus potentibus Communitatibus cismarinis vrbis vrbes eis accommodas cum casalibus suis in feudum tribuere, vt inibi iurisdictionem exerceant, iustitiæ debitum vnicuique reddant: & Regi & regno de nauigio vel militia aliqua, vel vtroque seruiant. Nam vnusquisque quod proprium est, magis tueri conatur: & de facto, partes aliquas Romaniæ, ex ea causa, ad præsens per Venetos conseruari videmus. Et quia ædificanda sunt castra, erigendæ munitiones, non modò in Terra Promissionis, sed etiam in partibus Arabiæ & Ægypti; non solùm ad regni tutelam, sed etiam ad lucra magna, ac bona temporalia consequenda latè patebunt fortilitia in maritima Ægypti & Syriæ, talibus dispensanda. Quæcunque verò via eligatur ex præmissis circa regni dispositionem, taxatam sibi regulam Rex semper obseruet, *ne habeat auri & argenti plurima pondera*: id est, animum ad congregandas diuitias: vel si diuinâ dispositione affluant, *cor non apponat.* *Mauritius* auarâ tenacitate amisit Imperium: cùm enim in hostili terra positus, militibus stipendia negasset, Focas rogatus, Imperialem assumpsit purpuram; & fugientem Mauri-

Deut. 17, 17.

Psal. 62, 10.

Mauritium, cum vxore & quinque filiis, in Insula quadam necari iussit. Et *Saul* cupiditate prætiosorum Amalech ad inobedientiam tractus, à regno repellitur. *1. Reg. xv.* Et *Achab* homicidio perpetrato, quia Naboth vineam concupiuit, (*III. Reg. xxi.*) per Helyam audit à Domino: *Occidisti, insuper & possedisti: in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuū.* Econtrà verò, beatus dicitur, (*Eccles. xxxi.*) qui post aurum non abiit; nec sperauit in pecuniæ thesauris: quis est hic & laudabimus eum? Sicut enim auaritiâ fama regiâ denigratur, sic præcipuè liberalitate claretscit. *Policratis* enim Samiorum Regis abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor, ad Indiam vsque excessit: quia concupitæ rei fructum ab eo quilibet obtineret. Studeat igitur Rex Ierusalem, & Terræ Sanctæ Promissionis, liberaliter tribuere vbi oportet vel expedit; vt subditorum ac familiarium deuitet odium; vt sui ac regni declinet periculum; vt claritate famæ, Occiduos populos ad se trahat; vt inimicos terreat CHRISTI & populi Christiani.

CAP. XXII.

Continet sollicitam Regis diligentiam circa diuinæ legis studium, ac obseruantiam mandatorum.

REX *sapiens stabilimentum populi est.* Sapient. VI. Et Eccles. X. *Rex insipiens perdet populum suum; & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentum.* Ideò ad Philosophiam *primo de consolatione* pulchrè ait *Boëtius: Tu ex ore Platonis sanxisti beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent; vel earum rectores, studere sapientiæ contigisset.* Vnde & sapientia pronuntiat Prouerb. IV: *Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Hâc Theodosius, Iustinianus, & Leo, quasi de informi mundo alterum formauerunt, dum legibus orbem, quasi templum quoddam, Iustitiæ consecrarunt. Sed quia omnium legum censura est irrita & inanis, nisi gerat imaginem sacræ legis: ideò conuenienter sequitur in regula Regum. *Postquam sederit in solio regni, describet sibi Deuteronomium legis.* Deut. 17. 18. Hîc proinde, *Reges intelligite, eruditimini in lege Domini qui iudicatis terram: quia, lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Psal. 10. Psal. 18. 8. Lex enim Cæsarea vel humana, non amputat omne peccatum; quin etiam permittit interdum particulare delictum. Sed lex Domini immaculata, prohibens vniuersa peccata. Prohibet manum humana, non animum: Sed *lex Domini conuertens animas.* Et propter varietatem humanorum actuum, non sufficit de cunctis differere: sed *testimonium Domini fidele, sapientiam*, id est, perfectam scientiam, *præstans parvulis.* Huius legis puritatem ac integritatem *Philadelphus* attendens, sibi transferri à DEI cultoribus procurauit, quo de DEO rectius sentiret, & salubrius populum gubernaret. Si autem Rex minor ætate fuerit, aut parentum incuriâ litteris imperitus, assistant ei Nathan Propheta, & Sadoch Sacerdos. Vnde sequitur in regula Regum: *Accipiet exemplar à Sacerdotibus Leuitici* Deut. 17. 18. *tribus.* Sic *Ioas* dum ei astitit Ioiada, rectè vixit; quo sublato, peccauit: supra *part. 2. cap. VI.* Gentiles quoque Reges, præceptores habebant Philosophos: *Alexander* Aristotelem, *Nero* Senecam, *Traianus* Plutarchum. Alexandro sublimis ingenii, scripsit Aristoteles Philosophiæ secreta: Neroni trucis animi, scripsit Seneca librum de clementia: Traiano verò, qui absque vlla ambitione Principatum obtinuit, scripsit Plutarchus volumen pulchetrimum de institutione politica, qui *Traiani institutio* nuncupatur. Sic laudabiles præceptores, locis, temporibus, ac personis congruè nouerunt adaptare sermones. Tales Rex Ierusalem, sui suorumque doctores prædicatoresque fideles habere studeat, qui scelera detestentur, contra vitia clament assiduè cum Zacharia filio Ioiadæ quem spiritus induit Domini (*2. Paral. xxiv.*) qui stetit in conspectu populi, & ait: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit? Quare?* id est, qua necessitate transgredimini, cum sint obseruationi facilia? Deuter. xxx. *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supra te est.* Neminem deficit aduersarius noster, nisi volentem. *Quare?* id est, qua auiditate, cum sint obseruatione felicia? Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* Debitor, feneratori reddit commodum; & recepto semine terra reddit fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum: reddet & veritas quod promisit. *Centuplum*, ait, *accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. 19. 29. *Quare* etiam? id est, qua temeritate, cum sint tranl-

Psal.118,21. gressione pœnalia? *Maledicti*, inquit Psalm. *qui declinant à mandatis tuis. Ite maledicti*, ait Iudex iratus, *in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius.* Matth. XXV. In *ignem* vadunt, tantum supplicium excepturi, quantum præmium amiserunt. Et iustè, *æternum*: quia illa non casualis, sed rationalis exustio: quia non tam reum insequitur: quàm reatum. Sic culpam iubetur inquirere, quod substantiam nequit absumere. Interminabilis proinde culpa, igne cremabitur sine fine: & dum nullam spem, etiam post immensa tempora promittere sibi valent, dolorem sentient in præsenti, etiam consequentium seculorum. Prævaricatores redite ad cor: quibus momentaneis delectationibus transgredimini mandatum Domini, vt tam duros subeatis, tam infinibiles, tam ineffabiles cruciatus? Ad hæc verò aptè & sollicitè prosequenda, vtile videretur, vltra sermones vel prædicationes solitas & communes, in scholis Theologiæ per Religiosos, textum Scripturæ Sacræ exponere in vulgari: quia, sicut *Venetiis*, vbi modus iste seruatur, experientia certa docet, cuiuscunq; conditionis existant, ad Missas & diuina officia, summo manè deuotè conueniunt: & magis sollicitè post diuinum officium, per horam idoneam imbuuntur de credendis, de moribus, de præceptis: quibus ad mentem quotidiè reuocatis, aptiores fiunt ad explicandam quærentibus de hiis quæ sunt fidei veritatem, ad fugienda nociua,
Deut.17,19. ad vtilia & meritoria prosequenda. Vnde benè sequitur in regula Regum: *Leget q; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum, & custodire verba & cæremonias eius quæ in lege præcepta sunt.* Quæ verò altiora & subtiliora sunt, litterato sermone in sententiis differuntur.

CAP. XXIII.

Continet Regiæ excellentiæ mansuetudinem, iam, ac clementiam in subiectos.

XXIII. A Principio conditionis humanæ, homo homini non præfertur: sed, *faciamus hominem*, (ait DEVS *Genes. 1.*) *vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ*: nec seruitutem prius legimus quàm impius Cham, à tramite rationis conuersus in belluam, nudatum ebrietate irrisisset parentem. Igitur hiis cognoscant Reges gentium, & dominatores earum, se non tam viris quàm vitiis imperare: nec subiectum quenquam fieri qui in rectitudine, & æqualitate manserit rationis. Vnde rectè se-
Deut.17,20. quitur in regula Regum: *Nec elevabitur cor eius in superbia super fratres suos.* Verè frater est, qui conditæ naturæ mutationem nescit, qui in DEI similitudine clara persistit, qui Christianâ professione censetur, qui eadem hereditate dotatur, nec peccato à cœtu fidelium separatur. Vnde Matth. XXIII. ait CHRISTVS: *Omnes vos fratres estis: vnus est enim pater vester qui in cælis est.* Imò, CHRISTI fratres dicuntur vniuersi fideles. *Hebr. 11. Qui enim sanctificat & qui sanctificatur, ex vno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare*, dicens: *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Attendat Rex proinde consilium Ecclesiast. XXXII. *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis, curam illorum habe.* Cautela est Tyrannorum, nõ Regum, velle haberi formidini & terrori, vt securi persistant; armis salutem tueri, non benevolentiâ. Vnde *Seneca* de clementia ad Neronem: *Nullum ex omnibus magis quàm Regem decet clementia. Magni animi proprium est placidum esse ac tranquillum, & iniurias atque offensiones despicere. Iracundissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; Rex ipse sine aculeo est: nam ei telum detraxit, & iram eius inermem reliquit: exemplum hoc magnis Regibus ingerens.* Et Claudianus ait, *Sola Deos æquat semper clementia vobis.* Bene hanc clementiam Theodosius cæteris persuasit, dicens in Codice: *Si quis crediderit nomina nostra maledicto lacessenda, eum nolumus pœnæ subiacere: quoniam si ex levitate processerit, contemnendum est; si ab insania, miseratione dignum; si ab iniuria, remittendum.* Propterea Rex læsus *animum in potestate habeat*, ait Seneca vbi suprà: *& pœnam, si tutè poterit, donet; si minus, temperet*: longeque sit in suis quàm in alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum magni animi non est, qui de alieno liberalis est; sed qui quod alteri dat, sibi detrahit: ita clementem voco non in alieno dolore facilem; sed eum qui cum suis stimulis faciliter non prosiliit. Clamat etiam pro clementia ante Regem, naturæ humanæ infirmitas, & innata pronitas ad peccandum: epyeiches enim est, indulgere humanis: Suadet id ipsum naturæ germanitas, cum varietate fortunæ. Ad *Cyrum* enim

Cressi

reili Lidorum Regis filius, crucifixo patre, cùm vsque ad id tempus mutus extitisset, clamauit: *Parce patri meo, Cyre: & hominem te, vel tæsibus disce nostris.*

CAP. XXIV.

Continet Regalis iustitiæ rectitudinem ac iudicii æquitatem.

QVia sublatâ *Iustitiâ*, regna latrocinia magna fiunt, necesse est Regem Ierusalem maturo & librato valdè consilio, leges condere, patriæ, temporibus, ac personis accommodas: quarum obseruantiâ, regno securitatem, Regi reuerentiam, subiectis obedientiam, & pacem conferat vniuersis. Sic Sancta Ciuitas (*secundo Machab. III.*) habitabatur in omni pace, cùm adhuc leges optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem. Et quia DEO detestabile vitium carnis, & cura in desideriis acta, illius Sanctæ Terræ Promissionis sæpiùs legitur fuisse ruina, cuius incentiuum potissimum constat esse crapulam & ebrietates iteratas frequentiùs, maximè in *tabernis*: vbi cum instrumentis, salcibus, & gestibus impudicis, cantatrices, secundùm morem patriæ, prouocant ad peccatum. Edicto Regio sunt huiusmodi penitus amouenda, relictis duntaxat hospitiis, sicut *Venetiis* de facto seruatur ad suscipiendos forenses & transeuntes, qui propria domicilia non haberent. Tibicines quoque ac lamentatrices super funera Nobilium statuunt, vt ad flendam mundanam gloriam prouocent. In harum præsentia CHRISTVS noluit, (*Matth. IX.*) suscitare defunctã: propterea conuenienter illis, si fari liceret, posset defunctus piis orationibus defraudatus, illud dirigere Saluatoris, *Luc. XXIII. Nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*: me autem iuuent qui doloribus torqueor, non huiusmodi incentiua culparum; sed diuina officia, & diuini altaris sacrificium singulare, eleemosyna concluſa in sinu pauperis, cæteraq; opera pietatis. Exercent etiam inibi, maximè mulieres, sortilegia & maleficia varia: Nam cum schismaticis, hæreticis, & infidelibus quibuscunque participant: discuntq; eorum opera: quæ sæpiùs facta sunt eis in scandalum & ruinam: Sunt & alii defectus plurimi, qui causâ desolationis & amissionis fuerunt Sanctæ Terræ Promissionis: vt suprà diffusiùs ostensum est *part. VIII.* quæ omnia salutaribus edictis sunt penitus resecanda. Conditas verò leges, Rex faciat à cunctis diligenter & communiter obseruari, sicut in regula Regum vltimâ clausulâ continetur: *neque declinet in partem dexteram vel sinistram*; vt per dexteram potentior, vel indigena; per sinistram, imporens intelligatur, vel aduena sicut Deuter. 1. scriptum est: *Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus*: nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis vt magnum. Vel per dexteram, irrationabilis dispensatio; per sinistram, rigor immoderatus potest intelligi. Mediam proinde in iudiciis *æquitatem* Rex teneat: quæ nihil aliud est quàm iustitia dulcore misericordiæ temperata. Sic CHRISTVS in curatione Samaritani, vino mordentis districtionis iunxit oleum, quasi mollitiem pietatis: virgæ quoque rigoris in arca testimonii, manna dulcedinis copulatur. *Disciplina enim, vel misericordia, multùm destituitur, si vna sine altera teneatur*: ait Gregorius XX. lib. moralium: & ponitur *Di. XLV. Disciplina.* Sed circa subditos ineſſe debet rectoribus, & iustè consulens misericordia, & piè sæuiens disciplina.

XXIV.

Deut. 17, 19.

CAP. XXV.

Continet summariam dictorum recapitulationem pro Terræ Sanctæ conseruatione.

PRimùm quidem sicut Iebuseum, Iudeum, ac Christianum colonum inde repulit creatoris offensa: vt totâ *primâ parte, octauâ etiam & nonâ huius tertii*, dictum est: sic ipsius reuerentia, & diligens custodia mandatorum eius, perfectè eam subiiciet, ac conseruabit cultui & nomini Christiano: sine qua nihil omninò rutè agitur, aut securè præsumitur, sicut vniuersa libri series manifestat: pro cuius quoque declaratione materiæ discussio ac gestorum narratio tam seriosè, tamque longâ narratione pertractata est. Deinde conquisita Terra prudenter & vtiliter disponenda: sicut suprà *XXI. cap.* tactum est. Et aptis locis, castra & munitiones fortissimæ erigendæ, ad infidelium accessos improuisos & repentinos incursus: maximè in finibus Ægypti, Arabiæ, & Celosyriæ, & Damasci: sicut priores ædificasse legimus contra Ascalonẽ siue Ægyptios, *Zibelim*, vbi quondam Bersabee fuerat: *suprà part. VI. cap. XV.* & *Albam*

XXV.

Speculum, & *Gazam*, & *Ibelim* siue Geth: *cap. xviii.* contra Syriam Sobal, & Amonitas, *Montem Regalem* siue *Crach*, vocatum antiquitus *Petra deserti: viii. cap.* Contra Tripolim, *Thoronum: cap. v. Saphet* quoque, inter mare Galileæ & Ptolomaidam; & *Belueir* non longè à monte Tabor: *cap. xviii.* Et Saracenis omni tempore arma & necessaria semper, quantum fieri poterit, commodè, subtrahantur. Exercitentur etiam & instruantur continuè ibi fideles in arcubus & balistis, & variis bellorum cautelis, sicut dictum est in principio partis huius. Karitatis etiam & pietatis exerceāt opera, quorum respectu exercitatio corporalis ad modicum valet: *1. Timoth. iv. Exerce autem teipsum ad pietatem.* Propterea *Hospitale* in vnaquaque ciuitate construant: vt superiùs dictum est. In refectionis exordio, pauperibus subueniant, & indigentibus partem mittant: vt fiat cunctis fidelibus cor vnum, & anima vna. Principes & Barones, spretâ mollitie, viriles appareant: *suprà xviii. cap.* Nec Mulieres Baronias teneant: vt suprà *part. vii. cap. i.* dictum est: sed potiùs earum filii, post decennium in Curiis nutriantur Baronum, ne effœminatis moribus imbuantur. Rex clementer gubernet subiectos, sicut ait quidam: *Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox:* semperque recogitet, illos secum futuros heredes & Reges regni cœlestis. Iustitiam cōmuniter cunctis exhibeat & æqualiter. Indeceptores concurrentium ad subsidiū Terræ Sanctæ, & carnalia puniēda peccata, specialiter sit seuerus: nam ea de terra electa singulariter amouentur. *Deuter. xxiii. Non erit meretrix de filiabus Israël, neque scortator de filiis Israël.* Vniuersi autem, plus quàm infidelium cæteræ nationes, *subiecti sint Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* 1. Pet. ii. Et quia impossibile est sine fide placere DEO: *Hebr. xi.* & *1. Corinth. xv. Corrumpunt bonos mores, colloquia mala:* ad fidei & morum puritatem seruandam, post exclusos diuino auxilio Saracenos immundos, & cæteri vniuersi similiter expellendi, qui facto obedientiæ iugo sacrosanctæ Romanæ sedi cum omni reuerentia & humilitate non parent; quique ritibus variis, in substantialibus fidei, ab ea discrepant: ni, dato spatio, ad ouile redeant, & gremium piæ matris. Eradendi quoque sunt de terra *arioli, magi, & malefici* vniuersi; quorum sermo quasi cancer serpit, & sæpè inficit etiam innocentes. Nec admittendi sunt indifferenter *notorii peccatores*, & homines monstruosi, à partibus Occiduis venientes. Nam, (vt superius *part. viii.* ostenditur,) inter cæteros, prædicti omnes desolationis ac destructionis Terræ Sanctæ causa fuêre. Ad quæ omnia integrè perfectèque seruanda, instituendi sunt *Prælati Ecclesiæ & Pastores*, qui gregem Dominicum pascant scientiâ & doctrinâ: *Ierem. iii.* quorum vita sit regula in agendis, & clerum in omni honestate conseruent. *Regulares* etiam, electi ac probati, transmittendi nonnulli, qui in sermonibus & locutionibus, vt superius dictum est, annuntient legem vitæ & disciplinæ. Cum plenitudine etiam autoritatis, *inquisitores hæreticæ prauitatis* instituendi sunt, qui DEI & fidei zelum habentes, hæreticos, & schismaticos, sortilegos & maleficos supradictos, sollicitè & intrepidè, omni timore postposito, persequantur. Nec cuiquam durum forsitan videatur, schismaticos inibi taliter persequendos. Nam, præter ea quæ immediatè præmisimus, ait Apostolus Galat. vii. *Modicum fermentum totam massam corrumpit. Currebatis*, inquit, *benè: quis vos fascinauit non obedire Euangelio?* Illi certè sunt, de quibus ait CHRISTVS Matth. v. *Matth. 7, 15.* *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Nihil enim, vt simulatio bonum exterminat: nam sub boni celatum specie malum, dum non cognoscitur, non cauetur. *Vestimenta* autem *ouium*, blanda verba schismaticorum, cæteraque religionis & fidei signa, sunt quibus Orientales à veritate Euangelii deuiantes, quasi veste: vt incautos decipiat, exterius clamidantur: intrinsecus autem sunt *lupi rapaces*, implacabili odio, & insatiabili desiderio ad ouium lacerandam fidei puritatem, rapientes de fidelium cor- *Matth. 7, 17.* dibus veritatem. Et vt scias nihil commodi inde trahi, sequitur: *numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* sic nec à schismatico, vel infideli quocunque, percipies fructum vitæ. Attrahuntur quoque ad eorum execrabiles ritus interdum Catholici, ex defectu Ecclesiastici officii, & desiderio audiendi diuina: & quia occasione diuitiarum, etiam cum eis misceant coniugia, & affinitates contrahunt, quibus ex causis in Cypro & Creta ac Principatu Achaiæ, non dubium ex populo plurimos, ex militaribus etiam aliquos, in soliditate fidei vacillare. Neque obiiciant, possibile fore iuxta periculum non perire; cùm tutius sit, iuxta periculum non fuisse: & in his

quæ

quæ fidei ſunt, & de neceſſitate ſalutis, pars tutior eligenda. Poſtremò de terra à DEO electa eiectis impiis, attrahendi ac alliciendi ſunt ex vniuerſis mundi partibus Catholici & fideles, vt quaſi nouellæ plantationes, humore gratiæ fœcundati, afferant fructum vitæ: quia hoc dicit DEVS *Ierem. iv. Viro Iuda & habitatori Ieruſalem. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Ad nouos autem colonos gratiùs & vtiliùs prouocandos, ſalubre videtur & vtile vt per ſacroſanctum *ſummum Pontificē CHRISTI Vicariam*, transfretare volentibus ad manendum, cuiuſcunque ſexus ætatis vel conditionis exiſtant: (dummodo ſceleratus & notorius peccator non fuerit, ne terra, vt ſuprà cauetur, incautè talibus repleatur, imò potiùs polluatur, quod dioceſani videtur arbitrio relinquendum:) indulgentiam ac remiſſionem plenariam tribuat omnium peccatorum; idque per fidei præcones, omniquaque vulgari ac publicari faciat: diſponatque de eorum nauigio ac ſubſidio competenti, ne fortè penuriâ, à tam pio propoſito retrahantur. Accedentibus verò, Rex ac cæteri qui conquiſitã Terram poſſederint, terram pro domo, orto ac vinea, ſub certo annuo cenſu, tribuant, fideique hæreditariò perpetuò poſſidendam; & ſi videbitur, terram etiam ad colendum, animalium ſubminiſtratò auxilio & cæteris opportunis. Sic *Balduinus* primus ad habitandum in Ieruſalem multos attraxit: *part. vi. capit. viii.* Cauendum etiam, maximè in ipſo principio, ne fideles ad conquiſitas terras cum mercationibus vel quibuſcunque rebus accedentibus, angarientur in aliquo, vel grauentur *datiis vel gabellis*; & ſimpliciter, quæ voluerint, extrahere libere permittantur. Per hoc enim maior erit rerum copia, mercatorum frequentia; & concurſus etiam cæterorum ad incolendum Terram Sanctam properantium: habitatores nihilominus terræ, pleniùs neceſſariis affluent, & ſuæ commoda aſſequentur. Hac cautelâ vſus eſt *Balduinus* de Burgo in ciuitate Ieruſalem: ſuprà *part. vi. cap. ix.* Proceſſu etiam temporis ex eaquis huiuſmodi, & quia *datium* nihil aliud eſſe dignoſcitur quàm furtum, aut rapina qualibet ſatis colore veſtita: non ſine vrgenti neceſſitate cum multa deliberatione, multoque moderamine eſt commercium vel datiũ imponendum. Ecce hunc breui compendio recapitulauerim quæ extimantur fugienda, hactenus quæ etiam vtilia, proſequenda ad Sanctæ Terræ Promiſſionis poſſeſſionem ſecuram, pacificam, continuam & quietam: quam piis ſpiritibus Chriſtianorum Dominus IESVS ſuis donet cultoribus, ad ſuum honorem & gloriam, conſolationem quoque ac diu expectatam lætitiam Eccleſiæ ſuæ ſanctæ: *qui cum Patre & Spiritu Sancto adoratur, &c.*

collige vnus DEVS. AMEN.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

LECTORI TYPOGRAPHVS S.

EIGVRAM, eodem Marino Sanuto auctore, quæ Principum, quorum in Hiſtoria præcipua mentio, συγχρονίσμους oculis ſubiicit: & Geographicas deſcriptiones Orbis, Terræ Sanctæ, Ægypti, Hieroſolimæ, Ptolomaidæ, earumq; explicationes, vti ſunt in veteri elegantiſſimo codice P. PETAVII, tibi, ſtudioſe Lector, exhibemus diligentiâ, quantâ maiore potuit, expreſſas: ne quid in hoc opere deſideres. Si quid nos fugit, id Appendix ſiue tertius Tomus, vti cum DEO ſperamus, reponet cum fœnore.

PATRIARCHÆ Ierosolymitani.	COMITES Tripolitani.	PRINCIPES Antiocheni.	COMITES Edessani.	REGES LATINI Hierusalem.	CALIPHÆ Ægypti.	SOLDANI Ægypti.	SOLDANI Damasci.	REGES PERSARUM.	SOLDANUS Turciæ.
				An. Dom. 1099.					
Hermoldus, l. 3. p. 6. c. 2. *Dysbertus*, p. 6. c. 3.	*Beltrandus*, p. 6. c. 6. *Pontius*, filius, p. 6. c. 6.	*Bocmundus*, l. 3. p. 5. c. 5	*Balduinus*, postea Rex. p. 5. c. 5.	GOTTEFREDVS, qui coronari renuit. l. 3. p. 6 c. 1.	*Caliphæ* mitris munera, p. 5. c. 5. & exercitum. p. 5. c. 2.			*Belphet*, p. 5. c. 1.	
Hermans. ibid. *Gybelinus*. ibid. *Hermoldus*, iterum. ib.	*Beltrandus*, p. 6. c. 6.	*Tancredus*, gubernator. p. 6. c. 4. *Rogerius* gubern. p. 6. c. 6.	*Balduinus* de Burgo. p. 6. c. 4.	1101. BALDVINVS Fr. Rex. p. 6 c. 4.	*Caliphæ* mitris exercitum. p. 6. c. 4. & 5.		*Dachas*, spoliatus p. 5. c. 4.	DOMINVS ALAPIÆ. *Aleppi*, ferens mal. p. 5. c. 4.	*Sebastenum*, occupat. c. 5. p. 5. c. 4.
Germos. p. 6. c. 9. *Stephanus*, primus. c. 14. *Guillelmus*. ib.		*Boamundus*. p. 6. c. 14.	*Ioscellinus*, p. 6. c. 9.	1118. BALDVINVS de BVRGO consanguineus p. 6. c. 9.			*Dolchquam* p. 6. c. 10.		
	Raimundus, filius. p. 6. c. 16.	*Constan-* Raimundus. Pictia, filia, Stauien sis Co. p. 6. c. 4. mit. F. p. 6. c. 15.	*Ioscellinus*, filius, sub quo Edessa amittitur. p. 6. c. 5.	1131. *Melisenda*, FVLCONIS eius filia, ibid. p. 6 c. 14.				*Longue*. p. 5. c. 15.	
Fulcerius, p. 6. c. 9. *Almericus*. p. 6. c. 20.	*Raimundus*, filius, p. 6. c. 20.	*Reinaldus* de Castellione, secundus Constantiæ vir. p. 6. c. 20.		1143. BALDVINVS, Filius. p. 6. c. 19.			*Nureddinus* [illegible] p. 6 c. 21.		
			Filiæ Almerici.	1163. ALMERICVS Fr. p. 6. c. 21.	*Caliphæ* gloria. p. 6. c. 21.	*Dargamus*. p. 6. c. 21. *Saadinus* ib. *Saadinus* p. 6. c. 22.			
Heraclius. p. 6. c. 24.			*Sibilla*. *Ysabella*.	1179. BALDVINVS filius, leprosus. p. 6. c. 24.					
				1181. BALDVINVS, nepos ex sorore. ibid.			*Saladinus* p. 6. c. 1.		
	Raimundus, filius Principis Antioch. p. 9. c. 9.			1186. *Sybilla*, mater. ib. GVIDO. ibid	*Caliphæ* vltimus. p. 9. c. 3. Finis.	*Saladinus* nepos ex fratre p. 9. c. 1	*Saladinus*. ibid.	In regno CVMANIÆ.	In regno TVRQVESTEN.
		Raimundus, Tripolitanus comes. p. 9. c. 1. *Rupinus*, nepos, ibid. & c. 6.		1189. *Ysabella*, soror. CONRADVS. p. 10. c. 3. HENRICVS. ALMERICVS.	REGES CYPRI. *Guido* de Lisignano. p. 10. c. 7. *Almericus*, Fr. ib. c. 8.	ARMENIÆ. *Lyonnus*. p. 10. *Sapharadinus* frater Saladini.	Vous *Sinus* Saladini. p. 9. c. 9.	Alius *frater Saladini* p. 9. c. 9. *Saphadinus* ibid.	
Albertus. p. 11. c. 5. *Rodulphus*. ib.		*Raimundus*, iterum p. 11. c. 19.		1209. *Maria*, fil. p. 11. c. 3. IOHANNES Comes Brennensis. p. 11. c. 4.	*Hugo*, fil. p. 11, c. 4.			*Cassadinus* filius, *Saladini Mauritaniæ*. p. 11. c. 5.	
				1225. *Ysabella*, fil. p. 11. c. 10. FREDERICVS Imperator, ib.		*Ysabella* fil *Philip.* postea. *Alienata*. p. 11. c. 10.		*Nasiri* filius annorum 11. p. 11. c. 11.	
				1228. CONRADVS, filius. ibid.		*Sala*, fil. Saphadini dominus Mahubeth.	*Melec Lequemed*, fil. qui cum fratre Seraph expulit Nasiri de Damasco. p. 11. c. 13. *Edel* fil. minor. ibid. c. 14. *Sala*, filius Lequemed. Literas à Nasiri. cepit Edel proditionis Optimatum p. 11. cap. 15 Hic tempore quo Cumanis Tanaris subjugati sunt, multæ res ex eis, diversique accidentes ad opera bellica sed cum intercederet quando capta est S. Iohannes, & exinde coperunt dominari p. 11. c.	*Seraf* & Caphadras p. 11. c. 13. *Sala*, filius Lequemed. Literas à Nasiri. cepit Edel proditionis Optimatum p. 11. cap. 15 Hic tempore quo Cumanis Tanaris subjugati sunt, multæ res ex eis, diversique accidentes ad opera bellica sed cum intercederet quando capta est S. Iohannes, & exinde coperunt dominari p. 11. c. *Sala*, fil. Lequemed [illegible] p. 11. c. 13. *Tartaros* [illegible] Ægypto.	
	Boamundus, filius, p. 11. p. 13.	*Boamundus*, fil. p. 11. c. 13.	Filia Aylis.	1240. *Ailysia*, F. primæ Habelis, p. 11. c. 10. HVGO. RODVLPHVS. p. 10. c. 16.					
	Boamundus, filius. p. 12. c. 4.	*Boamundus*, filius, p. 12. c. 4.	*Aylis*.	1246. HENRICVS, filius. p. 11. c. 1.	*Henricus*, fil. p. 12. c. 16.	*Aylon*, superior.	*Turquestan*. p. 12. c. *Carlas*, Turquemen.	*Sala*, fil. Lequemed [illegible] p. 11. c. 1. *Turquestan* & cetera regna in Ægypto	
				1247. HVGO heres p. 12. c. 5.	*Hugo*, puer. p. 12. c. 5.		*Bendudar* p. 13. c. 6.		*Abaga*, fil. p. 13 c. 7.
	Boamundus, filius p. 12. c. 14.	*Boamundus*, filius, p. 12. c. 14.	*Maria*.	1267. HVGO de Lisignano, consanguineus. p. 12. c. 8.	*Hugo*. p. 12. c. 10.	*Leo*, fil.			
	Lucia, filia. p. 12. c. 12. Sequenti anno capitur Tripolis.	*Lucia*, filia, p. 12. c. 2.		1277. KAROLVS Rex Siciliæ. p. 12. c. 15.	*Iohannes*, filius. p. 12. c. 19. *Henricus*, fr. ibid.		*Melec Sayr*, fil. p. 13 c. 1. *Elfi*, Cumanus. p. 13. c. 8.		*Tangudar*, frater. vel *Mahumeth*. p. 13. c. 8. *Argon*, fili[us] Abaga. ib.
				1286. HENRICVS Rex Cypri. p. 12. c. 19.			*Seraf*, fil. p. 12. c. 21. *Melec*, Nasir. p. 11. c. 1.	*Tancay*. Hic sedet in civitate Seraph potest congregare 80 M equitum pugnatorum [illegible] licet meliores equos habeant quam illi de regno Turquestan, tamen non sunt æque boni militare. Aliquando bella movent cum Cargunda, aliquando cum Vngaris aliquando inter se.	*Capar*. Hic magis vicinatur regno Imperatoris quam alius & potest congregare CCCC Millia equitum pugnatorum tam grossi Imperatoris sæpe infestat est, sed viriliter defendunt.	*Tamar*, filius. Hic sedet in civitate Iong, & maximum putatur habere potentiam quam omnes alii Tartarorum Principes simul uncti.	*Quegaia*, fr. p. 13. c. 8. *Bayda*, consang. ibid. *Gazan*, fil. Argon. ib. *Cargunda*, frater, ib. Hic potest congregare CCCM. equitum pugnatorum. Diversarum tamen nationum, qui sunt divites & be-

MAGNI CANES IN REGNO CATAY, Imperator.	INTERSIA, vel ASIA MAIOR, sive in TAVRISIO.
Cyon, *Champ*. p. 13. c. 3. *Ottima*, filius. ibid.	
Barca, secundus fil. Octoma. p. 13. c. 3.	*Bayan*, primus filius Octoma. p. 13. c. 5.
Cayo, filius, ibid. filius *Mangu*, ibid. filius *Cibele*, fr. ibid.	*Gadany*, tertius fil. Octoma p. 13. c. 5. *Habaa*, fil.

ne munitu. Huic Capar & Tathay sæpe bella movent, & libenter surriperent illi dominium, nec possunt, licet potentiores, quia Asia dividitur in Asiam profundam, ubi regnat Imperator & duo alii Reges, & altera minor, ubi Capar moratur Caepsaca. Tathay autem vix totum transire potest contra eum. Prima est de Turquestan versus Persiam, sicca & arida & ibi deficit pabulum animalibus pluribus dietis. Secunda via dicitur *Lederbanc*, & est prope mare de Sara, ubi sunt portus feniæ. Per hanc posset transire Tathay in sex mensibus finis, tantum tempore hyemis. Sed Abag per medium diversa fecit fossata, & fortilitia in loco, vocato Cyba, & locus ille munitus semper manet, maxime tempore hyemali. Sunt & ibi deficit pabulum animalibus pluribus dietis. Secunda via dicitur *Lederbanc*, & est prope mare de Sara, ubi sunt portus feniæ. Per hanc posset transire Tathay in sex mensibus finis, tantum tempore hyemis. Sed Abag per medium diversa fecit fossata, & fortilitia in loco, vocato Cyba, & locus ille munitus semper manet, maxime tempore hyemali. Sunt etiam ibi quædam aues magnitudinis Phasianorum, qui plumas habent albas, desuper guttatas de nigro, vocatæ *Sesfrach*. Hæ manent ipso tempore hyemali in planitie vocata *Mogan*, per quam illes transire oportet. Ad introitum autem transitus aquilant super fossata & fortilitia, & sic hostium prodant adventum. Tertia via est per mare Maius, quæ transit per Mare Abca, quod est in Georgia. Per hanc nunquam ingredi temptaverunt, eò quod regnum sit terris & gentibus benè munitum.

QVÆ SEQVENTVR, CORRVPTISSIMA, IN VETERI CODICE TABVLAE GEOGRAPHICAE Orbis Terrarum *adscripta sunt.*

Sciendum quòd huiusmodi Mappa mundi, *non vt cuncta sigillatim contineat, cùm sit impossibile, est descripta: Sed vt quæ in libro,* Secreta fidelium Crucis *intitulato, supra vltramarino negotio edito, inseruntur, Orbis situs ignaris, per eam, quadam sensitiua demonstratione lucescant.*

ASIA, per Orientem discurrens versus Meridiem, vsque ad Nili fluuium extenditur; à Septentrione verò, vsq; Tanay, & brachium Sancti Georgij; à Meridionali mari, vsque ad ortum Solis peruenit: à Occidente, Indo fluuio clauditur; à Septentrione, mõte Caucaso: & est in ea mons *Caspius*, à quo Caspium vocatur mare: inter quod mare & Gog & Magog, fortissimæ gentes ab Alexandro inclusæ dicuntur. Ab Oriente habet Indum fluuium; à Meridie mare Indicum, aliàs rubrum; ab Occidente Mediam; à Septentrione, Yrcanum salum. *Parti* à Syris originem traxerunt, fuerunt enim exules: quod Parti sonat Attica lingua: & hoc iuxta Yrcaniam: deinde fines virtute occupauerunt. In ea, est Syria, Media, & Persia. *Assyria*, dicta ab Asur, ab Oriente habet Indiam: medij tamen sunt Gangarides populi; à Meridie tangit Mediam; ab Occidente Tygrim & Mesopotamiam; à Septentrione Caucasum. Est autem *Caucasus* mons, qui à Caspio mari Orientis attollitur, & per Aquilonem vergens penè vsque ad Europam porrigitur, & progentium ac linguarum varietate in diuersis sui partibus diuersimodè nominatur. Vbi enim in Oriente excelsior est, propter niuem candorem Caucasus dicitur: alibi dicitur *Infates*, alibi *Serapedon*, alibi *porta Caspiæ*, alibi *Mireannus*, alibi *Corasius*, alibi *Siticus*, alibi *Ceraunus*, alibi *montes Armeniæ & India*. Hunc habitabant Amazones Massagetæ, Colci, Sarmatæ. In radice Caucasi superauit Alexander Drancas, Euergetas, Parimas, Parpamenos, Adaspios cæterosque populos. *Media*, dicta à Medo Rege, ab Oriente Caspios videlicet, à Meridie Persidam, ab Occasu transuersa Partiæ regna amplectitur, à Septentrione Armeniâ circumdatur. In vna parte habitant *Saraceni*, in alia vocati Cordijus. Est autem duplex Media, maior & minor. *Persia*, dicta à Perseo Rege, qui ex Græcia transiit, ab Oriente tendit vsque ad Indos; à Meridie Carmaniam quæ Persidi annectitur: ibi Susa oppidum: ab Occasu Rubrum mare; ab Aquilone Mediam. *Sythia*, sicut & Gotia, à Magog filio Iaphet cognominata, à dextra Orientis parte, vbi Oceanus Sericus est, extenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad Occasum; à Meridie verò deinde, vsque ad Caucasum: & subiacet ei Yrcania. *Yrcania*, ab Oriente mare Caspium; à Meridie Armenia; ab Occidente Ybernia, post quam Cappadocia; ab Aquilone Albania: ab Yrcania Sylua nomen accepit. *Albania* sic dicta, eò quòd albo nascantur crine: hæc ab Oriente sub mari Caspio consurgens, per oram Oceani Septentrionalis ad Meotidas paludes per deserta extenditur. *Bactria*, dicta à Bactro fluuio: huius planities propansis montis iugis ambitur, quæ aduersa est pars Indi fluuij; fontibus terminatur; reliqua infundit Ocus fluuius. *Armenia*, dicta ab Armeno vno de numero ducum Iasonis, qui ex Thessalia recollecta multitudine ex iis qui ad Colchos profecti sunt, Armeniam condidit: sita est inter Taurum & Caucasum, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa: habens à Septentrione Taurinos montes & Turcborum prouinciam; Turchos etiam habet ab Occiduo: & est duplex Armenia superior & inferior. Moderni *Sitiam* & *Yrcaniam*, partesque adiacentes, aliter diuidunt, & nominant: ponentes, vbi Sitia, regnum *Catay* quod ab Oriente, habet Oceanum; à Meridie, Insulas Oceani; ab Occidente, regnum Tarsæ; à Septentrione, desertum de Belina. Regnum *Tarsæ*, ab Oriente, habet regnum Catay; à Meridie, ditissimam prouinciam, vocatam *Sym*; ab Occasu, regnum Turquesten; à Septentrione, quoddam desertum. Regnum *Turquestan*, ab Oriente habet regnum Tarsæ; à Meridie, caput deserti Indiæ; ab Occidente, regnum Persiæ; à Septentrione, regnum Coraimiæ. Regnum *Coraimiæ*, ab Oriente, habet desertum quod per centum dietas extenditur; à Meridie, regnum Turquesten; ab Occidente, mare Caspium. Et nota quòd mare de Sara, etiam dicitur Caspium: à Septentrione, regnum Cumaniæ. Regnum *Cumaniæ*, habet ab Oriente, regnum Coraimiæ; à Meridie, flumen quo nullum maius; ab Occasu, Mare Maius, & Tanay; à Septentrione, regnum Rusiæ maior in ea vrbs *Sora* est. Regnum *Georgiæ* habet ab Oriente magnum montem vocatum Albzor, vbi multæ nationes habitant: & vocatur mons, & patria illa *Alania*; à Meridie, habet Armeniam: & extenditur per Occidens versus Septentrionem, vsque ad aliquas prouincias regni Turchiæ: & longitudo eius extenditur super Mare Maius ex parte Meridiei per totum: & diuiditur in duo regna, quorum vnum vocatur *Georgia*: semper hoc fuit subiectum Imperatori Asiæ: aliud vocatur *Abcas*, semper liberum à dominio Tartarorum. De *Syria* & *Ægypto* patet. *Asia minor*, ab Oriente, Cappadociâ cingitur; ab Occidente, Propontide; à Septentrione, ponto Euxino: continet has prouincias: *Bitinia* in Ponti exordio, dicta priùs maior Frigia: in ea sunt Nicomedia, Smirna & Nichea: Bithinia priùs Berica, postea Migdonia dicta est. *Galatia*, pars Bitiniæ data Gallis: & dicti sunt Galatidæ. *Frigia* quæ & Dardania: ab Oriente, habet Lidiam; à Meridie, Licaoniam; ab Oc-

Vel melius, in capite Sancti Vincentii de regno Portugalia.

cidente, Elespontum; à Septentrione, Galaciam: ibi Ylium. *Licaoniam*, & *Cariam*, Herinus fluuius discernit à Frigia. *Lidia*, sedes quondam regnorum; ab Ortu Smirnam habet; ab Occidente, Frigiam: in ea est Tyaryria: Lidia, priùs Meonia dicebatur. *Pamphilia*, inter Ciliciam & Licaoniam media est. *Ysauria*, sic dicta quia vndique auratum flatibus pareat, Metropolim habet Seleuciam. *Licia* ab ortu habet Ciliciam; à Meridie & Occasu, mare; à Septentrione, Cariam: ibi est mons Cymera, qui ignem nocturnis exhalat æstibus. *Cilicia*, à Meridie habet mare Creticum; ab Occiduo, Liciam; à tergo, montis Tauri iuga: Metropolis in ea est Tharsum. *Explicit, de Asia.*

EVROPA, à fluuio Tanay vsque ad fines Yspaniæ porrigitur, & in Insula Gades finitur, continens infrascriptas prouincias. *Sitia* inferior, à Meotidis paludibus vsque Germaniam porrigitur; & propter Barbaros inhabitantes, Barbarica dicitur. Continet autem *Alaniam* partem primam, quæ ad Meotidas paludes pertingit: post hanc, *Datia*, vbi & *Goria*. *Germania*, post Syriam, ab Oriente habet Danubium; à Meridie Renum; ab Occiduo & Septentrione Oceanum: iuxta quod est Germania superior, sicut circa Renum Inferior. *Messia*, ab Oriente hostiis Danubii clauditur; à Meridie, Macedoniæ; ab Occasu, Ystriæ iungitur; à Septentrione, Danubius diuidens à Barbarico vbi sunt Vandali, Rugi, Eruli, Turcilingi, Vinuli, qui postea Ytaliam possederunt, & Longobardi dicti sunt: Scorobotini, Scoringi, Mauringi, Golandi, Aspiti, Bulgares: qui Huni, & Exagora dicti sunt; Rugilandi, Gepiti, Sarmatæ, Sueui, Panoni qui vsque Ytaliam extenduntur: Saxones, Norici, qui & Baioarii: qui ab Oriente habent Panoniam, ab Occidente Sueuiam, à Meridie Ytaliam, à Septentrione Danubium. *Tracia* ab Oriente habet Constantinopolim; à Meridie Egeum mare; ab Occasu Egeum mare; à Septentrione Ystria obtenditur. *Græcia*, olim dicta terra Cetym, secundùm Honorium, & Ylic. generaliter omnis Græcia est, septem infra scriptas continet prouincias. *Dalmatia* est ab Occidente, habens ab Oriente Macedoniam; à Meridie, mare Adriaticum; ab Occasu, Ystriam; à Septentrione, Messiam. *Epyrus*, nominata ab Epyro Achillis filio, cuius pars Aonia, quæ antè Molossia dicta est. *Elades*, nominata à Rege Elena, media inter Macedoniam & Achaiam. Archadiæ à Septentrione iungitur. Eladis duæ sunt prouinciæ, Boetia, in qua Thebæ, & Pelopelensis. *Thessalia*, à Meridie Macedoniæ coniuncta est, cui Pyria à tergo est: In ea est mons Parnasus, quondam Apollini consecratus. *Macedonia*, ab Oriente cohæret Egeo mari; à Meridie, Achaiæ; ab Occasu, Dalmatiæ; à Septentrione, Messiæ. *Achaia*, penè Insula est: à Septentrione tantùm Macedoniæ iungitur; ab Oriente, habet Mirteum mare; ab Euro, Creticum; à Meridie, Ionum; ab Africo, & Occasu, Cassiopas Insulas: huius caput Corinthus. *Archadia* sinus est Achaiæ in Ionum, & Egeum mare exposita: ipsa est Sycionia. *Panonia*, Alpibus Appeninis ab Ytalia secernitur, ab Oriente, habet Messiam; ab Euro, Ystriam; ab Africo, Alpes; ab Occasu, Galliam Belgicam. *Lacedæmonia*, habet ab Oriente Messiam; ab Euro, Ystriam; ab Africo, Alpes Apenines; ab Occasu, Galliam Belgicam; à Septentrione, flumen quod Galliam & Germaniam diuidit. *Italia*, patet. *Germania*, ab Oriente Panoniæ, Vngariæ, & Bohemiæ iungitur à Meridie Ytaliæ. *Gallia*, ab Oriente habet Alpium iuga; à Meridie prærupta Pyrenæi; ab Occasu Oceanum; à Septentrione Renum & Germaniam. *Yspania*, patet.

Vel melius, iungitur Ducatui Athenarum, *qui penè etiam à tribus partibus maribus circumdatur, scil. Ortu, Meridie, vbi plures sunt Insulæ, & Occasu; parsq; Septentrionem respiciens pro magna parte, iacet sicus mare.*

AFRICA, incipit à finibus Ægypti, pergens iuxta Meridiem per Æthiopiam, vsque Atlantem montem; à Septentrione, Mediterraneo mari clauditur, & in Gaditanum fretum finitur: habet prouincias infrascriptas. *Lybia* Tyrenensis, ab Oriente Ægyptum; à Meridie, Æthiopiam & Barbaros; à Septentrione, mare Lybicum; à Occasu, Syrtes maiores. *Pentapolis*, iungitur Lybiæ Tyrenensi, & in eius finibus deputatur. *Tripolitana* prouincia, ab Ortu habet Syrtes maiores; à Meridie, Getulos; ab Occasu, Byzantium; à Septentrione, mare Adriaticum. *Bizacena* prouincia, sub Tripoli, patens passibus cc. millibus; & amplius gleba penè centuplum reddit. *Zeugis*, vbi Cartago, inter Bizantium & Numidiam, à Septentrione, mari Siculo clauditur; à Meridie, vsq; ad Gerulorum regionem porrecta: cuius quæque frugifera, vlteriora serpentibus, onagris & serpentibus plena. *Getulia*, Africæ pars Meditetranea. *Numidia*, incipit à fluuio Ausaga, & in Tengitanum limitem desinit: habet ab Ortu Syrtes minores; à Septentrione, mare quod recit Sardiniam; ab Occasu, Mauritaniam; à Meridie, Æthiopum gentes. *Mauritania Sytifensis*: mauros Græci nigros vocant: prima Mauritaniæ prouincia, Sytifensis à Syrifi oppido nominata. Mauritania *Cæsariensis*, à Cæsarea ciuitate nominata; vtræque prouinciæ sibi coniunctæ: ab Oriente, Numidiam habet; à Septentrione, Mare Magnum; ab Occasu, fluuium Malnara; à Meridie, montem Astringi, qui discernit inter fœcundas terras & terram arenosam vsque ad Oceanum. Mauritania *Tyngitana*, à Tyngi Metropoli dicta, consurgit à septem montibus: ab Oriente habet fluuiũ Malnam; à Meridie, Gaulolum gentes vsque ad Oceanum Hesperum peretrantes; ab Occasu, Oceanum Atlanticum; à Septentrione, fretum Gaditanum. *Garamantis* regionis, caput Garama oppidum fuit: est autem inter Cyrenensem & Æthiopiam. *Æthiopia* dicta à colore populorum, quos Solis vicinitas torret, tota enim sub Meridiano cardine posita est: in Occiduo montuosa, in medio arenosa, ad Orientem plagam deserta: cuius fines, ab Occiduo Atlantis montis, ad Orientem vsq; ad fines Ægypti porrigitur; à Meridie, Oceano; à Septentrione verò Nilo clauditur. Duæ sunt Æthiopiæ: vna circa Solis ortum, alia circa occasum. De *Insulis minoribus*, vide in sequenti pagina.

DE

DE INSVLIS MINORIBVS.

ALIVD verò est memoriæ commendandum, quòd in præsenti *Mappa*, propter sui paruitatem non potuerunt paruæ Insulæ comprehendi? Sed omnes Insulæ in ea, magnæ & notabiles sunt descriptæ. Vt verò de paruis saltem in scripto, aliquid breuiter innotescat, censeo taliter inchoandum. Nam de Venetiis per mare in Romaniam euntibus à parte Aquilonari, *Ylliria* inuenitur, quæ vulgari & communi nomine nuncupatur *Sclauonia*: in cuius *mari Turico*, paruæ Insulæ inueniuntur quasi innumeræ. Et hoc mare cum suis Insulis ad distantiam magnam extenditur: multíque boni portus, nec non & rerum copia, præcipuè de carnibus & piscibus, & de vino alicubi reperitur in Insulis antedictis. Procedendo verò vlterius versus Orientalem plagam in *Achaia*, quæ est pars Romaniæ, à parte Occidentali, plures inueniuntur bonæ Insulæ, quanquam paruæ, sicut *Curfo*, *Cephalonia*, *Lalicata*, *Valdecompar*, & *Iante*. A Meridionali verò plaga Achaiæ, est Insula *Destrualis*: multæque aliæ paruæ Insulæ desertæ in illis sunt partibus, quas nominare nimium longum foret. Item in dicta Achaia, ab Orientali parte, multæ inueniuntur Insulæ, præcipuè inter Cretensem insulam eundo versus Constantinopolim, à parte Aquilonari, à dextris & à sinistris; tam versus Orientalem plagam, quàm versus Occidentalem, inter quas sunt circa x l. quæ vel inhabitantur ad præsens, vel consueuerant habitari: quæ pro maxima parte sunt sanæ & aeris temperati: de quibus xl. sunt decem omninò magnæ præeminentiæ & diuitiarum. Insulæ verò minores, vix sub numero capiuntur, desertæ quidem & habitatoribus destitutæ. Et illud mare in aliqua sui parte vocatur *Agyos Pelagos*, quod apud nos sonat, *Sanctum mare*. In mari verò *Ponto*, quod est vltra Constantinopolim, nulla Insula reperitur: sed istud mare, per quendam structuram earum intrat, & facit mare *Tanay*, quod vulgariter dicitur *mare de La Tana*: ac in circuitu capit milliaria septingenta: Fundus verò, siue altitudo ipsius vsque ad x x x. vel x x x v. pedes ascendit: quod mare quidam dicunt esse *palus Meotides*. Et aliquando adeo fortiter congelatur, vt currus onusti ducantur & animalia super ipsum. A parte verò Meridionali Cretensis Insulæ antedictæ, quæ paruæ sunt Insulæ, vna tamen maior alterâ: *Li Gozi* vulgari nomine appellatæ, de quibus Ypocras dicitur fore natus. In Ægypto sunt solùm duæ paruæ Insulæ, infra mare, propè Alexandriam ad x v i i i. milliaria, appellatæ *Li Bochen*. In Syria autem est Insula de *Tortosa*. De minimis verò Insulis, non est mentio facienda. In Africa sunt aliquæ paruæ Insulæ, specialiter illa quæ dicitur de *Colombis*, & illa de *Pantarcha*, quæ non habitantur omnino. Sed Insula de *Li Cerbi*, est magnorum fructuum, & multùm habitata, & sub dominio illorum de Sicilia detinetur. Inter Siciliam & Africam sunt duæ Insulæ, scilicet, *La Malta*, *El Golzo* de la Malta: vtique bonæ, & magnorum fructuum. A latere verò versus Occidentem, est Insula vocata *La Pantalaria*. Aliæ etiam Insulæ partim sunt propè Siciliam, nominatæ *Vulcanum*, & *Vulcanellum*, & *Lipparis* ibi propè: quæ Insulæ Vulcanum & Vulcanellum, continuum ignem habent. Circa Siciliam sunt plures Insulæ paruæ & desertæ. In Principatu Capuæ propè Neapolim est Insula, *Esca* nomine, habens nauticos viros multos. Sunt & aliæ duæ Insulæ inibi, nomine *Capreæ*, & *Procidá*. Circa partes Pisanas est Insula *Elba* nomine, in qua fit ferri non modica quantitas. Inter Sardiniam & Africam sunt Insulæ *Sancti Petri*, & *Galatæ*, habitatoribus destitutæ: in quibus aqua & ligna inueniri possunt. Post has à parte Occidentali est Insula *Minorica*, & Insula *Euiza*; & alia parua apud ipsam, quæ dicitur *Formentera*, desolata: & hæ duæ, post *Maioricam*. Post has Insulas per totam Yspaniam & Granatam, vsque ad Insulam *Gades*, nulla alia Insula reperitur. Vltra Gades per regna Yspaniæ, Portugaliæ & Galiciæ, non inueniuntur Insulæ alicuius valoris. Circa partes Angliæ, Yberniæ & Scotiæ, sunt multæ Insulæ, quarum mihi nomina sunt ignota. Circa partes Daciæ, & maximè in mari quod apud indigenas *Orientale* vocatur, sunt valdè multæ bonæ Insulæ, benè habitatæ, quæ regno Daciæ sunt subiectæ. In partibus regnorum Sueciæ & Norwegiæ, sunt quamplures Insulæ subiectæ regnis prædictis. De Insulis verò quæ sunt marina littora, & de Insulis lacunarum, stagnorum, siue etiam fluuiorum, feci alibi mentionem.

SEQVENTIA IN VETERI CODICE TABVLÆ Geographicæ Terræ Sanctæ *subscripta* leguntur.

TOta terra à monte Libano per latus Occidentale Iordanis, vsque Capharnaum, & inde per Saphet & Kabul & Toronum redeundo ad Libanum, vocatur *Tiurea* & *Galilea superior*, & *Galilea* gentium, & *terra Kabul*, & *terra Rob*, & *saltus Libani*: & fuit pro magna parte de regione Decapoleos.

B.

Tota terra à Tyberiade per Betsan, & montem Effraym vsque Magedo, & inde per caput Carmeli, & montem Tabor, & Betuliam, vsque in Tyberiadem redeundo vocatur *Campus Magnus Esdrelon*, vel *Campus Faba*, siue *Magedo*, vel *Galilea inferior*, & *planities Galilea*.

C.

Tota terra à Cæsarea Palestinæ vsque Iopen, & inde transeundo per Tampna Cæsaræ, & redeundo per Caco vsque Cæsaream, dicitur *mons Effraym*, licet sit terra campestris, & *Saron*, de quo dicitur Yſ. *Factus Saron sicut desertum*, & est terra fertilis valdè, & pinguis, habens villas multas, & loca nemorosa, & maximè circa *Azotum*: sunt què ibi leones multi, & venationes Regiæ.

D.

Amon extenditur supra mare mortuum, & circuitus eius latus Australe, vsque ad montem Seyr, qui est vltra Mare Mortuum ad tres dietas, in confinio vbi habitauit Ismaël socer Esau, & coniungitur deserto Pharan, habens à latere desertum Synay, & Mare Rubrum: & est iuxta Cadesbarne. Et sciendum quòd ab ortu Iordanis sub Libano vsque ad desertum Pharan, ex vtraque parte fluminis, sunt campi lati, & amœni, sed circumdati altissimis montibus. *Mare* autem *Mortuum* secundùm Iosephum habet 586. stadia. i. 73. milliaria & stadia ij. secundùm Saracenos, dietæ quinque; & inde vsque ad Mare Rubrum, v. dietæ, cum quo putant continuari Mare Mortuum per aquas *Maræ*, de quibus *Ex. 15.* finis autem apparens est in deserto Pharan: & dicunt quidam, aquas Iordanis, aquis huius maris non misceri, sed potiùs à terra absorberi. Sed Saraceni dicunt quòd verè ingreditur & exit: & mare ipsum crescit, & decrescit, secundùm habundantiam resolutionis niuium & pluuiarum, & siccitatis.

E.

Desertum Cades, vnde miserunt filii Israel exploratores, qui post xl. dies, huc redierunt, & murmurante populo, iussi sunt redire in desertum per viam maris Rubri, & post xxx. annos redierunt ad locum istum: vnde mouentes castra contra Orientem, circuierunt montem Seyr & terram Amon, & captâ terrâ Seon Regis Esebon, & Og Regis Basan, venerunt ad Iordanem contra Iericho.

MARINI

Oriens.

Occidens.

Meridies.

Septentrio.

Grecus

Syrius

Albania.

Yrcania

Mare

Georgia

Tenay

Scotia

Anglia.

Hungaria

Germania

Francia

Hispania

Italia

Libardia

Gallia

Nubia

Regio hiemis et caloris

Gaetulia

Regio viz mimis.

Lacus Asphaltites

Mare Rubrum

Garamantes

Scythia

Sarmatia

Polonia

Prussia

Suecia

Gothia

Norwegia

Dacia

Thracia

Graecia

Turcia

Arabia

Persia

Caldea

Colchis

Tartaria

India

Castilla

Portugal

Barbaria

Libia

Egyptus

Alexandria

Dimidia tribus Manaſſe

Trib: Gad

Trib Ruben

Trib Aſer

Trib Iuda

Trib Beniamin

Dimidia tribus Manaſſe

A


B


C

D

E


70 75 80


Partia extendit ult tygrī usq ad mōtē Sinā
SYRIA
MESOPOTAMIA
SYRIE
Tigris
Rages
Cal
Cobā
Babilonia
Carnala
Antiochia
Nazarez
Culsum de risu
Sragmum
Rasagaxaron
Faramia
Damiata
Alexandria
Culsu arabum
Rosetta
Culsum de risu
Ydumea
mōs Seyr
mare Rubrum
Castrū de gisse
Istas y turres fecit pharao
Honori Egyptus


Templ' Aslaten ydoli sydonicy
Bethania
Ficus cui xps maledixit
Templ' moloc ydoli habitary
Mās Syon
Agonia
Iudas ꝟ prodidit
Fons Torrentis Cedron
Vall' tophet
Fons ryogel
Fons Syle
Piscina Syloe
Arca Sepli
Domus Sal'mis
Ciuitas bruit in gira eam Iosephum stadia. xxx.
Dom' Pilati
Iesum
Caluaria
Sep' Dñi
Templ' D'.
Piscina superior
Fons gion Inferior

V

Civitas Acon sive ptolomayda



MARINI SANVTO, DICTI TORSELLI,

EPISTOLÆ.

Sanctiſſimo in CHRISTO *Patri ac domino, domino* IOHANNI, *Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici,* MARINVS SANVTVS *dictus Torcellus de ciuitate Riuoalti, de Parochia Sancti Seuerii de Venetiis: cum reuerentia debita & humili, pedum oſcula beatorum.* Quia curſus temporis, ſolicitudoque ardua interdum obliuionem inducunt, nouerit veſtra Paternitas ſanctiſſima, quòd ille Marinus, veſter filius ego ſum, qui præſentaui vobis librum *Secretorum fidelium Crucis*, & *Mappas* mundi, qui eſt tam pro fidelium conſeruatione, quàm conuerſione, vel cõſumptione infidelium: quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctã, & alias multas terras, DEO dante, in bono ſtatu pacifico ac quieto. Et ideò dum conſidero continuè magnã deuotionem & etiã ſolicitudinem quam habuit veſtra Sanctitas, quando præſentaui ei librum & mappas mundi prædictas, vt examinatẽtur continuè & fieret vobis fide digna relatio de eiſdem: aduertẽs etiam benignitatem humanã quã domino Cancellario, olim nuncio Illuſtris domini *Regis Armeniæ*, ſuper negotiis DEI & Terræ Sanctæ eadẽ veſtra Sanctitas exhibebat: veſtræ Celſitudini magnificæ ſcribere moueor confidenter. Et ſpero firmiter, quòd veſtra altiſſima caritas, diuiſa vniens, diſperſa congregans, confracta conſolidans, confuſa ordinans, & imperfecta conſumans, Terræ Sanctę negotia executioni proſperè demandaſſet, niſi circa bonum ſtatum & pacificum Chriſtianorũ ciſmarinorũ partium fuiſſet tam ſedulè occupata. Scio, & mecum ſciunt omnes Catholici Chriſtiani, quòd veſtra intentio fuit & eſt ſanctiſſima: Sed mihi, veſtro filio humili & deuoto, ſaluo ſemper veſtrę præclariſſimę Sanctitatis iudicio, tunc videbatur, & videtur ad præſens, quòd vt pax inter iſtos ciſmarinos celerior & ſolidior habeatur, primò eſt incipiendum ab opere DEI & Terræ Sanctæ, vt ſcriptum eſt in libro ſupradicto Fidelium Crucis, *in II. libro, in parte II. eiuſdem libri*, & in pluribus capitulis, & maximè in *capitulo vltimo* ſuæ partis. Non enim poterit prædictum opus DEI in tam modica potentia inchoari, tenendo dicti libri ordinem, quin magnus effectus, inſuperatusq; & placitus ſequeretur. Et quia iuxta promiſſionem Euangelicã Domini Saluatoris; *Omni pulſanti aperietur*, ſi pulſauerit pulſans: Ideò ſto pulſans ad hoſtiũ veſtræ clemẽtiæ paternalis, in quo eſt clauis Dauid & ſceptrum domus Iſraël; qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit. Nec mirũ: a DEI enim Filio ligandi atq; ſoluendi eidem clementię Pontificum eſt commiſſum. Et perſeueranter, Pater ſancte, pulſare deſidero, quòd DEVS totius conſolationis ad honorẽ vnigeniti Filii ſui crucifixi, cuius vices in terris geritis, ſicut nobis velle ſanctũ adiacet; ſic & perficere largiatur, vt claue miſericordię poſſitis aperire gratiam, & auxilium impendere pro defenſione Armenorũ, aliorumq; vobis fidelium iuxta Terram Sanctã degentium, ac debilitatẽ infidelium paganorum. Et, vt audeo, dictæ veſtræ clementiæ ſanctitati, *Ambaxatores Regis Armeniæ*, eiuſdemq; populi, ac eorũ perurgẽtia negotia recommẽdo. Verùm, vt dictæ terræ Armeniæ, vobis negotia ſæpedicta facilius imprimantur, primò propono eorum grauamina, adiiciens poſteà opportuna remedia, excludẽs finaliter quoddã dubium tacitũ, quod poſſet forſitã dicta negotia felicia retardare. Armenorũ ſubſcripta ſunt grauamina; Viuunt ſub tributis intolerabilibus, quæ infidelibus prophanis perſoluunt; & innumerabilibus anguſtiis aliis cum timoribus continuis cõprimuntur: quòd licet iam habeant licentiã à Soldano rehedificandi terrã *de Laiazza*, cũ caſtro ſuo de terra, nõ tamen permittitur eis reædificare caſtrum de mari, cuius reædificatio eis perneceſſaria iudicatur. Remedium contra iſta nocua eſt veſtra Sanctitas ſingulare, ſi dignetur præcipere diligẽtem maris cuſtodiam fieri

Matth. 7. 8.

per Fideles, prout in libro ſcribitur ſupradicto: quam cuſtodiam pauci facerẽt, modo debito ordinati. Et tunc terrę Armeniæ, Romaniæ, omnesq; circumſtantes aliæ, ſtarent ſolitæ & quietæ. Iſta namq; cuſtodia Græcos ſciſmaticos ad vnitatẽ veſtræ ſanctæ matris Eccleſiæ reduceret: Chriſtianis ciſmarinis cauſam pacis induceret; portãtes & reducẽtes mercimonia de Cypro, & alios qui fingunt ſe à veſtra Sanctitate habere licentiã portandi conſimilia mercimonia ad partes Soldano ſubiectas, cęteros etiã Chriſtianos inobedientes & infideles, ne in Chriſtianorũ inobedientiũ nauigarent diſpendiũ impediret; & potentiã infideliũ infirmaret continuè, & Catholicos roboraret: & per cõſequens per defenſionem cuſtodiæ antedictæ reædificaret Rex Armeniæ caſtrũ de mari quãtumcunq; Soldanus impiè reclamaret. Maximũ verò miraculũ fuit, Quòd Redẽptor noſter, amiſſis tertis de *Laiazi*, ac caſtris tã de terra quàm de mari, regni Armeniæ reſiduũ conſeruauit. Vnde videtur quòd Diuina clementia illam partem ſeruare diſpoſuit, ne Chriſtiani de recuperatione, ſi tota fuiſſet perdita, diſperarent: & partẽ prædictam aliã ab infidelibus occupari permiſit, vt ſaltẽ propter pœnã damni paſſi, fideles circa maris cuſtodiã quam prius ſuã per ignauiam neglexerant, de mandato ac ordinatione clementiſſimæ veſtræ Celſitudinis diligentiùs vigilarent. Et quia in primo aſpectu poſſet dubitari, quòd prædicta cuſtodia foret veſtrę Dominationi altiſſimę nimiùm ſumptuoſa, in veræ fidei conſcientia reſpondeo, quòd nõ eſſet: ſed affirmo veriſſimè, quòd de cuſtodia illa ac negotiis aliis ad ſæpedictã Terram ſanctã pertinentibus magnus theſaurus vobis ac ſanctiſſimæ veſtræ Romanæ Eccleſię peruenirẽt, vltra expenſas quas vobis contingeret exhibere. Modicum principiũ debitè ordinãtũ, manu multiplicãte Dominicã, citò creſceret in immenſum. Meã ſeruitutem humilẽ promptam, quanquã infimã, pro bono ſtatu veſtro DEVM rogantem, ſcedulæ veſtræ Celſit. ſanctiſſimæ recõmendo. Data *Venetiis*, An. Domini noſtri IESV CHRISTI, MCCCXXIV. de menſe Dec. *Quæ litteræ fuerunt duplicatæ: & credo firmiter quòd fuerunt benè præſentatæ.*

An. Dom. 1324.

11. *Reuerendo in CHRISTO Patri ac domino ſuo, domino* tali, vel tali, *Diuinâ prouidẽtiâ tituli* talis, *Presbytero Cardinali*, ſi ſit Presbyter, vel *Diacono Cardinali*, ſi ſit Diaconus, *Marinus Sanuto, dictus Torcellus, de Venetiis: cum recommendatione humili ſemetipſum.* Quomodo inimicus homo in terris Chriſtianorum plurimis, iam diſcordiarũ ſuperſeminauit zizania, & ſeminare quotidiè nõ deſiſtit, ita quòd in eorũ cordibus abdicatâ pace eis quondam nuntiata per Angelos, ſpinæ & tribuli ſubcreuerũt, veſtram exiſtimo Reuerentiam non latére: & maximè in Lõbardia, & Tuſcia, & quaſi in tota Italia nequiter ſunt iã ſparſa. Et licet dominus noſter ſummus Põtifex, viſus fuerit intẽtione rectâ bonum ſemẽ in agro Eccleſiæ ſeretere ſacroſanctę, & diſcordes in vnitate cõcordiæ adunare, ſaluo maiorũ iudicio ſemper videbatur mihi, veſtro filio humili & deuoto, & etiam videtur ad præſens, q; vt eradicẽtur tã prudentiùs quàm celeriùs illa zizania maledicta, ab operæ DEI & Terræ S. negotiis eſt primitùs inchoandũ, prout ſcriptũ *in libro Fidelium Crucis*, quẽ cum *Mappis mundi* veſtræ Magnif. præſentaui; & ſpecialiter *in II. libro, in parte II. eiuſdẽ II. libri*, & in pluribus capitulis, & maximè in *cap. vlt.* ſuæ partis. Qui quidẽ liber Secretorum Fidelium Crucis eſt tam pro conſeruatione Fidelium: quam pro cõuerſione vel cõſumptione infideliũ, quàm etiã propter acquirendã & tenendã Terram S. & alias multas terras, DEO dãte, in bono ſtatu pacifico & quieto: per quorũ negotiorum inchoationẽ ceſſarent lites & iurgia, ſpoliationes & homicidia; terrarumq; diſcordiæ ſedarentur; & in malis aliis ſuccederet proſperitas opportuna: ſubtractionesq; mercationũ, per quas tã eccleſia quàm regna ſecularia fouebatur, priſtinũ redirent ad ſtatũ: & ceſſarẽt guerrarũ diſcrimina prælibata, quibus cõmunitas fideliũ quo ad theſaurorũ, & quo ad numerũ iam mirabiliter infirmatur. Nec mirũ: deſtructio mẽbri minimi in corpore naturali, ſicut meliùs me nouit veſtra intẽtio, dominatio circũſpecta, in totũ illud corpus naturale redũdat: quãtòmagis corpus infirmabitur per pluriũ & maiorũ mutilationẽ mẽbrorũ: ita vt in corpore CHRISTI miſtico, in quo alter alterius mẽbra ſumus ſinguli conſtituti. Et ideò dum predicta mẽbra per guerras huiuſmodi terrã mariq; ſe mutuò ſpoliãt & interſecant, tã Eccleſia ſancta, quàm alia Chriſtianorũ regna & dominia per prædictarũ ſubtractiones mercationũ, quæ per *Lõbardos* & *Tuſcos* cõmuniter ſolẽt fieri, detrimentũ nõ

modicum

modicum patiuntur. Quia verò in negotiis arduis, est primis periculis virtute prudentię occurrendũ: ideò ante generale passagium, Armenis, qui infidelibus sunt affines, est primitùs succurrendum. Ipsi namq; Armeni tributis intolerabilibus, quæ soluunt paganis, timoribusq; grauibus, & periculis continuis cõprimuntur, ad quorum remedium requiritur necessariò diligens maris custodia per fideles: prout in libro *Secretorum fidelium Crucis* scribitur supradicto: quam custodiã, secundùm ciusdem libri tenorẽ & ordinem, pauci facerent, modo debito ordinati in stipendiis, & benè armati, & defensibiles in galeis: nõ superbi, & de sua virtute gloriantes; sed cõcordes & humiles, quos in cœlo DEVS respicit & in terra, cũ mansueto Capitaneo, casto, fideli, strenuo, DEO deuoto, oculato, non cupido, pio & prouido, DEI virtute optimè gubernarent. Per hãc siquidem custodiam terræ Armeniæ & Romaniæ, & terræ aliæ fidelium circumstantes, starent solidè & quietè: Græcos verò & scismaticos reduceret ad obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ: Cismarinos vt dictum est, ad vnitatem pacis & concordiæ: & Christianos inobedientes & infideles, etiã qui nauigant, portantes denique mercimonia de Cypro & reducentes, nec non alios qui fingunt se mendaciter habere licentiã à summo Pontifice portandi merces cõsimiles ad partes Soldano subiectas, ne in Christianorum nauigarent dispẽdium impediret: & magnam partem Christianorum in vltramarinis partibus degentibus in valdè magnis periculis conseruaret: & infirmaret continuè potentiam infidelium paganorum. O quàm dignè iustorum esset adscribendus catalogo qui tot niteretur mala deprimere, & pro CHRISTI amore tanta bona cœlestia promouere! Si verò dubitaretur, quòd ista custodia & Terræ Sanctæ negotia sæpedicta forent domino nostro summo Pontifici nimium sumptuosa. Respondeo breuiter & fideliter, quòd nõ: sed potiùs asserо, quòd si dominus Papa, aut Rex aliquis, vel Princeps magnus, de eius cõsilio & auxiliò illa negotia inchoaret, plus de pecunia acquireretur, quàm per eos expẽdere oporteret, iuxta libri ordinem, & cedulæ in Gallico, quam vestræ Magnificentiæ tradidi reuerẽdæ. Nihil enim deficit nisi principium debito ordine inchoandum. Nam qui nunquã incipit, nunquã finit: & finis necessariò deficit, vbi principii defuit inchoator. Quia verò saluatio vsque in finẽ perseuerantibus ab ipsa *Matt.24,13.* Veritate promittitur, atque perseuerãter pulsantibus clausum hostiũ aperitur: hinc est quòd à iuuentute mea vsque nunc cum magnis laboribus & expensis non cessaui à peritis petere consilium ad Diuinum ampliandum honorem; & quęrere solicitè modum ad infirmandum paganorũ superbiam & tumorem, ac etiã pulsare Prælatos & Principes ad Terræ sanctissimæ cõquisitionem: dicente Domino: *petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis:* Omnis enim qui petit benè perseueranter, accipit: & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperitur. Vnde ad vestræ karitatis hostiũ per præsentes litteras sto, & pulso: quatenus Crucifixi intuitu, cuius causa in hac parte agitur, sic curetis, quantũ in vobis est, & etiam quo ad alios, dicta negotia promouere: vt per bona vestra opera, sacras exhortationes & consilia, vices possitis rependere cõgruas sanguini Redemptoris. Cæteris postpositis, primò quærendũ est regnum in quo secundùm carnem DEI filius nascebatur: sed primò, sicut ad sensum perspicitis; alia quotidiè quærimus, & semper deficimus; quia debitum ordinem non seruamus. Dominationem vestram Venerabilem conseruet Altissimus per tempora longiora: cui si seruire possim in aliquo sum paratus. Data *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI MCCCXXV. *A. Dñi.* 1325.

III. VEnerabili *in* CHRISTO *Patri ac domino suo karissimo, domino* Ingramo, *Diuinâ prouidentiâ Archiepiscopo Capuæ, ac Cancellario excellentissimi domini Regis Hierusalem & Siciliæ,* Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Ciuitate Riuoalti de Venetiis, de Parochia Sancti Seuerii confessoris: seipsum cum omni reverẽtia recommendatione & promptitudine famulandi.* Reuerende Pater, vestra nouit sapientia circumspecta, quòd in Ecclesiastico scribitur: *Oculi sapientis Prælati sancti, sunt oculi Ecclesiæ dignissimi:* qui in capite CHRISTO aspectum suum & affectũ firmiter collocant: vt in viã caritatis & pacis rectè ducant & dirigant cætera membra CHRISTI. Et quia intellexi quòd per vestrã paternã dilectionem, & oculatã circumspectionẽ, *Veneti*, cum ad vos venerint, in magnum caritatis augmẽtũ, tam a Celsitudine Regia, quam à domini Ducis filii sui magnificẽtia, & subdito-

rum etiam beniuolētia, in ſuis negotiis omnibus fauorabiliter ſunt tractati, gaudeo & vobis regracior in quantum poſſum. Et ſicut oculus, membris dolentibus compatiens, lachrymatur; ſic Prælatus, inſpectis CHRISTI miſeriis in ſuis membris, erumpere debet in lachrymis compaſſionis: exemplo Ieremiæ Prophetæ dicentis:
Ier.13,17. *Educet oculus meus lachrymas, quia captus eſt grex Domini*; & alibi dicit: *Plorabo die ac nocte*
Ierem.9,11. *interfectos populi mei*: Hinc eſt quòd aduertēs veſtrā compaſſionē in fide bona quam habuiſtis & habetis ad Terræ ſanctæ negotia & ad mēbra CHRISTI, Chriſtianos videlicet, tā in Terra Sancta, quàm iuxta eam in mortibus & periculis aliis plurimis conuerſantes, affectans etiā quamplurimùm ampliationem & exaltationem domini Illuſtriſſimi domini noſtri, domini Regis Ieruſalē & Siciliæ, veſtræ ſcribo reuerētiæ, quædā rationabilia & quædam mirabilia, quædam noua mutabilia per preſens. Quantū ad rationabilia, ſciunt omnes quòd Illuſtriſſ. dominus *Rex Siciliæ*, opus DEI in negotiis Terræ S. promouere præ cæteris Regibus obligatur: Primò, iure tituli, quòd Rex Ieruſalem nuncupatur: Secundò, ratione profectus multiplicis quem ex hoc ſpecialiter conſequeretur: ſic nēpe coherceret Turchos, & alias gentes malas, quæ per mare trāſeunt, per quos principatus Amoreæ, & ſuorum ſubditorū Inſulæ grauiter moleſtātur. Tertiò, propter donū ſapientiæ quo præ aliis ad Diuini operis in Terra ſancta exercitū præcipuè illuſtratur. Quartò, ratione adiūcti: quia terra de qua loquimur, Terra ſancta dicitur. Et cùm Rex noſter ſanctos habuit ſtipites patrē ſuū & matrem, & etiā ſanctos produxit palmites, domus ſua tenetur rationabiliter, imò etiā vt ita loquar, naturaliter præ cęteris Regibus & Principibus Chriſtianis, vt dictū eſt, efficaciter agere erga ſanctiſſimū patrem noſtrū dominum ſummū Pontificē, quod cum omniū Chriſtianorum auxilio, ad DEI honorem iſta ſæpedicta negotia Terræ ſanctæ, quæ de iure ſua ſunt, & ſancta præ omnibus negotiis aliis, executioni celeri demādentur. Credo firmiter, & crediti, & patet cuidentiùs per eorū operas & labores, quòd tā ſanctus pater noſter ſummus Pōtifex, quàm dominus Sicilię Rex Illuſtriſſimus, piam ſemper intentionē ad pacificandam Italiā habuerunt;
Matth.6,33. Sed videtur primò quærendū eſſe regnum DEI, iuxta conſiliū Saluatoris: *Quærite*, inquit, *regnū DEI: & hæc omnia adiicientur vobis. Regnū*, inquā, in quo ſecundùm carnē DEI filius naſcebatur, & vt Iudæorū Rex adorādus à Regibus quęrebatur, quod nobis Chriſtianis CHRISTI ſanguine dedicatur: *& hæc omnia adicientur vobis*: quæ ordine præpoſtero tā ſolicitè quærimus, & ſemper deficimus, eò quòd à recta regula declinamus: ſecūdùm illud quod ſcribitur in libro *Fideliū Crucis*, & Mappis mūdi, quē habet inclytus Rex Sicilię antedictus, qui eſt tā pro cōſeruatione fideliū quàm conuerſione vel conſumptione infideliū quanquā etiam pro acquirēdo & tenēdo Terrā ſanctā, & alias multas terras, DEO dāte, in bono ſtatu pacifico & quieto. Sed proh dolor! in iſto ſacratiſſimo negotio dormiunt quidē multi quorum oculi inundanæ poſſeſſionis puluere ſunt grauati: Et quia dictæ Terræ ſanctæ negotia nō vigilauerunt, ideò per orbē terrarum in tentationes diſcordiarū, & in perditiones terrarum ſuarū multi Chriſtianorū Reges & Principes intrauerunt, quos excitat Dominus in
Matt.26,41. Euangelio dicens, *Vigilate & orate ne intretis in tentationē*. Inuiſa mirabilia diebus iſtis apud nos mirabiliter acciderunt: ſurrexerūt enim duæ formicæ de puluere, *Caſtrucius* videl. & *Galeacius*, qui Lombardiam & Tuſciam cōmouerunt. *Terra profectò mo-*
Prou.30,21. *uetur per ſeruum cum regnauerit*: iuxta prouerbium Salomonis. Quomodo autē ſunt iſti tam mirabiliter eleuati de nihilo, & quid diebus iſtis fecerunt, meliùs nouit veſtra Diſcretio, quàm ſcirem ei exprimere per ſcripturam. *Caſtrucius* enim infra XVI. annos cum duobus equis fuit ſtipendiarius in Verona: quorum vnus, ſibi dabatur; de fiſo verò alterum acquiſiuit. Poſtmodum autē dominus Dux & Communitas Venetorū ſtipendiariis equeſtribus indigebant, vnde acceperunt iſtū Caſtrucium de Verona, & conſtituerunt eum Conſitabularium equeſtrem, ſtipendium de medio anno præ manibus dantes ei, & præter hoc mutuauerunt ſibi CCC. florenos aureos, per quos ſeruitium ſuum Iuſtinopolim cum XXVI. hominibus equeſtribus obtinebat. Completo mēdii anni ſtipendio, dicta Venetorum communitas multos de illis ſtipendiariis dimiſit, & reliquos etiam retinebat. Vnde Caſtrucius antedictus ne rediret ad elimoſinas illorum *de la Scala de Verona*, rogauit quendam nobilem pro DEO, qui erat Poteſtas ibidem, quòd poſſet remanere ſtipendiarius ad Communitatis ſeruitiū ſupradictæ. Et ſic bono tēpore per ſuas preces importunas remanſit: recedens indē poſtea, de gratia dimiſit ibi quendam ſuum auunculum loco ſui: &

interim

interim dominium Lucanæ ciuitatis accepit, quam ciuitatem possidet modò ad cũ circumstantibus illam aliis terris multis. *Galeacius* verò *Vesconte*, fuit non diu est Venetiis cũ vxore suâ satis humilis & abiectus, cui Veneti, suæ magnæ indigentiæ tempore, quasi pro elimosina, centum libras Venetorum grossorum dederunt, quæ ad mille aureorum florenorum ascendunt. Sed hoc dicti Veneti sibi propter patris sui honorem fecerunt; eò quòd dictus pater suus inter Venetos & Ianuenses nitebatur continuò pacẽ componere, quando primò in Mediolano dominiũ obtinebat. Post hæc modico lapsu tẽporis, manu armatâ fuit Ferrariæ aspere cõtra Venetos: iterum quando fuit factus dominus Placentiæ, contra dominũ Ducem & communitatem Venetorum arroganter se habuit: Et sic talia pro priùs receptis beneficiis obsequia repẽdebat. Sciatis ad hæc, quòd istæ guerræ Lombardiæ & Tusciæ, nõ solùm terras ipsas damnificãt; imõ Christianorũ regna cætera indè recipiunt magnũ damnum. Dominus Rex Franciæ, & regnum suum; dominus Rex Angliæ & Regnum suum; Alemanni similiter, & Lorenæ, eò quòd mercationes quæ solebãt per Lõbardos & Tuscos fieri iam decidunt, detrimentum non modicum cum regnis aliis patiuntur. Et vt sensibiliter ista meliùs pateant; Sciat vestra prudentia circumspecta, quia propter guerras prædictas, & specialiter propter grauamen ciuitatis Florentiæ in onere 1x. galearum Venetarum, quæ fuerunt oneratæ pro parte de lana, hoc anno in Barbantia damnificantur mercatores in xxxv. millibus florenorum auri, & vt experti asserunt, benè vltrà; absque damnõ recepto de aliis mercimoniis generalibus mercatorum vndecunque Venetiis confluentibus, quod multò latiùs se diffundit. Regnum etiam prælatum domini nostri Regis Ierusalem & Siciliæ, recipit damnum magnum de pinguedine videlicet quæ indè extrahitur, oleo, carnibus salitis, caseo, amigdolis, ficubus, cumino & rebus aliis, quæ propter Alemanorum & Lombardorum depressionem, pro istis guerris, solitam expeditionem non habent. Quibus omnibus ponderatis credo, vt prædictũ est, quòd ad omnium fidelium pacem sit necessariũ quòd opus DEI, & Terræ Sanctæ negotia inchoentur. Et nõ dubito quin ex huiusmodi inchoationis deuotione cessabunt lites, & iurgia: & terrarum discordiæ sedabuntur; & in malis aliis, DEI gratiâ Christianis eueniet oportunum remedium & optatum. Scripsi nuper domino summo Pontifici suam sanctitatem commemorans de Terræ Sanctæ negotiis antedictis: cuius tenorẽ de verbo ad verbum in littera interclusa vobis transmitto. Noua quæ habeo de Romania per hominem fide dignũ & sciolum qui venit de Nigroponte, sunt ista: Dicit quòd *Athenarum Ducatus* quamplurimùm est ditatus, & quòd *Catellani*, qui dominantur ibidem, acquisiuerunt, & tenent in *Blachia*, *Laputer*, & castra *Locorichi* & *Sidero-Castri*, *Gitonis*, *Cardichie*, *Donchie* & *Ferselle*. Et quidam Græcus qui tenet castrum de *Latrichala* & *Cassoria*, & plura alia atq; terras. Est etiam alter Græcus, qui *Signorinus* nominatur, qui tenet castrum de *Samicolo de Castinni*, super flumine Solembriæ in contrata Achiliç; & castra alia atque terras: & isti duo Græci tenent cum Imperatore. Est etiam quidam Græcus tertius, qui vocatur *Missilino*, qui tenet castrũ *del Casseri* & *de Liconia*: & videtur quòd iste contraxerit parentelã cum Catellanis, eò quòd tradidit sororem suam in vxorem Marescalco Catellanorum: & videtur quòd fecerit ei fidelitatem, non tamen quòd in eius manibus se sic ponat. *Veneti* habent vnum castrum iuxta mare in Blachia, nomine *Vetenli*, quod de bona voluntate & sua licentia reliquit eis Imperator Græcorum, qui obtinuissent cum aliter Catellani. DEVS mittat hanc pestem patriæ Blachiæ supradictæ, quia ipsa miserat quoddam genus, *Albanensium* gentis nomine, in tanta quantitate numerosa: quæ gens omnia quæ erant extra castra penitùs destruxerunt, tam eorum quam Catellanorum fuerunt, quam etiam eorum quæ tenebantur à Græcis: & ad præsens consumunt & destruunt taliter, quòd quasi nihil remansit penitùs extra castra. Catellani & Græci fuerunt quandoque simul ad expellendum Albanenses illos, sed nullatenus potuerunt. Dicitur etiam quòd Albanenses illi volebant recedere à patria supradicta, scilicet Blachiæ: quibus recedentibus occurrebant alij eiusdem gentis plurimi, dicentes illis: *Quare hinc recedits?* Responderunt, *quia non potuimus hic aliquod fortilitium obtinere*. quibus illi addiderunt dicentes: *Nolite hoc facere, quia multi cum vxoribus & filiis in vestrum adiutorium huc venimus; & ideo omnes simul ad partes Blachiæ redeamus.* Et sic omnes pariter sunt reuersi. Istam inuasionem Albanensium vtilem fore

reputo illis qui confines ſunt Catellanis prædictis. Qui quidem Catellani, ſi non haberent laborem & exercitum extrinſecum, nimis efficerentur diuites in grauamen & tædium vicinorum. Et ideò bonum eſt ad præſens cautè pericula præuidere. Nã *felix eſt quẽ faciunt aliena pericula cautũ.* Præterea videtur quòd iſta hyeme Turchi cucurrerint cũ ſuis nauigiis ad Inſulam *Nigropontis*, de quâ gentes quas ibi ceperant abduxerunt. Dicti etiam Turchi ſemel cucurrerunt *Nichſiam*, quæ eſt terra domini Nicolai Sanuti, qui tunc erat in Amorea cum Principe: ſed armata quam fecerat ipſos quærendo circuiuit, nec de ipſis aliquos potuit reperire. Veſtræ reuerentiæ ſupplico quatenus dignetur dominis meis Illuſtribus, domino Regi ac domino Duci me veſtrum filium commendare, ſicut decreuit melius conuenire. Et ſi pro ſua dominatione, paternitatéue veſtra mihi deuotiſſima, poſſim quædam facere, quæ ſint grata, præcipiat dominus & pater; & paratus ero in honorem DEI, domini & patris, communitatisque meæ prompto animo obedire. Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRISTI MCCCXXV.

A. Dn. 1325.

IV. *VEnerabili in CHRISTO Patri ac domino ſuo kariſſimo, domino* Guillelmo, *Diuinâ prouidentiâ Epiſcopo Mematenſi & Comiti Gabalitani, & procuratori Paſſagii, & ſociis ſuis in eodem negotio conſtitutis, quibus ſibi communicare placuerit:* Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Ciuitate Riuoalti de Venetiis, de Parochia Sancti Seuerii confeſſoris, qui dedit domino Regi Franciæ, & ſibi librum Secretorum Fidelium Crucis & Mappas mundi, qui eſt tam pro conſeruatione fidelium, quàm pro conuerſione vel conſumptione infidelium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam, & alias multas terras, DEO dante, in bono ſtatu pacifico & quieto: cum ſui recommendatione humili, & promptitudine famulandi.* Nouerit veſtra prædilecta paternitas, quòd, licet vobis pluries ſcripſerim pro honore DEI, & vniuerſali vtilitate Chriſtianorum omnium in negotiis Terræ Sanctæ, nullam huc vſque, vndè doleo, reſponſionem accepi. Sed videtur quòd à maiore vſque ad minorem omnes dormiant in hac cauſa: imò, vt veriùs dicatur, apparet, proh dolor! quòd ſint poſſeſſionum puluere excæcati, ipſa temporalia, velut alter Iacob cæcutiens, cœleſtibus præponendo, qui cancellatis manibus dexteram ponunt ſuper *Effraxim*, qui interpretatur *frugifer*: quia principales intentiones ſuas & operas terrenis infigunt, quæ per Effraxim deſignantur: ſuper *Manaſſem* verò, qui interpretatur *obliuio*, ſiniſtram manum collocant ſignificantem cœleſtia, quæ in obliuionem apud plurimos trãſierunt. Vnde multi, licet cum fletu dixerim, porcis ſimiles quodammodo ſunt effecti. Porci namque fructus cadentes de arbore deuorant: ſed nunquam ad arborem oculos leuant; imò, impinguati ab arbore ſe elongant: ſic multi terrenis diuitiis ingraſſati, non ſolùm Crucis arborẽ in corde non aſpiciunt: imò ab operibus CHRISTI factoris ſui in Terræ Sanctæ negotiis longè fugiunt & recedunt. Contra quos Deut. 32, 15. conqueritur Dominus in Deuteronomio, dicens: *Ingraſſatus eſt dilectus meus*, populus videlicet & Chriſtianus, *& recalcitrauit, & reliquit DEVM factorem ſuum*: illius beneficia à quo ſe habet & ſua, nullatenus recognoſcens: *& receſſit à DEO ſalutari ſuo*: qui in ligno Crucis operatus eſt ei ſalutem in medio terræ, ad quem nec oculos ſuos dirigit. Sed nec ad conquirendum illum ſalutis locum, ciuitatem Ieruſalem, de qua gloriosa dicta ſunt, ſanctam & opulentam, ad ſui Creatoris, & etiam Redemptoris ampliationem honoris procedit. Imò vt ingraſſatus dilactatus, & breuiter dicam terrenis abſortus deliciis, cãcti vtens veſtigiis, longiùs retrocedit. Et quia, iuxta ſententiam Apoſtolicam, *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt:* Et Rom. 15, 4. ideò ſi dictum populum à ſomno corporis ſacra non poterit excitare ſcriptura, excitet ſaltem volatilium & iumentorum naturam. Aues, vt ſcribitur *in libro de Animalibus*, & etiam videmus ad ſenſum, oculos ſuos palpebra inferioris greſſibilia vetò modò oppoſito, palpebra ſuperiori recludunt: per greſſibilia homines mundanos animalesq; intelligimus clauſos habentes oculos ad cœleſtia, ſed apertiſſimos Pſal. 16, 12. ad terrena: *Statuerunt* enim ſecundùm Pſalmiſtam, *oculos ſuos declinare in terram*; per volatilia verò, viros cœlicos accipimus, quorũ conuerſatio eſt in cœlis: qui terrena

per

per amorem non aſpiciunt; ſed illuc oculos dirigunt, vbi quærunt quod diligunt, & cupiunt æternaliter permanere. Si haberemus multa talia volatilia, citò volaremus ad opus DEI & Terræ Sanctæ negotia ſæpedicta. Exempla etiam paganorum ad correctionem Chriſtianorum talium in medium producantur. Interrogatus enim *Pedocles* paganus Philoſophus, *ad quid natus eſſet?* Reſpondit, *vt cælum ſyderaq; contẽpler:* & addidit cauſam, dicens: *Cælum ſubtrahe, tellus ero.* Vt faciliùs corda lapidea prædictorum ſcindantur: virtute ſanguinis hircini calidi adamas in ſecalibus ſoluitur & ſecatur. Hircus, offerebatur pro peccato populi in Teſtamento Veteri: CHRISTVS verò, in nouo oblatus eſt pro peccatis omnium DEO Patri. Si igitur ſanguis hirci figuratiui ſaxa indomabilia temperauit; quantò magis ſanguis CHRISTI veri dicta corda lapidea ad ſua & Terræ Sanctæ opera animabit? Iterum in *hiſtoriis ſcholaſticis, tertio libro Regum, V. cap.* reperitur, quòd virtute ſanguinis cuiuſdam vermiculi domabat Rex Salomon lapides de marmore duriſſimo, qui ponebantur in templo ipſius ſapientiſſimi Salomonis. Quare ergo corda fidelium ad ipſum templum Sanctum conquirendum nõ moleſcant ſanguine redemptoris? De ſe ipſo loquitur, per Pſalmiſtam: dicens, *Ego ſum vermis, & non homo:* quia ita viliter pro vobis ingratis tractatus ſum in hoc mundo tanquam vermis & nõ homo: & ſine virili ſemine natus ſum de virgine, ſicuti vermis de terra ſine corruptione. Ad iſta, Pater & domine Reuerendiſſime, licet alias veſtra de meis litteris reſponſa non receperim, modò vobis ſic ſcribere amor & honor Diuinus & promiſſio Euangelica me prouocat & compellit: Dicit enim, *petite & accipietis; quærite & inuenietis; pulſate & aperietur vobis.* Vos enim de numero illorum reputo, quorum oculi ſunt in CHRISTO capite, firmiter collocati. Et de quibus Dominus per Ezechielem dicit: *Fili hominis, ſpeculatorem te dedi domui Iſrael.* Speculatoris officium vel Prælati eſt, ſolicitè circa gregem Dominicum vigilare, & voce diſcretæ exhortationis atq; diuinæ laudis dormientem populum iuxta Iſaiæ varicinium excitare: *Vox,* inquit, *ſpeculatorum tuorum.* & ſequitur: *leuauerunt vocem, ſimul laudabunt:* & informent Reges Chriſtianorum & Principes primò quærere regnum DEI, in quo filius DEI naſcebatur; &, vt Iudæorum Rex, adorandus à Regibus quærebatur: quia proprium eſt hominis nobilis ſecundùm ſententiã *Senecæ*, habere excelſum & glorioſum ſpiritum, quærentem vbi glorioſè viuat & vbi tutiſſimè. Sed quia multa alia primò quærimus, continuè deficimus, eò quòd mandata ad ordinem Diuini conſilii non ſeruamus. *Si cuſtodieritis mandata mea quæ ego præcipio vobis,* dicit Dominus in Deuteronomio, *omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Vnde illud Terræ Sanctæ Paſſagium per veſtræ bonæ perſuaſionis prudentiam eſt citiùs inchoandum; & nullatenus propter moram, quæ trahit periculum, differendum: Nam, *quod nunquam incipitur, nunquam perficitur:* & ſemper incipere, & nunquam finire eſt moleſtum. Sed, quod longè eſt grauius, multi deſierunt perficere, antequam perficere inceperunt. Et ſic per exorationes veſtras ſedulas Sancta promouebitis negotia, & vices rependetis congruas Domino Saluatori. Quia, *non his ſolùm,* ſecundùm dictum Senecam, *Reipublicæ prodeſt qui tuetur, & de pace bellorum ceſſet; ſed qui inuentutem exhortatur. Si enim moratur in priuato, publicum tamen negotium agit.* Et quia decet magnos Prælatos, & vos maximè qui Paſſagii eſtis Procurator, de ſtatu ſingularium prouinciarum certiùs informari, veſtræ reuerentiæ, cum cordis tamen dolore, ſignifico: quòd Lombardia & Tuſia, & quaſi tota Italia immenſis guerrarum tribulationibus ſunt oppreſſæ; nec non in mari Mediterraneo bella ſpolia ſolùm inter Chriſticolas cum nauigiis damnabiliter frequentãtur: vnde fidelium communitas notabiliter infirmatur. Nec mirum: deſtructio minimi membri corpore naturali, ſicut meliùs me veſtra nouit prudentia, in totum illud corpus naturale redundat: Quantò igitur magis corpus infirmabitur per plurimum & maiorum mutilationem membrorum? Ita in corpore CHRISTI miſtico, in quo alter alterius membra ſumus ſinguli conſtituti. Et ideò dum prædicta membra per guerras huiuſmodi terrâ marique ſe mutuò ſpoliant & interſecant, regnum præclarum Franciæ, & illud maximè, ſicut regna alia, propter ſubtractiones mercationum quæ per Lombardos & Turcos communiter ſolent fieri, non modicum patitur detrimentum. Credo firmiter quòd Dominus noſter ſummus Pontifex, piam ſemper intentionem habuit ad Italiæ diſcordiam concordandam: ſed videtur quòd incipiendum ſit primò à prædicto opere DEI & Terræ Sanctæ ſecundùm ordinem;

Pſal. 21, 6. Matth. 7, 7. Ezech. 33, 7. Eſai. 52, 8. Deut. 11, 22, 24.

dicti libri *Fidelium Crucis, in secundo libro, in secunda parte eiusdem libri secundi*, & in pluribus capitulis, & maxime in *capitulo vltimo suæ partis*; quia non potuerunt illa opera in tam modica potentia inchoari, tenendo supradicti libri ordinem, quin insuperatus effectus & placitus sequeretur: ad quorum inchoationis deuotionem cessarent lites & iurgia, terrarumque discordiæ sedarentur, & guerrarum sic desisterent discrimina prælibata, vt in malis aliis succederet prosperitas oportuna; & etiam conseruaretur magna Christianorum quantitas, in vltramarinis degens partibus, & habitans in periculis valdè magnis. Quia verò in negotiis arduis, primis periculis virtus prudentiæ dat succursum, ideò *Armenorum* dispendiis, qui infidelibus sunt affines, est ante generale Passagium primitus occurrendum. Ipsi namque tributis intollerabilibus quæ soluunt paganis, timoribusque grauibus & continuis periculis comprimuntur. Ad quorum remedium requiritur necessariò, quòd fiat maris diligens custodia per Fideles, prout in *libro Secretorum fidelium Crucis* scribitur supradicto, quem vt dictum est vobis & Regiæ Celsitudini præsentaui. Quam custodiam, secundum eiusdem libri tenorem & ordinem, pauci benè ordinati in stipendiis, & benè armati, ac defensibiles in galeis; non superbi, & de sua virtute gloriantes; sed concordes, & humiles; quos DEVS in cœlo respicit & in terra; DEI virtute, optimè cum casto, fideli, strenuo, DEO deuoto, non nimis cupido, oculato, prudenti, prouido, pio & mansueto Capitaneo gubernarent. Tunc per illam custodiam, terræ Armeniæ & Romaniæ, & terræ aliæ Fidelium singulæ circumstantes, starent solidè & quietè. Ista custodia Græcos schismaticos reduceret ad obedientiam Sanctæ matris Ecclesiæ; Cismatinos vt dictum est disponeret ad vnitatẽ pacis & concordiæ; & Christianos inobedientes, & infideles etiã qui nauigant, portantes deniq; mercimonia de Cypro & reducentes, nec non & alios qui fingunt se mendaciter habere licentiã à summo Pontifice portandi merces consimiles ad partes Soldano subiectas, ne in Christianorũ nauigarent dispendiũ, impediret; & infirmaret continuè infidelium potentiam paganorum: ô quam dignè esset adscribendus iustorũ catalogo qui tot niteretur mala deprimere, & tãta pro CHRISTI amore bona cœlestia promouere? Si verò dubitaretur quòd ista custodia, & Terræ Sanctæ negotia sæpiùs dicta forent nimium sumptuosa; Respondeo breuiter & fideliter, quod non: sed potiùs asserò, quòd si Rex aliquis vel Princeps magnus, cum consilio domini summi Pontificis, eiusq; adiutorio, illam custodiam & negotia inchoaret, plus de pecunia acquireret, quàm ipsum expendere oporteret: iuxta libri ordinem antedicti. Nihil enim deficit, vt dictũ est, nisi principium debito ordine inchoandũ. Pater reuerende, ad prædilectam vestram reduco memoriam & reuerentiã, quod vidi & intellexi, quòd *Rex Franciæ* tenebat in Acon stipendiarios milites & pedites, ad custodiendam dictam ciuitatem, donec amissa fuit. Et tunc DEVS, tunc tempus, DEVS, per gratiam suam, Regis Franciæ ærarium, & suos etiam regni sui fideles, omnibus bonis & diuitiis affluere faciebat. Vnde Euangelicè scribitur: *date, & dabitur vobis*. Apud nos etiam vulgariter dicitur: quòd bonum est, & valdè vtile illum impendere dñi qui solidum meliorat. Cæterum, pater venerabilis, incidentaliter vobis refero, quod postquam præsentaueram librum *Fidelium Crucis* & Mappas mundi domino *Regi Franciæ*, immediatè accelerani ad domũ domini *Lodouici comitis Claremontis*, eidem præsentans Mappas mundi, & quædam alia de negotiis supradictis, & addens: quòd si suæ placeret dominationi dictis meis adhibere fidẽ, negotia benè irent: qui respondit quòd meo consilio in hac parte se regere intendebat. In Curia Romana ante præsentaueram sibi librum *Crucis Fidelium* suprascriptum. Cui supplico hæc dicatis, & me vestrum filium commendare velitis, sicut vobis videbitur suæ Magnificentiæ conuenire: sed quomodo negotium est suppressum & penitus derelictum, sua dominatio, vestra paternitas benè nouit: de quo multùm doleo, & præter honorem suum, & bonum commune Christianorum quod sequeretur, & suisset etiam consecutum de negotiis supradictis. Et si adhuc mihi credere vellet nomen sibi gloriosum acquireret, in diuitiis & dominationibus terrenis & cœlestibus habundaret, & Christianitati toti commodum maximum proueniret. Ad inciendum enim negotium id, sufficeret quod continetur in cedulis tam literaliter, quam in Gallico scriptis, quas habet vestra paternitas Reuerenda. Nec istud propter aliud amittitur, nisi quia principium non habetur. Et sicut benè nouit vestra

Luc. 6. 38.

prudentia,

prudentia, quando apud vos eram in Francia, ipsi intendebant armare xx. galeas ad maris custodiam: quæ armatura magna esset si sufficientia stipendia soluerentur: sed nimis parum de pecunia dabant pro armatura tanta. Vnde nihil postmodum est secutum; sed totum hucusque in nihilum est redactum. Vnde, pater Reuerende, agatis ad hoc efficaciter, quòd saltem negotium habeat, de x. vel VII. vel V. ad minus galeis benè armatis, & sufficienter stipendiatis ad maris custodiam, principium opportunum. Nam *debile principium melior fortuna sequetur*. Et credatis fideliter, quòd ordinabo pro mora vestra, concedente Altissimo, locum suauissimum & securum. Rogo dilectissimam paternitatem vestram, quatenus me filium vestrum habere dignetur specialiter commendatum: quia ad DEI seruitium atque vestrum mea intentio fuit & est, mori & viuere cum eodem. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI circha M.CCC.XXVI. A. Dñi. 1326.

VI. VEnerabili *in CHRISTO patri domino*, tali; vel *egregio in CHRISTO patri domino*, tali; *Honorabili militi*, vel *Magnifico*, vel *excellenti domino*, domino tali: *Marinus Sanutus, dictus Torcellus, de ciuitate Riuoalti de Venetiis, qui præsentauit domino nostro summo Pontifici librum & mappas mũdi secretorum Fidelium Crucis, qui est tam pro conseruatione fidelium, quàm pro conuersione vel consumptione infidelium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto: seipsum cum omni recommendatione humili, & promptitudine famulandi.* Cognoscens de solertia, bonitate & fama vestræ *Reuerendæ paternitatis*; vel, *vestræ egregiæ & honorabilis dominationis*; vel, *vestræ excellentissimæ & dominationis magnificæ*, quæque est per mundum vndiq; diuulgata: & præsertim de eo quòd reuerenter locutus & rationatus fui cum vestra dominatione vel paternitate iam dicta, me mouet, & præbet audaciam scribere *vestræ paternitati benignæ*; vel, *vestro excellenti dominio*. Hinc est quòd anno præterito scripsi Sanctissimo domino nostro summo Pontifici litteras, super DEI negotiis & Terræ Sanctæ quas *vestræ Reuerendæ paternitati*; vel, *vestræ Magnificæ & excellenti potentiæ*, intercluſas transmitto. Quia recepi litteras ab homine fide digno, quòd benignè recepit; & de me ipsius Sanctitas petiit multò magis quàm meam personam minimam condecteret. Sed propter ardua & maxima negotia quæ dominus noster summus Pontifex, vt ostenditur, habet facere & tractare, & quotidie videntur crescere, quæ erunt pro bono, Domino concedente, huc vsq; de Terræ Sanctæ negotiis, quasi nihil fuit inde peractũ. Quare, tanquam patri & domino, ad memoriam vestræ reduco potentiæ, quòd antequam in statu perseueretur isto, longè melius esset facere, tractari cũ *Soldano* Babyloniæ, quòd dimitteret tributum regno *Armeniæ*; & quòd reædificari dimitteret castra *de Laiacio*, de mari & de terra, & habere cum ipsis bonam treugam: Hac conditione, quòd noster dominus dimitteret, quòd Christiani possent ire & redire cum omnibus mercibus in terras Soldano subiectas, præter *cum ferro, armis, lignamine, pice, & pueris & puellis*, ac etiam aliis mercibus veteris antiquitus. Et hoc videtur possibile posse & debere fieri: quia sic fiebat multoties quando Acon & Syria à Christianis tenebantur. Præterea Dominus noster facere posset tractari à Nuntio qui iret ad Soldanum, quòd quilibet Christianus qui iret ad Sepulchrum in Ierusalem, & ad loca alia partium illarum sanctissima visitanda, posset liberè pertransire absque solutione alicuius commercii siue tholomei. Et rationabiliter omnia suprædicta debent obtineri à Soldano: quia liberè mercatores & merces cum voluntate Ecclesiæ pertransirent, longè maior vtilitas consequeretur Soldanum, quàm faciãt nunc ad præsens. Præterea ad memoriam vestram reduco quòd Dominus noster habet hoc facere, ipso habente respectum ad suum deuotum populum & fidelem. Hoc est, quòd illi mercatores qui timent inhibitionẽ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vadunt in Armenia *Laiacium*, quæ est deserta ciuitas, absque aliquo fortilitio; quibus imminet periculum maximum: ita quòd si Soldanus vellet armare per mare & per terram, sicut fecit *Tortosiæ* aliquo tempore, ipse posset omnes facere interfici siue capi: quod foret damnum non modicum deuotis & subditis Sanctæ matris

Ecclesiæ: & etiam possent recipere damnum à cursariis, qui vadunt per mare magnis nauigiis & gentibus reforzati, quod ire consueuerunt tempore retroacto. Pro quibus omnibus laudo & consulo quòd prædicta ad executionem ducantur. Verùm, reuerenter loquēdo de necessitate, oportet Dominum nostrum præuidere de *Turchis* qui dominantur & morantur in Asia minori, qui velociùs infestant Insulas Romaniæ, & maximè eas quæ pertinent Principatui Amoreæ: in tantum quòd si non habebunt succursum, amittentur: & præsertim insula *Nigropontis* est proueniēda in manus illorum de Compagna. Et si venient, ipsi habebunt Principatum Amoreæ: propter quod Ierusalem & Siciliæ Rex, tantum ex illa parte habebit facere quantum de Siciliæ Insula, & fortè plus: & etiam erunt quàm plures alii Christiani fideles ex hoc fortiter occupati. Et si non essent *domini de Chio Zachariæ* Ianuenses; & maximè dominus *Nicolaus Sanutus*, dux Nixiæ, & Andræ, & aliarum Insularum; ac etiam domus Sancta *Hospitalis*, qui defenderunt huc vsque & defendunt ad præsens quantum plus possunt, & etiam *commune Venetiis* quod misit duas galeas insulæ Nigropontis prædictæ, quarto die ante Natale Domini, & continuè mittit quando videtur ei esse necesse, illæ terræ & Insulæ non potuissent durasse. Nec credo quòd finaliter possint durare absque Dei auxilio & domini nostri summi Pontificis: quia Turchi dominantur terræ quamplurimi quam acquisiuerunt in Græcia, quæ *Asia minor* nominatur, quæ longè maior est, quàm sit tota Yspania. Præterea dominationi vestræ præsentibus refertur, quòd nuper noua applicuerunt Venetiis de Nigroponte & partibus Romaniæ ab hominibus fide dignis, quòd Turchi parauerunt sex galeas, & triginta nauigia inter ligna & barchas, causâ excūdi extra: qui si venerint ad ciuitatem Nigropontis, & sint vnum cum illis de compagna *Catellanorum* qui tenent ducatum Athenarum, ipsi sunt pro damnificando ciuitatem & totam Insulam, & etiam Insulas alias: quod inextimabile damnum esset, absq; mulieribus & infantibus qui ducti essent in seruitutem captiui in terras Sarracenorum; & iam alias abstulerunt & deportauerunt in maxima quantitate. Quare *vestra reuerenda paternitas*, vel, *vestra potentia & nobilitas*, Dei reuerentiâ & honore, super hoc præuidere dignetur. Nam si dominus noster summus Pontifex teneret ibi quatuor galeas armatas continuè de bona gente, Deo dante, illæ partes starent benè & securè: quæ quidem summatim constarent in anno XXV. millia florenorum: & ista pecunia esset sanctissimè attributa. De negotio Italiæ & Alemaniæ, & de aduentu istius *Bauarie*, qui descendit in Italiam vestræ dominationi non scribo: quia timeo ne ad manus perueniat aliorum. Et si qua pro dominatione vestra intenditis me facturum, præcipiendo mandetis, sicut humili & deuotissimo vestro seruitori fideli. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri Iesv Christi M. CCC. XXVI.

An. Dom. 1326.

VI. *Serenissimo & excellentissimo domino suo, domino* Leoni, *D E I gratiâ Armeniæ Regi, suus humilis & deuotus* Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Venetiis: se totum promptum & auidum ad beneplacita Regalia & mandata.* Regia nouerit Celsitudo quòd vestras recepi litteras cum gaudio, de quibus quamplurimùm extiti consolatus. Et quia pius labor ex prosecutione continua commendatur, Magnificentiæ vestræ significo, D E O, cui nullum latet secretum, Ambaxiatoribus q̃ vestris ad Papam, ac domino *Boldo de Spinola*, attestantibus, quòd pro succursu ac quiete bona regni nostri, meis expensis personalibus, cū magnis laboribus corporalibus, dominum summum *Pontificem* ac *Cardinales*, dominum etiam *Regem Franciæ*, & sui regni consilii Comites & Barones, ac dominum *comitem Hannoniæ* visitaui. Et quia secundùm beatum Ieronymum, *Labor improbus omnia vincit*, non adhuc cesso ipsos omnes prædictos ac etiam dominum Regem Angliæ, pro dicti regni vestri adiutorio, per meas actentissimas litteras visitare, prout dominus ac *frater* Tadeus, & socii sui, vestri nūcii, modò actualiter in Romana Curia, vobis cū ad vos redierint referre poterunt viuâ voce. In quibus scripturis meis, sicut nouit lator præsentium, *frater Vgo* ordinis Prædicatorum qui illas scripsit, informaui omnes prædictos dominos solicitè, de modo & ordine debito procedendi. Et illos ac alios Prælatos & Principes ad Dei honorem & gloriam, vestramq; ac regni vestri consolationem, intendo quantum in me est pulsare continuè, donec

Pater

misericordiarum & DEVS totius consolationis effectum aliquem cõcesserit opportunum. Conseruet vos Altissimus in regnum vestrum in omni fertilitate bonorum, per tempora longiora. Si qua possum facere vestræ grata Celsitudini, promptoanimo sum paratus. Non miretur Regalis quòd ei à diu non scripserim: Expectabam enim meliora transmittere, quæ nundum ad libitum euenerunt. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI. An. Dn. 1326.

VII. *EXcellentissimo ac sapientissimo Principi, ac suo domino, domino singulari, domino* Andronico Pallialogo, *DEI gratiâ Imperatori Constantinopolitano, moderatori Romeorum Magnifico, & semper Augusto*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Venetiis*: *seipsum humiliter ad omnia Imperialia beneplacita & mandata.* Nouerit vestrum magnificum Imperium, quod diligo & dilexi, me fuisse satis longo tempore in Romana curia, & tandem in curia Magnifici domini Regis Franciæ, prò tractandis & ordinandis & oportunis negotiis Terræ Sanctæ: & à viris Religiosis qui venerant de vestro Imperio, & præcipuè a domino Episcopo Caphensi, intellexi de vestra Imperiali sapientia & fide ac voluntate bona, quatn ad vnionem Ecclesiarum habetis, de quo cor meum fuit & est non modicùm illaratum: cognoscens quòd Ecclesiarum vnio, est complementum Passagii Terræ Sanctæ. Nec scio maius bonum posse fieri in hoc mundo quàm Ecclesias reunire. Propterea frequenter colloquium huiusmodi cũ pluribus dominis Cardinalibus, & cum excellenti domino Rege *Roberto*, & cũ aliquibus Principibus regni Franciæ: & etiam cum domino *Petro de Via* nepote domini Papæ; & maximè cum nobilissimo domino *Guilelmo comite Hanoniæ, Vlandiæ & Silandiæ ac Frixiæ* domino, genero domini Karoli; & cum domino *Gualterio de Castilione*, comite Porzani & Conostabulo Franciæ; & cum domino *Roberto* comite Bononiæ & Alucrniç, de negotio supradicto, qui prò magna parte regunt & ordinant ipsum regnum: ac etiam colloquium habui cum Prælatis, de multis quæ tangunt honorẽ & securitatẽ vestri Imperii. Et reperi multos prædictorũ habere optimam voluntatem: & ideò, propter DEI honorem, & vtilitatem fidei, & amorem specialem vestri magni Imperii, offero me, si oportunum vobis videbitur, tractare & laborare secundum meam possibilitatem pro prædicta vnione Ecclesiarum, & pace ac cõcordia cum Sancta Romana Ecclesia, & cum Excellẽti domino *Karulo*, ac cæteris personis quibus vestræ magnificæ prudentiæ videbitur oportunum. Plura alia explicaui de ista materia domino Fratri *Ieronymo Episcopo Caphensi*, quæ oretenus vestræ Maiestati poterit explicare. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXIV. An. Dn. 1324.

VIII. REcordatio, *Reuerendo in CHRISTO patri & domino suo karissimo, domino, fratri* Ieronymo, *Episcopo Caphensi, facta per me* Marinum Sanutum, *dictum* Torsellum, *de consinio Sancti Seueri de Venetiis.* Quod primò & principaliter vos debetis me recommendare Excellentissimo & Magnifico domino meo Imperatori Constantinopolitano, & præsentare litteras quas cidẽ transmitto. Et iterum suæ Magnificentiæ dicite, quòd per DEI gratiã perfeci quoddam opus laudabile & fructuosum super acquisitione Terræ Sanctæ & consumptione illius sectæ pessimæ Mahumeti, quod dominus Papa fecit examinari, in quo quidem opere continetur quòd non est necesse transire per terram sui Imperii, nec acquirere illam: Sed directè ire per mare in terras Soldano Babylonico subiectas: quæ via est contra opinionem quorundam dicentium, quòd primò est necesse quòd suum Imperium acquiratur per fideles Ecclesiæ. Ego autem contra ipsos existens, dixi quampluribus Cardinalibus, & etiam idem dixi ad consilium *Regis Roberti* & quibusdam Baronibus Gallicis, quòd Imperium suum posset destrui, sed non posset conseruari in pace, propter multas nationes, quæ sunt circum circa suo Imperio, & nationes maximè Tattarorum. Et ponamus quòd haberemus terram Imperii prò magna parte, non tamen haberemus cor populi ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ. Sicut nos per exemplum videre possumus manifestè de Insula *Cypri* & *Cretæ*, & de principatu *Amoreæ*, & ducatu *Athenarum*,

de insula *Nigropontis*, & de aliis insulis & terris quæ per *Franchos* dominantur: quoniam fideles Ecclesiæ, dominium tenent; sed populus, non est ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ: & fortè aliquando ostendunt se esse alicubi fideles Ecclesiæ ore, tamen non corde, vt publicè fertur. Sed via per quam potest Ecclesia reuniri, vt mihi videtur, *esse* habere magnificam personam suam, vna cum suo Patriarcha, & cæteros etiam de domo sua: propter quod omnes ipsius subditi, & alii sicut *Rupten*, & *Exagore*, & regnum *Seruiæ*, & *Zorzani*, & alii qui sunt sub dominio Francorum, Tartarorum, Turchorum, & sub dominio Soldani Babylonici, erunt obediẽtes Ecclesiæ Romanæ: quod quidem esset maximum bonum pro reuniendis Ecclesiis, & securum pro gente sui Imperii, tam pro anima quàm pro corpore. Sed ad istud perficiendum, est necesse quòd in isto negotio habeatur voluntas domini *Karoli*, dando heredibus suis aliqua propter quod dicunt se habere in Imperio suo. Ac etiam bonum est, quòd habeatur voluntas & auxilium Venetorum: & ad hæc complenda inter omnes alios qui possent istud negotium perficere & complere sunt Barones Franciæ, & *Rex Boëmiæ*, qui intendunt ad Passagium vltramarinum: & maximè comes *Hanoniæ*, *Flandiæ & Xilandiæ & Frixiæ* dominus; & dominus *Gualterius de Castilione* comes Porzani & Conestabularius Franciæ; & dominus *Lodouicus* comes Claremontensis, & dominus *de Borbon*; ac etiam dominus *Robertus*, comes Aluerniæ & Bononiæ, & quamplures dominæ & domini. Et maximè si per Magnificam personam suam promitteretur eisdem, pro necessitate passagii, certum auxilium. Et recordor quòd pater suus dominus Imperator *Pallialogus* fecerat ædificari in Acon vnam maximam turrim, cum mœnibus valdè magnis ad defensionem ciuitatis: & non est dubium quòd illud bonum, cum aliis quæ fecit, multum ei contulerunt ad substantiationem terræ suæ, & heredum suorum. Propter quod, me offero ad seruitium Dei, & sui, & sui Imperii, secundùm meam possibilitatem tractare & facere quicquid exinde potero boni. Et ad hoc vt ipse de me habeat materiam confidendi, ego sum absque vxore, & sic steti longo tempore, propter ista vltramarina negotia perficienda: & si vellet mihi dare vxorem secundùm meam conuenientiam de suo Imperio, ego acciperem. Et si interim filius meus non matrimonialiter copularetur, etiam eidem posset vxorem tradere vt placeret. Et super prædicta, Reuerende domine Episcope, multa possent dici. Idcircò circumspectioni vestræ reliqua, de qua spero & indubitanter confido. Præterea, multum affectarem quòd dominus Imperator redderet gratiam domino *Nicolao Sanuto*, Duci Nicxiæ, & Andræ dominatori, quòd illud quod ipse iam fecit contra suum Imperium, fecit propter iuuentutem: & ita intendo tractare cum domino Nicolao prædicto, quòd sit seruitor sui Imperii quemadmodum sui prædecessores fuerunt, videlicet pater suus dominus Gulielmus, & auus eius dominus Marcus Sanuto. Item nouerit vestra Reuerenda paternitas, quod intendo morari Venetiis: excepto, quòd si noua venirent de curia, quòd armata Regis Franciæ, quam ordinauerat anno præterito cum domino de *Nerbona*, & cum Episcopo *Mimatensi*, quod procederet vltra: posset esse quòd irem vsque vltra mare, ad hoc vt possem eis dare aliquẽ ordinem, ex eo quòd ipsi me tenuerunt multo tempore in Francia, dicentes, quòd super hoc intendebant se regi meo consilio; ac etiam volebant quòd ego essem & transfretarem cum eis. Item vellem tractare quòd ipsi scirent bono modo transire cum gentibus sui Imperii; & quòd ipsi non intenderent ad aliud quàm ad consumptionem infidelium sectæ Mahumeticæ, quæ multùm creuit. Item posset esse quòd ego irem vsque Nigropõtem; & ad dominum Nicolaum Sanutũ, cum aliis galeis, si ipse mitteret mihi, dicendo ad hoc vt possem ei aliquod bonum consilium dare pro conseruatione terræ suæ. Vnde si contingeret vos ire per illas partes, poteritis eidem dicere quicquid dominationi vestræ videbitur conuenire: & ego etiam eidem litteras destinabo quas vobis tradam. Idcircò quicquid de supradictis dominus Imperator intendit, mihi scribere dignemini quàm citiùs potestis; & etiam si ei placuerit, mihi referibere dignetur. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXIV.

An. Dom. 1324.

Serenissimo

LX.

Sereniſſimo ac ſapientiſſimo Principi ac ſuo domino ſingulari, domino Andronico Pallialogo, *DEI gratiâ, Imperatori Conſtãtinopolitano: Moderatori Romeorũ Magnifico, & ſemper Auguſto:* Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Venetiis: ſeipſum humiliter ad omnia Imperialia mandata.* Quia ipſa membrorum diuiſio, totius corporis languorem pariter & deſolationem inducit: hinc eſt quòd Redemptor noſter Dominus IESVS CHRISTVS, cùm ipſe ſit totaliter indiuiſus, diuiſionis periculum præſentiens, pro membrorum ſuorũ vnione, in Euangelio beati Iohannis, rogat ſpecialiter Patrem ſuum, dicẽs: *Pater Sancte, ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos:* & ſequitur, *Non pro eis rogo tãtùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me: Vt omnes ſint, ſicut & tu Pater in me & ego in te: & vt ipſi in nobis vnum ſint.* In Actibus etiam Apoſtolorum ſcribitur, quòd *multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna.* Et Paulus Apoſtolus ad Galatas dicit, quòd *omnes vos vnum eſtis in CHRISTO.* Ipſe enim, eſt *pax noſtra qui fecit vtraq; vnũ:* ſicut ad Epheſios idem ſcribit. Animaduertat igitur Imperialis circumſpecta Maieſtas, ſi tanta inter ipſam, & Sanctã DEI Eccleſiã ſit defenſionis materiam, quæ non poterit per ſpecialẽ DEI ęterni, vnigeniti & coæterni Filii DEI orationẽ ad Patrem, & Apoſtolorũ ſuorum Actus, Scripturasq;, & prædicationem, in vera vnitate fidei adunari. Et ideò, ego *Marinus*, vobis ac Imperio veſtro affectionibus ſinceris vnitus, obſecro vos cũ beato *Paulo* Apoſtolo antedicto, quatenꝰ *dignè ambuletis vocatione quâ vocati eſtis, in omni humilitate & manſuetudine: cum patientia ſupportantes inuicem in caritate: ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnum ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Et, cùm quidam dicti veſtri præclari Imperii, à fide & doctrina Eccleſiæ Apoſtolicæ nõ in re, ſed ſolùm in verbis diſſonẽt: ac alii eiuſdem Doctores Imperii, videlicet *Athanaſius, Didimus, Cirilis, Iohannes Griſoſtomus,* & in fide, & in re, in verbisq; cum Eccleſia prædicta conueniant & cõcordent: domine mi Imperator Clementiſſime, expurgate diebus veſtris vetus fermentũ, vt ſitis noua cõſperſio ſicut eſtis acimi: ne veſtrũ ſupradictũ Imperium Magnificũ diutiùs maneat in fermẽto malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis. Dicit etiã Philoſophus terræ veſtræ, quòd *in eo quod res eſt vel non eſt, eſt oratio vera vel falſa.* Non enim dicit in eo quod vox eſt vel non eſt: quia res, eſt in ſe permanens & exiſtens; verbum verò, ore carnis prolatum defluit, & nõ manet. Tollite ergo iugũ CHRISTI ſuper vos; & diſcite ab eo, *quia mitis eſt, & humilis eſt corde: iugum eius ſuaue eſt, & onus eius leue.* Et tunc inuenietis requiẽ animabus veſtris. Et quia *omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti, aperitur:* Iſtam vnionem ſacratiſſimam petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Per quam vnionem cùm virtus vnita, maior ſit ſe ipsâ diſperſâ, acquireretur faciliter Terra Sancta, & aliæ terræ plurimæ quas infideles iam occupant: ad exaltationem nominis Domini noſtri IESV CHRISTI, ampliationemq; Catholicæ fidei; & ad ſtabilimentum veſtri excelſi Imperii antedicti. Nouerit ad hæc veſtra Imperialis Celſitudo, quòd propter bonum veſtri Imperii negotiorumq; Tetrę Sanctæ dominum Papam & Cardinales quamplurimos, ac dominum Regem Franciæ, Nobiles etiam Comites & Barones ſui regni, dominũ Regem Robertum, & Nobiles de ſuo conſilio, cum expenſis propriis, ac magnis meis corporalibus laboribus viſitaui; & cum eis ſecretum colloquium frequentiſſimè habui: quorũ multos reperi ad vos ac veſtrum Imperiũ, & ad dicta Sanctæ Terrę negotia voluntatem habere optimam, ſi Eccleſiarũ vnio, paxq; & concordia cũ Sancta Romana Eccleſia fuerit confirmata. Benè eſſetis digni ſanctorum adſcribi catalogo, ſi poſſetis iſtud ſciſma deſtruere; & ad vnum ouile Eccleſiæ, tot diſperſos & dęuios congregare: ad quẽ laborem, ad honorem DEI, ac veſtrum, veſtriq; conſolationem Imperii, promptum me offero & paratum, cum perſeuerantia læta, iuxta veſtrum Imperiale conſilium, beneplacitũ ac mandatum. Recepi veſtras Imperiales litteras per veſtrum nuntium *Conſtantinũ Fuſcomalum*, cum gaudio veſtræ poſteà reſcribens Celſitudini per eundem. Vos ac veſtrum Imperium permagnificum, conſeruet Altiſſimus per tempora longiora. Iſta quidem vnio non eſt vllatenus differenda: quia quod quandoque faciliter vno tempore acquiritur, ſuccedente moræ periculo, vix aut nunquam poſteà obtinetur. Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRISTI, circha M.CCC.XXVI. A. Dn. 1326.

Iob.17,11, 20. Act.4,32. Gal.3,28. Eph.2,14. Eph.4,1. &c. Matth.11, 29,30. Matth.7,7.

X. *VIro prouido, Nobili & discreto Seuasto, domino* Stephano Sirupulo *domini Imperatoris Græciæ Turchimanno:* Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de Venetiis: omnem reuerentiam cum salute.* Noueritis quòd litteras vestras mihi gratas plurimùm & acceptas, sospitatẽ vestram corpoream exprimentes, ad magnam meam consolationem recepi: de quibus litteris, vestram ad me sincerã affectionem attestantibus, vobis regracior corde toto. Et ideò si quæ facere possim vobis grata, prompto animo sum paratus. Scribo nunc domino meo, domino Imperatori Illustrissimo, cuius scripturæ tenorem vestræ transmitto amicitiæ præsentibus intercluſum. Litteram verò suam, mihi de sua benignitate directam, de qua mentionem feciſtis in littera vestra, licet eam diligenter quæ fieri, non recepi. Quia per communicationem mutuam litterarum intenditur verus amor. Bonum est & vtile, quòd cum opportunis nuntiis, scripturis mutuis perfruamur. Vt me valere desidero, valeatis, ad vnionem cum sacrosancta Romana Ecclesia, ad DEI laudem & gloriam, vestrum semper dominum inducentes. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI circha M.CCC.XXVI.

An. Dom. 1326.

XI. *VEnerabili in CHRISTO patri ac domino suo karißimo, domino* Ingramo, *diuinâ prouidentiâ Archiepiscopo Capuæ, & Cancellario excellẽtißimi domini Regis Ierusalem & Siciliæ:* Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Parochia Sancti Seuerii confessoris: seipsum cum omni reuerentia & promptitudine famulandi.* Cùm pluries vestræ Reuerendæ Paternitati scripserim, nunc finaliter vobis scribo per dominũ *Fratrem Paulinum* Episcopum Puteolanum: quia mihi videtur, cum reuerentia loquendo, quòd vnio Ecclesiæ Græcæ cum Latina, vltima res esset in Ecclesia DEI: & ad hoc deberet intẽdere Sanctissimus Pater cum suo consilio, & dominus Rex nõster: & est res possibilis, quæ posset tractari satis leuiter: & tunc sperandum esset quòd negotia Christianorum prosperari valerent. Intendo ire in Romaniam propter plura; & videre dominum *Nicolaum Sanutum* ducem Nicxiæ & Andræ; & sibi, & aliis de partibus illis dare illud bonum auxilium & consilium quod ego potero. Noua quæ sunt in partibus istis poteritis scire per dominum Episcopum supradictum: ipse meliùs sciet vobis dicere quàm ego scribere. Rogo vos multum quòd recommẽdetis me domino nostro Regi, & domino Duci, & domino *Iohanni* Principi Amoreæ. Et istas litteras & alias quas mitto, intendo quòd ostendatis domino nostro Regi. Et si hic, vel in partibus Romaniæ, possem facere sibi grata, & pro paternitate vestra, cum honore cõmunis mei, intimetis mihi: quia paratus sum ad omnia beneplácita tã sua quam vestra. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M.CCC.XXVI.

A. Dn. 1326.

XII. *EXcellentißimo ac sapientißimo Principi, ac suo domino singulari, domino* Andronico Pallialogo, *D E I gratiâ, Imperatori Constantinopolitano, Moderatori Romeorum Magnifico, & semper Augusto:* Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de Venetiis: seipsum humiliter ad omnia Imperialia beneplacita & mandata.* Factis aliis litteris quas nouerit vestra magnificentia me apud meipsum per bonũ temporis spatiũ tenuisse, tum propter defectum nuntii sufficiẽtis, tũ propter spẽ adueniendi & loquendi vestræ Excellentiæ, de quibus magnis & occultis: quæ sic istãtibus negotiis non paruũ periculũ secũ trahunt, & vestro Imperio & aliis: nõ plus promotis negotiis vnde excellentis Imperii, quam hactenus actũ est: tamẽ quia mihi occurrerũt casus per quos nõ potui venire cũ præsentibus galeis, ad videndũ vestrum Imperiũ & vestrã inclitam Maiestatẽ, cùm, DEO teste, libenter veniſſem ad vos videndũ, & vobiscum colloquendũ: sed quia illuc venit *Matteus Marioni* vester fidelis & deuotus seruitor, ego exprimã ei & dicam aliqua quæ dicat & explicet corã vestræ Excellẽtiæ Maiestate. Et super hiis, vestra summa prouidentia prouidebit & faciet sicut diuina gratia largietur. Vbicũq; sim, sum vester fidelis & deuotus seruitor vestri Imperii. Scribẽs domino summo Põtifici & suis Cardinalibus, Regibus, & Principibus mũdi, & Baronib⁹ populi Christiani: id q̃ credo, cedere in laudem

laudem DEI, & honorem non modicum & bonum & salutem & augmentum vestri Imperii, mihi potestis præcipere nunc & semper, sicut fideli vestro seruitori. Et nouit DEVS quòd nihil est in mundo quod tantum optem, sicut crementum vestri Imperii, & salutem. Et si vestræ excellentiæ placeret, præstò essem ad vos venire. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XIII. *VIro Nobili prouido & discreto Seuasto domino* Stephano Sirupulo, *domini Imperatoris Græciæ Turchimanno amico karissimo*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de Venetiis: omnem reuerentiam cum salute.* Per alias meas litteras, istis iunctas scripsi vobis litteras domini nostri Imperatoris intercluſas: & sic eodem modo facio nunc ad præsens: per quas manifestè potestis aduertere quid agendū sit circa negotia Imperii, per ea quæ dixi domino *Marco Marioni*, amico vestro, & fideli ac deuoto Imperii, vt vobis explicet. Et tantum dico vobis loquens cum omni reuerentia, quòd dominus Imperator deberet desiderare aduentum meum ad ipsum: non, quia exprimerem ei multas nouitates, quæ sunt ex parte Occidentis: tum, quia narrarem ei multas antiquitates quæ fuerunt, quæ essent cōmodæ ad sciendum, vt sua Magnificentia per has inueniret viam & modum deducendi negotia Imperii ad bonam executionem & finem. Intellexi à persona fidedigna, quòd *Frater Andreas* Doctor ordinis fratrum Prædicatorum est in curia Romana, & procurat negotia domini nostri. Sed certè mihi videtur quòd negotia quotidie maturantur, & meliorantur, vt prosperentur facta Imperii: Ita quòd si dominus Imperator voluerit tenere firmiter & continuare solicitè, negotia feliciter finientur. Litteram de qua mihi scripsistis, quam dominus Imperator mihi mittebat, ego nunquam habere potui; & tamen scripsit ipse pluribus aliis de Venetiis. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XIV. MAgnifico & Excellenti domino, *domino suo, domino* Iohanni, *DEI gratiâ, Lotharingiæ ac Limburgiæ Duci*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Venetiis: seipsum cum omni recommendatione & promptitudine famulandi.* Quia imitatorem progenitorum vestrorum Illustriū ex parte vtriusque parentis, tam in Diuino amore, quàm in morum compositione, ac etiam in bellicorum actuum prudentia & virtute, fama præclara vos prædicat, vestræ Magnificentiæ opus DEI, & Terræ Sanctæ negotia studiosè commendo. Vestra nouerit Celsitudo quòd circa dictum tempus & negotia, expensis ac laboribus ab infantia solicitè laboraui: Et paganorum infirmiora, ad CHRISTI laudem & gloriam, ac promotionem Fidelium, diligentissimè exploraui; & vt labor meus ad notitiam Catholicorum & Principum perueniret, ne obliuio intercideret, in vno volumine coaptaui, cuius Rubrica voluminis dicitur, *Liber Secretorum Fidelium Crucis: qui est tam pro conseruatione Fidelium, quàm pro conuersione vel consumptione Infidelium; quanquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto.* Istum quidem librum domino nostro summo Pontifici, ac dominis Regibus Franciæ, Angliæ, Siciliæ, dominisq; Cardinalibus ac multis aliis Prælatis, aç domino Comiti Hanoniæ, & aliis quibusdam dominis Comitibus Franciæ, præsentaui: & quia prædicti progenitores vestri, quorum imitari incipitis felicia vestigia, se circa dictæ Terræ Sanctæ negotia multum strenuè vexauerunt, mitto vobis cum litteris præsentibus prologum, rubricas & Capitula dicti libri, & quædam alia. Paratus sum vobis totum librum integrū cum Mappis mūdi transmittere, si vestra probitas magnifica illum desideret possidere. Si verò dubitaretur forsitan quòd supradicta Terræ Sanctæ negotia forēt nimiùm sumptuosa: Respondeo breuiter & fideliter, quòd non: sed assero, quòd si Rex aliquis vel Princeps magnus cum consilio domini summi Pontificis, eiusq; adiutorio, illa negotia inchoaret, plus de pecunia acquireret, quàm ipsum expendere oporteret, si prædicti libri ordinem sequeretur. Nihil enim deficit, nisi principium debito ordine inchoandum. Vestram dominationem conseruet Altissimus per tempora lōgiora, cuius mandatis ac beneplacitis paratus sum prompto animo obedire. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI, circha M. CCC. XXVI.

XV. *VEnerabili in CHRISTO patri & domino suo karissimo, domino* Almerico, *diuinâ prouidentiâ Archiepiscopo Rauenati, & comiti Romandiolæ per sacrosanctam Romanam Ecclesiam:* Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de contrata Sancti Seuerii de Venetiis, eius seruitor humilis & deuotus: cum humili recommendatione seipsum.* Nouerit vestra paternitas Reuerēda, quòd existens longo tempore in Romana curia, & etiam in curia Regis Franciæ, pro tractādis & procurandis negotiis Terræ Sanctæ & totius Christianitatis, audiui de vestrę famæ celebritate, & bono vestro regimine, quod in vestris partibus exercetis, & de amore quē geritis ad *Venetos:* & postea quando veni Venetiis audiui similia, propter quæ ego totaliter feci me vestrum seruum: & ideò habui fiduciam scribendi & insinuandi vobis aliqua propter honorem DEI, & domini nostri summi Pontificis, & totius Catholicæ fidei. *Siquidem ipsi domino Papæ scripsi libellum continentem secreta quædam, tam pro conseruatione fidelium; quamquam etiam propter acquirendam & tenendam Terram Sanctam & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto:* Quod opus in tres libros partitum est. Primus liber, continet dispositionem ad liberandum Terram Sanctam: Secundus liber, cōtinet ipsam liberationem: Tertius, docet conseruare he Infidelium dominio subiiciatur de cætero. Hæc autem ideò vobis scribo, vt si vobis videtur expediens, ipsi domino suggeratis, quòd negotia ipsa assumat prout viribus promouere conetur: & si plus de dicto opere scire velitis, paratus essem vobis copiam destinare. Datæ *Venetiis,* Anno Domini nostri IESV CHRISTI circha M.CCC.XXVI.

XVI. *VEnerabili in CHRISTO patri & domino*, vel *Magnifico & excellenti domino* &c. Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti de Venetiis, suus humilis & deuotus seruitor: seipsum cum omni recommendatione humili, & promptitudine famulandi.* Quia cursus temporis, solicitudo ardua, interdum obliuionem inducunt, *vestra Reuerenda paternitas*; vel, *vestra Magnifica & excellens dominatio* nouerit per præsentes quòd ille *Marinus* ego sum, qui hactenūs præsentaui domino nostro summo Pontifici & vestræ Reuerendæ paternitati librum & Mappas mundi *Secretorum Fidelium Crucis, qui est tam pro conseruatione Fidelium, quàm pro conuersione vel consumptione Infidelium; quanquam etiam propter acquirendā & tenendam Terram Sanctā & alias multas terras, DEO dante, in bono statu pacifico & quieto.* Et licet præsumptuosum appareat, seruum humilē sublimi domino arduā recordari: quandoq; tamen nec est reprehensibile seruo, recordari; nec domino, audire indecens iudicatur. Hinc est quòd, quamuis *Reuerenda paternitas*; vel, *vestra Magnifica & excellens dominatio* benè noscat de factis partiū istarū, vt credo, nihilominus cū reuerētia, & ad cautellā vestræ Reuerēdissimæ scribo paternitati, tamē cū maximo cordis dolore quicquid sentio ex prædictis. Nā *Lombardia* & *Tuscia*, & quasi tota Italia, & aliæ terræ Christianorū quāplurimæ, immēsis guerrarū tribulationibus sunt oppressę: & nō solùm in mari Mediterraneo bella & spolia solùm inter Christicolas cū nauigiis damnabiliter frequētantur: & nō solùm terrę huius damnū recipiūt de statu suo pessimo, sed & regnū Franciæ, & alia regna cætera Christianorū, & Principatus, damnū sustinēt valdè magnū. Et vestra Reuerēda paternitas melius nouit quàm sciā scribere, modò vestræ paternitati benignæ præsentibus reseretur quòd honore DEI sum quāplurimùm fatigatus, postquā receſſi a vestra paternitate Reuerēda, scire voluntatē Alemanorū, tam in Alemania, quàm in aliis partibus in quibus fuerim Lōbardiæ, & maximè Venetiis, vbi cōfluunt diuersarū gentiū nationes: & hoc modo cognoui quòd quāplurimi domini ex nobilissima plapia Alemanię applicuerūr Venetiis causa trāsfretādi ad Sepulchrū Dominicū vltra mare, cū quibus magnam habui familiaritatē: ex quibus erāt aliqui de familia *Regis Boemiæ*, & aliqui de familia istius *Bauariæ*, qui nuper in Lombardia applicuit: aliqui erant milites qui cū *Vescontibus* fecerāt mansionē; aliqui verò cū *Castruccio*, qui in suis gestibus bene nobiles apparebāt, qui dicebāt, *Nos parati sumus mori pro Sancto Imperio.* Et sunt nō solùm seculares in voluntate vel fatuitate huius; sed quam plures Clerici vel Religiosi, qui sunt in statu maximo, cū quibus locutus fui multoties. Tamen me cū reuerētia colloquēte,

totum

torum quod dictum est, quasi in nihilum redundasset, nisi propter timorem & molestiam factam Lombardis, ipsi Lombardi non reperientes aliam viam propter quã possent euadere, fecerunt istum *Bauariæ* venire in Italiam, de quo nullam voluntatem habebant: Tamen ex eo quòd dominia nolebant amittere ipsum venire fecerunt. Et vt vestra paternitas melius rei veritatem cognoscat, exemplo poterit declarari. Nam illud quod accidit ex concilio sanctissimo domino nostro summo Põtifici, accidit quampluribus aliis, qui se tenent sapientes & probos, & præsertim domino meo Duci & communi Venetiarum de facto Ferrariæ. Nam propter molestiam eisdem factam à Venetis, se de nouo posuerunt sub dominio Papæ *Clemẽtis*: verè ipsos cognoscentes, aliter non posse euadere de dominio Venetorum. Et simili modo propter molestiam quam illi de Nigropontis Insula inferebãt illis de compagna ducatus *Athenarum*, acceperunt dominium Regis *Federici*, de quo nullã volũtatem habebant. Ac etiã propter molestias & obsidiones factas Paduanis & Teruisinis per dominũ *Canem Magnum de la Scala*, ipsi Paduani dederunt dominiũ ciuitatis duci *Austriæ*, tanquã Regi Romanorũ; & Teruisini comiti *de Guricia*: & de hiis omnibus certus sum & euidenter apparuit: & illud simile de aliis pluribus posset dici. Nã postquam iste *Bauarus* venit, prout dixi, cum reuerentia loquendo, fideliter quantum plus possum, saluo meliori consilio, & maximè sanctissimi domini nostri summi Pontificis, credo quòd sanctum & pium esset quòd restitueretur gratia prædicto Bauariæ: cum intentione eiusdem sanctissimi summi Pontificis bona fuerit & est, vt firmiter credo. Idcircò, bonum esset quòd aliqua sancta persona se intromitteret inter eosdem pacem ponere: vt tanta mala cessarent, quæ incurrunt & sunt quotidiè in cõcursu. Et maximè vestra Reuerenda paternitas hoc haberet tractare, & præsertim propter dignitatem, & nobilitatem quam tenetis, & propter tempus & originem de quo estis extracti de Italia, & maximè de nobilissima vrbe: ad hoc vt super tali negotio aliquod posset bonum remediũ reperiri; & de eo quod in Italia expenditur à Sancta Romana Ecclesia, posset expendi in opportunis negotiis Terræ Sanctæ & Ægypti, & aliarum terrarum circumstantiũ illis; & facere maximos conquestus: sicut in Libro & Mappis pleniùs continetur, quem vestræ tradidi Reuerendæ paternitati. Præterea mihi videtur, cũ reuerentia colloquenti, quando Sanctissimus summus Pontifex hoc facere dignaretur: scilicet restituere gratiã prædicto Bauariæ: leuiter posset haberi concordia ab Excellentissimo Rege *Roberto* Ierusalem & Siciliæ, & *Duca* eius filio ad prædictum Bauariæ, quia leue esset prædicto Bauariæ dimittere Regi Roberto & Duchæ eius filio, quicquid tenent, quod pertinet ad Imperium: quia de eo quod tenent ab Ecclesia nõ est quæstio: & de extrinsecis terrarũ posset reperiri via & modus, quòd gauderent bonis suis; & sic trãsire. Et credo me certũ, quòd si sanctissimus summus Pontifex restituat gratiam prædicto Bauariæ, quòd fiat concordia vt dictum est, à Rege Roberto & Duca eius filio ad prædictum, per supradictum modum; quòd breuiter simili modo fiet cõcordia à Rege Roberto ad Regem *Federicum*: & nõ deficiet quod non fiat: quoniam omnia reuertentur ad suum bonum statum: ex qua guerra Siciliæ, vt scitis, prouenerunt tot mala Christianitati, propter quam mortuus excellẽtissimus *Rex Franciæ Philippus*, filius Sancti Lodoyci, & Rex *Petrus Aragonæ*, & quamplurimi Barones & Nobiles & populi infiniti; & dispendium sine mensura: & potest dici, quòd Acon & residuum Terræ Sanctæ propter hoc amissum est. Et ad hoc vt nihil deficiat, cũ omni humilitate reuerenter scribo vestræ paternitati benignæ, quòd si supradictus *Bauariæ*, postquam tractauit & fecit illud quod eidem videbatur cũ istis dominis Lombardiæ & Tusciæ, & maximè cum domino *Cane de Scalis*, ipse recessit de Tridento, & iuit per viam superiorem montanorũ Lombardiæ *Pergamum*, aliquando eques & aliquando pedes, vt illa via requirebat: Et quando intrauit prædictã terrã, venerunt ei obuiam Religiosi & Clerici, cum crucibus leuatis processionaliter, & cum populo ipsos sequente, cantantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & cùm intrauit ciuitatem, carceres fuerunt aperti, & relaxati fuerunt qui intus erant detenti: & ibi permanens diebus aliquibus, fuit honoratus vt melius potuit fieri. Postea recessit inde nonâ die, exeunte Martio, & iuit *Cumas*: & ibi modo simili fuit honoratus, & manere debet ibi, & expectare vxorẽ suam, & aliam gentẽ de Alemannia: & postea ire *Mediolanum* coronam ferream accepturus: & isti domini Lombardi, vt dominus

Canis,& dominus *Passarinus*, & vnus Marchionum Ferrariæ, magnum fecerunt apparatum causâ eundi ad eius coronationem iam dictam. Dominus Legatus qui est in Lombardia pro domino nostro Papa,ad præsens *Bononiæ* commoratur, tenēs totaliter eiusdem dominium:& facit ipsam murari & fortificari quantum plus potest: & sic *Placentiam*,& cunctas ciuitates Lombardiæ quas tenet, & earum castra, facit muniri gente equestri & pedestri. Et dicitur quòd dominus Legatus habet bene quatuor mille pagas equestrium. Præterea fecit muniri super comitatu Mantuano *Burgum forte*,& Abbatiam *Sancti Benedicti de Polliron*: ita quòd consideratis omnibus,sapientia vestra & summa prudentia habet necesse quòd fatigetur, quòd non accidant tot mala & diuisiones quæ concurrunt, & sunt continuè in concursu Catholicis. Quòd si DEVS,suâ pietate,& vestra paternitas Reuerenda non præponit manus suas,posset esse tam magna diuisio & damnum vt fuit de Græcis, qui secesserunt à Latinis:quod absit;quia isti *Theutonici* sunt fortissimæ gentes, quas melius me cognoscitis; & *Lombardi* etiam: sed in Lombardia sunt magis subtiles, & malitiosi homines,qui non curarent de diuisione quæ incurreret. Quare,pro DEO,ac etiam honore vestræ clementiæ, dignemini solicitari quòd tot non eueniant mala; sed tractentur tot bona, quot possint tractari. Quoniam de eo quod expenditur in Italia,& maximè per dominum nostrum Papam, possunt multa acquiri, vt vestra Magnificentia per Librum & Mappas mundi supradictum benè nouit, tam in Terra Promissionis,quàm in terra Ægypti, & aliis terris circumstantibus illis, & etiam regnum *Tunicii* leuiter posset haberi quòd protenditur iuxta mare plus XL. dietis: in qua contrata sunt multæ ciuitates & loca: quæ terra magis est fructifera & delectabilis quàm reperiatur in mundo: in qua erat ædificata Cartago; & iam acquisiuerunt Romani alio tempore prædictam, & post longum tempus Gothi. Ita quòd non dubito quòd si prædictus *Bauarus* habeat à domino nostro summo Pontifice gratiam per modum supradictum, fient pro eo de melioribus & maioribus factis quæ vnquam facta fuerint: quia mundus reducetur ad fidem Catholicam, vt esse cōsueuerat antè Imperatorem *Eraclium*,qui in Constātinopolim regnabat:& quod illa secta Mahumetica pestifera & suorum sequacium superuenit, quæ occupauit magnam partē mundi,& occupat nunc ad præsens.Item sunt aliqui opinātes quòd pars & gens quā dominus noster Papa habet in Italia, possit obuiare supradicto Bauariæ,quod non possit ad effectum venire.Nam si foret,redundabit propter hoc in bonum & vtilitatē Catholicæ Ecclesiæ? certè non:sed in damnum maximū & grauamē:& istud fieri nō potest absq; maximo periculo & sanguinis effusione.Et quādo posset resistere & obuiare supradicto Bauariæ,remanerēt propter hoc Lombardi & Tusci,quòd non facerent alium venire pro se defendendo? Certè non:quoniā propter cupiditatem honoris,& dominii quilibet veniret. Sunt & aliqui dicentes: *Ecclesia concordabitur cum illis qui tenent dominium Lombardiæ & Tusciæ*: videtur mihi quòd propter talem concordiā vituperarētur pastores Ecclesiæ, quando pro paleis frumentum dimitterent. ô quam dignè iustorū adscribendus esset catalogo qui tot & tanta niteretur mala deprimere;& pro CHRISTI amore tanta bona cœlestia promouere,vt de pace supradixi! Præterea adhuc, vt omnia vestræ paternitati pateāt euidenter,multi sunt qui opinātur, quòd dominus *Legatus* qui est *Bononiæ* istud tollerando,nō modicum incumbit eidem periculum: & ratio est hæc,quòd cùm Nobiles & populares minuti ciuitatis Bononiæ cōmuniter contententur de dominio ipsius Legati,gens autē mediocris,qui gaudere cōsueuerant officiis & reginiminibus ciuitatis, & pecuniam Communis manualiter tractare, & de illis accipere, viuere vel ditari,modò ad præsens est eis acceptum, quia modò ad præsens nō possunt accipere ipsam pecuniā vt consueuerant: quo modo ex hoc grauantur,& possunt tollerare,hoc cogitare vestræ discretioni relinquo. Præterea sunt plures partes extra Bononiam,tam *Guelfi* quàm *Gibellini*, qui habent in terra multos consanguineos & amicos,qui vellent quòd reuerterentur; & non curarent si terra mutaret statum. Quare non tenetur modicum periculum domino Legato prædicto: quoniam istæ gentes Bononiæ & Italiæ sunt absque freno: & scitur benè quòd fecerunt domino *Neapolioni* Legato illuc. Et etiam quidam paruus populus Rauenæ, scitur quòd fecerit domino *Iohanni de Columna* ibi existenti,pro Sancta Romana Ecclesia Comiti: quia ceperunt eum, & tenuerunt districtè quousq; se cum Ecclesia concordarunt.

Præterea

Præterea ſcitur quòd illi de Alexandria Lombardiæ fecerunt Magnifico & Excellenti domino, domino *Guilielmo Montiſferati* Marchioni, quoniam proditoriè ipſum ceperunt, ipſum in carceribus detrudẽtes, in quibus finiuit miſerabiliter vitã ſuam. Ac etiam fuit quidam Nobilis de Florentia, qui exercitu exeunte Florentinorum, Lucenſium, & aliorum de Tuſcia, ſuper territorio Senenſi, in loco dicto *Montaperti*, & erant acies vtriuſque partis pedeſtres & equeſtres ordinatæ in magna multitudine gẽtium, pro bellando: prædictus Nobilis adhæſit illi qui ferebat vexillum communis Florentiæ; & eum percuſſit taliter, quòd eidem abſcidit manum cum brachio, & ſic vexillum cadens in terra, exercitus Florentinorum, & Lucenſium, & aliorum ſequacium fuit debellatus; & fuerunt mortui & capti ex ipſis in maxima quantitate: Nam ille Nobilis antedictus hoc non commiſit pro auro vel argento: ſed fecit vt pars ſua imperii lucraretur. Præterea quidam fuit nomine *Tibaldellus de Cambraſiis*, de Fauentia naturalis: fuit decoratus corpore, & diues, & benè loquens, qui dedit Fauentiam comiti *Guidoni de Montefeltro*: qui Comes pro eo quod fecerat Tibaldellus prædictus, multùm confidebat de eo; & ipſum diligebat in tantum, quòd quando prædictam ciuitatem exibat, eandem in eius cuſtodia relinquebat. Quare cùm ipſe Tibaldellus fuerit per quendam nobilem *de Acariſiis* verborum dedecore vehementer impulſus, vt melius de eo poſſet vlciſci, & plenariè poſſet eius domum totam deſtruere, irruit in quædam chormia valdè, quæ non ſunt ab hominibus referenda; & rurſum poſthæc Fauentiã proditoriè tradidit comiti Bononiæ. Scitur etiam quod factum fuit domino *fratri Nicolao* ordinis Prædicatorum, Cardinali Oſtienſi, qui fuit oriundus de Prato: qui miſſus fuit Florentiam per ſanctiſſimum Papam *Benedictum*, quem damnabiliter repulerunt de terra: & vt melius poſſent pertractare, fuit in ciuitate commiſſum incendium, quare fuit aliqua pars Florentiæ concremata. Qua propter prædicta omnia poſſumus ſumere in exemplum. Et, vt dixi de domino Legato, dico etiam de domino Duci filio Excellentiſſimi domini Regis *Roberti*: quòd non commoratur ſecurè; imò eidem periculum maximum imminet: quia, cum emendatione dico, ipſe cum gentibus impiis commoratur: quoniã in *Lombardia* & in *Tuſcia* non ſunt x. vel xx. qui auderent manus ponere in corpus Regis; ſed ſunt benè x x. millia, & præſertim pro faciendo vindictam ſuam: ita ſunt deſpetoſi, veneno ſi & audaces. Quare, pax pro vtraque partium eſt mirabiliter collaudanda. Præterea veſtræ paternitati benignè ſcripſi ſeriatim periculum quod incumbit terris & Inſulis ſubiectis Principatu *Amoreæ*, tam per Turchos, quàm per illos de Compagna, qui tenent ducatum Athenarum: quia ſi amitteretur, erit maius grauamen & damnum excellentiſſimo Regi *Roberto*, quàm fuerit de Sicilia: & domino Duci, & communi Venetorum damnum incumberet, & aliis multis Catholicis. Ideirco ad præſens, commune Venetiarum miſit duas galeas menſe Martii. Quare firmiter credo quòd foret maximum bonum, quòd domus Franciæ, & maximè Rex ſe intromitteret de pace; & requireret *comitem Hannoniæ*, quia ſocer eſt iſtius *Bauariæ*, ad hoc vt domino noſtro ſummo Pontifici, per prædictum Bauariæ fieret illa reuerentia, vt pax foret quæ ſuæ Sanctitati altiſſimæ conueniret. Supplico igitur veſtræ reuerentiſſimæ Paternitati, quatenus me recõmendare dignemini ſanctiſſimo domino noſtro ſummo Pontifici cùm tempus affuerit, ſupplicantem altiſſimo Creatori, quòd ſuam Sanctitatem conſeruet per tempora longiora. Et ſi pro ſua Sanctitate poſſum aliqua quæ ſint grata, mihi, fideliſſimo intimo ſeruitori eiuſdem, & ſeruo ſeruitorum eius, præcipiat: quia me paratum, vbi libet, offero ad quæque genera mandatorum. Et ſi qua pro reuerentiſſima Paternitate veſtra intenditis me facturũ, præcipiendo mandetis. Conſeruet vos Altiſſimus per tempora longiora. Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRISTI dulciſſimi, qui eſt lux & vita MCCCXXVI. de menſe Martii, vel circa. An. Do. 1326.

XVII. *Reuerendo in* CHRISTO *Patri & domino, domino* B. *Diuinâ prouidentiâ tituli ſancti Marcelli Presbytero, Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato*: Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Venetiis, ſanctæ matris Eccleſiæ per omnia deuotus: recommendationem, & ad beneplacita quæque, ſe totum.* Veſtræ Excellentię & Paternitati benignæ fiduciali ter ſcri-

bo cum omni reuerentia debita & deuota, considerans aspectum bonum vestræ Reuerendæ paternitatis quam vidi Placentiæ, quem mihi vestro intimo seruitori, vestri gratiâ, ostendistis: circa festum Natiuitatis Domini proximè venturum erunt quatuor anni elapsi. Et ibi coram vestro dominio præsentaui litteras apertas Excellentissimi domini Regis Ierusalem & Siciliæ, & priuilegium Cardinalium, causâ habendi subsidium, consilium, & conductum à venerabili vestra paternitate, oretenus vobis referens quædam noua, quæ mihi relata fuerunt à quodam factore excellentissimi domini Regis prædicti, nomine *Iacobo de la Cana:* super quibus gratiosè respondistis mihi vestro fidelissimo seruitori. Considerans etiam vestram bonam famam quæ est vndique diuulgata: Quoniam vestra circumspecta prudentia bonum commune diligit & affectat, ac etiam exaltationem nominis Christiani, inter quos quidem, DEO dante, gliscit vestra solertia pacem ponere & quietem. Et idcircò quamuis sim minimus in huiusmodi peragendis negotiis, tamen iuxta meæ paruitatis modulum, studui tempore longo, vt quæ sunt prolata de pace possint perfici, ac fine laudabili terminari. Et propterea ad curiam Romanam quamplures litteras destinaui, ad illos quos credo magis fore ptopè dominum nostrum summum Pontificem, & fideles eiusdem: & sic simili modo ad Curiam Excellentissimi domini *Regis Franciæ*, veluti domino Confessori eiusdem, & Conostabulario domino *Gualterio de Castilione:* qui, illic me commorante, valdè homines solempnissimi appatebant: & ostendebant valdè tunc diligere dominum nostrum summum Pontificem, & fideles eiusdem, & eius Excellentissimũ filium dominum *Regem Ierusalem & Siciliæ*, quem sum certus vestram dominationem diligere cum filio eius *Ducha*, & eius prosapia. Quare vestræ paternitati laudabili destino intercluſum tenorem litterarum illarum quas transmisi prædictis: vt si in eis sapientia vestra reperiet aliquid fructiferum, illud promanere dignetur, prout eidem melius videbitur conuenire. Et vbi in prædicta littera defecerunt istius *Bauari*, & suorum itinerum nouitates, credo quòd non indigetis eis: Nam præsumo benè quòd notas habeat vestra paternitas Reuerenda. Præterea quia de vestra commendabili dominatione confido, ad hæc cum reuerentia fide & deuotione scribam aliqua; & si in prædictis procederem vltra quàm deberem, DEI honore patcere digne-
mini mihi vestro intimo seruitori. Quoniam video quòd propter ingressus istius *Bauari*, qui est in Italia, valde est oportunum & vtile de ipso præuideri, & non est differendum, quòd non ad memoriam vestræ dominationis Magnificæ reducatur illud totum, quod potest memoriæ commendari. Nam *præterita sunt declaratio futurorum: & probatio, artem efficit.* Credo namque, & certus sum, quòd sanctissimi summi Pontifices qui transierunt, & eorum ministri, & hic qui est ad præsens, habuerunt & habent sanctissimas & bonas intentiones, qui conati sunt sequi Domini nostri IESV CHRISTI præceptum, dicentis: *Petre, diligis me? pasce oues meas:* tamen si vidissent quòd nos moderni aspeximus & videmus, non tantùm vlteriùs processissent, & maximè in Italia in recipiendo dominia: & præsertim sanctissimus summus Pontifex Papa *Nicolaus tertius* de Vrsinis, qui recepit dominium Bononiæ & Romandiolæ, expulsâ parte *Lambertaciâ* de Bononia, & reductis eis ad quamplures ciuitates Romandiolæ, propter quod erat guerra magna: Neque successor eius sanctissimus Papa *Martinus* expendisset tam maximam summam pecuniæ in facto Romandiolæ prout fecit, & præsertim pro repellendo Comitem *Guidonem de Montefeltro* extra Romandiolam, si considerassent qualiter vsque ad diem præsentem negotia processerunt. Et vt vestræ paternitati Reuerendæ de Italiâ hominibus fiat cognitio, & de suis ineptis moribus declaratio, non credo quòd necesse sit, tantam temporis moram in Italiam prædictam contraxistis, & maximè in ciuitate Astenensi; postea Placensi, in qua, vt prædixi, vestram paternitatem laudabilem visitaui: deinde Parmæ; ad præsens verò Bononiæ. Nam, cum reuerentia vobis dicam quicquid sentio de prædictis, quando sanctissimus summus Pontifex habuisset Mediolanum, & totum Italiæ residuum, in quiete, non potuisset in pace longo tempore tenuisse: Quoniam pro hominibus Italiæ non est spirituales rectores habere, propter malitiam superfluam, & crimina sceleratissima quæ regnant & existunt in eis. Nec etiam conspicio quòd Serenissimus Rex prædictus Ierusalem & Siciliæ, dominus meus

Ioan. 21, 15. &c.

nus meus, in pace posset regere antedictos, considerans quomodo *Pedesmontis* retinet Comitatum & *Ianuæ* ciuitatem : ac quomodo Pedesmontis Comitatum prædictum, prædecessores sui tenere minimè potuerunt. Ita quòd, reuerenter & fideliter colloquendo, necesse est, quòd via alia requiratur, vt possint regi Italiæ homines in statu pacifico & quieto. Nam firmiter credo quòd sanctissimus pater noster summus Pontifex, & vestra paternitas Reuerenda hoc desiderant super omnia mundi huius, & debent. Verùm, si foret quisquam qui diceret, *Nonne Imperatores qui præcesserunt, reperti sunt rebelles & inobedientes sanctæ matris Ecclesiæ?* Respondeo, quòd si fuerunt, DEVS optimè puniuit eos, & eorum heredes. Et hoc primò manifestè probatur de Imperatore *Federico Barbarossa*, qui transiuit vltra mare per viam quam transiuit *Godifredus de Bolione*, cum manu forti & brachio extenso, sibi ipse Imperator subiiciens ciuitates *Cunii* & *Philomenæ*: & fama sua iam discurrerat per partes vndique Orientis, taliter quòd *Saladinus* Soldanus Babyloniæ fecit omnes ciuitates quæ non erant fortes, dishabitare; & aliæ, quæ fortes erant, fortificari melius & muniri. Vndè Imperator prædictus, propter peccata propria impia & inepta, transire flumen Salephi volens sumersit, in detrimentum maximum totius Christianitatis : vt reperitur in libro *Vltramarini conquestus*. Præterea Imperator *Otto*, qui fuit de domo de Burswich de Sansonia, qui contra præceptum sanctæ matris Ecclesiæ iuit ad pugnandum cum excellentissimo Rege Franciæ, fuit debellatus & vulneratus ad mortem, propter quod domus sua remansit in desolatione longo tempore : prout reperitur *in Speculo fratris Vincentii*. Nam & Imperator *Federicus* succedens, si fuit causa scandali ab eo ad Ecclesiam, ex eo quòd Ecclesia ipsum nutrierat, vt reperitur : sui heredes habuerunt maximam punitionem exindè. Nam habuit quatuor filios qui miserabiliter finierunt; vt sciri potest, & Coradino, nepoti eiusdem, fuit caput amputatum, & filio filiæ, qui nominatus fuit *Federicus de Stof*, Lancrauius de Turigia & Marchio de Misnia, persecutiones maximas tolerauit, circa triginta duos annos elapsos, à comite *Namphonensi Adolfo*, qui in Regem electus fuerat Romanorum : Pro quibus omnibus quisquam habet causam benè agere. Sed nihilominus fuerunt alii Imperatores, qui benè egerunt : & fuit *Karolus Magnus*, & alii. Nam Christianitas multùm indigebat prædictis propter conditiones Christianorum fidelium. Quare videns statum pessimum Christianitatis, & maximè Italiæ, vt scire potest vestra paternitas Reuerenda, quia per terram non potest homo ire nisi cum maximo periculo, nec per mare, quia isti Saonenses & Siculi inferunt damnum maximum mercatoribus : & etiam excellentissimus Rex Ierusalem & Siciliæ, non benè potest cogere gentem suam, quòd non inferat damnum amicis suis : vndè, non solùm Italiæ homines damnum recipiunt de statu suo pessimo; sed regnum Franciæ & alia regna fidelia Christianorum, propter mercimonia quæ consueuerunt portari & conduci ab eis per diuersas partes mundi ad regna prædicta. Et propter hoc manifestè ostenditur, quomodo excellentissimus *Rex Franciæ*, cum regno suo habundat diuitiis, cum omnibus decimis quas tenet ab Ecclesia Rex prædictus. Nam simili modo de *Rege Angliæ* potest dici. Et vestræ dominationi reuerenter expono, quòd illi qui magis sunt fideles sanctæ matris Ecclesiæ vltra modum scandalum patiuntur, propter eorum statum pessimum, & tormenta quæ quotidiè substinent. Turchi etiam, pessimi Saraceni, qui morantur in minori Asia, infestant valdè insulas Romaniæ, & maximè Insulas quæ pertinent ad *principatum Achaiæ*. Quare Christianitas multo indiget pacis remedio : & hoc non video quòd possit ad præsens fieri, si non fuerit Imperator cum voluntate & beneplacito Ecclesiæ. Nam fideliter & reuerenter loquendo, exponam quicquid sentio ex prædictis. Quando eram in curia excellentissimi Regis Franciæ domini *Karoli*, qui est ad præsens Rex Franciæ, habens sororem Regis Boëmiæ in vxorem, Rex prædictus Boëmiæ tractabat ipsum fore Imperatorem cum voluntate istius *Bauari*. Non videtur mihi quòd illi qui erant propè Regem Franciæ, multùm contentarentur : immò spernebant rem : Sed postea *Rex Boëmiæ*, cum *comite Hanoniæ*, tractabat facere dominum *Karolum* patruum ipsius Regis Franciæ,

Regem Atelatenſem ſiue Vienenſem, cum conſenſu & voluntate prædicti Bauari, ſed propter filiam domini Karoli antedicti, quam accepit dominus *Duca* Calabriæ, filius excellentiſſimi domini Regis Ieruſalem & Siciliæ, videtur quòd remanſiſſet. Poſtmodum me veniente Venetiis, per ſpacium aliquod temporis, Frater *Albertus de Nigro Caſtro* de Alemania, qui fuit magnus Præceptor ſanctæ domus Hoſpitalis ſancti Iohannis Ieroſolymitani de Alemania, venit de Sicilia Venetiis, qui fuerat meus amicus intimus & dominus, longo tempore tam Rodi, quàm in Curia Romana, Auinione: fui cum ipſo multis diebus, moram ipſo faciente Venetiis: familiariter retulit mihi quòd Principes Alemaniæ contentabantur dare coronam Imperii prædicto Regi Franciæ ſolùm in vita ſua: & hoc faciebant, vt Imperium aliquod bonum haberet principium. Nam reuerenter loquendo, videtur mihi quod illud ex humilitate maxima & ſapientia procedebat. Et poſtea ſciui ab aliis qui ſunt de conſilio iſtius Bauari, quòd vellet libentiſſimè facere omnem reuerentiam domino noſtro ſummo Pontifici quæ ſuæ Sanctitati & Magnificentiæ conueniret. Et ſum certus quòd dominus *comes Hannoniæ* eſt tam ſapiens & propinquus domus Franciæ, ac etiam ſocer iſtius Bauari, quòd per ipſum ad honorē ſanctiſſimi domini noſtri omne bonū tractaretur. Ideirco ſi eidem audientia præberetur, per ipſum cuncta quæ forent bona & vtilia tractarentur. Quæ omnia veſtræ ſignificaui dominationi clementi, quoniam nullum cognoſco, DEO preuio, qui de hoc poſſet melius dominum noſtrum ſummum Pontificem informare, ad hoc vt tanta mala ceſſarent, vt veſtra paternitas Reuerenda. Ideirco veſtra ſumma ſolertia de ſtatu gratiſſimo Chriſtianorum prævidere dignetur: quia longè magis ſunt in ſtatu deteriori quàm referam: & tam circa ſpiritualia bona, quàm temporalia: Quoniam medietas Chriſtianorum, & plus qui appellantur fideles, ſunt graui excommunione ligati, in qua excommunione pro maiori parte, ſaltem quantum ad infamiam mundi includuntur etiam qui deuotiſſimi ſunt Eccleſiæ ſanctæ DEI, quod quidem magnum generat ſcandalum apud mundum. Et ad hoc, vt veſtra paternitas Reuerenda meliùs noſcat de eo quod poteſt haberi cognitio, *Chriſtiani*, qui appellantur fideles, non tenent de ambitu mundi huius circa decimam partem. *Agareni* verò è contrario, tenent benè quinque vicibus de terra tantumdem, computatis omnibus, & plus: prout poteſt conſpici euidenter in Mappis mundi & Libris, quos & quas domino noſtro ſummo Pontifici præſentaui, atque filio ſuo Ieruſalem & Siciliæ Regi, & excellentiſſimo Regi Franciæ, Regique Chriſtianiſſimo Angliæ, & pluribus Cardinalibus, ac etiam Prælatis & Principibus & Baronibus. Et nihilominus, vt in prædicto Libro poteſt perſpicaciter intueri, quòd ſi in citramarinis partibus pax foret, & quiſquam reperiretur dominus, qui, foret ſpiritu Diuino promotus, qui vellet ſuum intentum ponere circa acquiſitionem terrarum quas tenent Saraceni, ipſi, mediante diuinâ potentiâ, non poſſent defendere terram illam, quin ſubiiceretur nomini Chriſtiano: vt in libro iam dicto & Mappis pleniſſimè continetur. Pro quibus omnibus exequendis, deſtino veſtræ dominationi Magnificæ prologum & rubricas libri prædicti, & quædam alia quæ in Romana curia edidi, ac in curia Excellentiſſimi Regis Franciæ. Nam ſi benigna veſtra paternitas deſideraret videre magis vlteriùs de prædicto, paratum me offero oſtendere; & veſtrum perſonaliter dominium viſitare, præſupponendo quod poſſem ad dominationem veſtram cum ſecuritate venire: Quoniam Bononienſes habent repreſalias contra Venetos; & Veneti reſiſtunt, quòd nullus Bononiam veniat: tamen de hoc poſſet remedium reperiri. Præterea deſtino vobis quandam cedulam interclusam, quæ pertinet dominis qui habent regere gentem, & maximè ſuper factis armorum. Conſeruet veſtrum Magnificum & laudabile dominium ac benignum Altiſſimus qui per tempora longiora. Cui ſi ſeruire poſſum, dignetur præcipere ſicut eiuſdem præcipuo, intimo, & fideliſſimo ſeruitori. Datæ *Venetiis*, Anno Domini noſtri IESV CHRISTI dulciſſimi, qui eſt Lux & Vita, MCCCXXVII.

An. Do. 1327.

XVIII. *REuerendis in CHRISTO Patribus & dominis ſuis kariſſimis, domino* Ingramo, *Diuinâ prouidentiâ dignißimo Archiepiſcopo Capuano, & Cancellario excellentißimi Ieruſalem & Siciliæ Regis; ac domino* Fratri Paulino Or-

lino *Ordinis Minorum, Episcopo Puteolano, eiusdem domini Regis consiliario*: Marinus Sanutus *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti de Venetiis: seipsum cum omni reuerentia & promptitudine famulandi.* Vestræ Reuerendæ paternitati, notum facio per præsentes, quòd per multas litteras vobis scripsi, inter quas duas mitto istis præsentibus intercluſas. Iterum vobis significo, quòd noua sunt certa Venetiis, quòd *Bauarus* fuerat in Viterbio, & diebus pluribus dilatauit iter suũ causà veniendi Romam: & tandem VII. die Ianuar. vrbem Romam ingressus est, cum gente sua armis munita & equitum & peditum. Et cum omni reuerentia loquendo, quantum plus possum, postquam iste Bauarus ciuitatem prædictam intrauit, considerando modum per quem intrauit, & modum etiã quo Romani eum receperunt, credendum est & firmiter tenendum, quòd Romani erunt sibi fideles atque legales, cum aliis terris adiacentibus. Et ratio est ista: quia vsus & consuetudo & eius contrarium, scilicet dissuetudo est ad tollerandum quid graue: quia consuetudo est altera natura; quia prædicti Romani consueuerunt habere maximam vtilitatem, quando illic curia morabatur, sicut est de appensione domorum, & victualium, & aliis vtilitatibus; specialiter propter beneficia Ecclesiastica, & gratias quas à sancta Ecclesia ibi percipiebant plus quam habeant in præsenti. Quapropter credo quòd omnem obedientiam sibi exhibebunt causà recuperandi suum pristinum ac bonum statum: propter quæ omnia, semper vobis reuerentiam exhibendo, ego consulerẽ atque laudarem, postquam prædictus *Bauarus* in tantum processit, quòd dominus noster Rex bonum haberet cõsilium; & Ambaxiatores sapientes ad eum transmitteret; & componeret, ac pacem tractaret inter dominum nostrum summum Pontificem, & prædictũ Bauarum: quia non est homo nec Princeps in mundo, qui meliùs posset istud negotiũ ad effectũ deducere, quàm prædictus dominus noster Rex: & per istam viam, posset inueniri modus per quem Italia & aliæ terræ Christianorũ possent reduci ad statum, & concordiã pacis: & Terra Sancta quæ est hereditas nostra, & regnum domini nostri Regis prędicti, breuiter posset recuperari & haberi, cum multis aliis terris & regnis quæ ab infidelibus possidentur. Si autem non erit concordia & pax inter dominum nostrum summum Pontificem, & Bauarum prædictum, grauissima mala & damna superuenire possunt toti Christianitati: quæ in parte continuè venire videmus. Debemus enim cõsiderare, quod res quæ ad effectum deduci nõ possunt, bonum est quòd totaliter dimittantur. Credo namq; imò certus sum quòd sanctissimi summi Pontifices qui trãsierunt, & eorum ministri, & iste sanctus Pontifex qui ad præsens est, habuerunt sanctissimas & bonas intentiones, quia conati sunt implere domini nostri IESV CHRISTI præceptum, dicentis, *Petre diligis me? pasce oues meas:* Si tamen vidissent quòd nos moderni aspicimus & videmus, non tantum vltetius processissent & maximè in Italia, in recipiendo dominium; & præsertim sanctissimus noster Pontifex *Papa Nicolaus tertius* de Vrsinis, qui recepit dominium Bononiæ & Romandiolæ, expulsâ parte *Lambertaciâ* de Bononia, & reducẽtes eos ad quamplures ciuitates Romandiolæ, propter quam causam erat guerra magna. Neque etiam successor eius sanctissimus *Papa Martinus*, expendisset tam magnam pecuniæ summam in facto Romandiolæ, prout fecit, & præsertim pro repellendo comite *Guidone de Monte Feltro* extra Romandiolam, si considerasset qualiter vsque ad diem præsentem negotia processerunt. His igitur consideratis ac diligenter inspectis, credere debemus, quod si non potuerunt possidere in pace contractam illam Bononiæ & Romãdiolæ, quæ modica est, quomodo tenere in pace potuerũt Mediolanũ, & alias Italiæ partes si habuissent? Cui reuerentia ergo, fide, & deuotione vobis ac domino nostro Regi loquẽdo, pro bono ac magnifico statu eiusdẽ, quomodo tenere potuit *Pedemõtis* comitatũ auus domini nostri Regis, & quomodo ad præsens Comitatũ eundẽ tenet prædictus dominus Rex noster & *Ianuæ* ciuitatẽ? Huic quæstioni respõdere nolo: sed tuæ discretioni & sapientiæ iudiciũ relinquo. Et ideò, ad ista & multa alia dirigendo respectũ, multò plus videntur ista dominia reportare periculũ, ac damnum, quam profectũ: loquẽdo tam de dominio sanctæ matris Ecclesiæ, quàm etiã de dominio excellentiss. domini nostri Regis, & specialiter pro populo Christiano. Propter quæ omnia, alia bona via mihi videtur tenenda: scilicet quòd istud principium habeatur de pace componenda &

Ioh. 21, 15.

tractanda inter sanctissimum dominum & patrem nostrum summum Pontificem, & Bauarum antedictum: taliter quod summus Pontifex ex hoc consequatur honorem, & sit promotio & status Ecclesiæ suæ sanctæ. Paraueram me, & familiam de nouo indueram, ad veniendum ad dominum nostrum Regem: sed quia nullam responsionem recepi, destiti & remansi. Vbicunque tamen sum, paratus sum seruire ac complacere excellentissimo domino nostro Regi, & ei iuxta posse in omnibus obedire. Noua quæ haberi possunt Venetiis de partibus vniuersis, vobis significare fideliter curaui: si non ita citò habuistis, non mihi imputetis: quia si per terram misissem, potuissent intercipi; & ideò misi eas per mare, ad hoc vt securiùs easdem litteras habeatis. Benè & diu valeat vestra dominatio Reuerenda per tempora longiora. An. Do. 1327. Datæ *Venetiis* in conuersione sancti Pauli, Anno Domini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, MCCCXXVII.

XIX. *Reuerendo in CHRISTO Patri & domino, domino* B. *Diuinâ prouidentiâ, Ostiensi & Velletrensi Episcopo, Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato*: Marinus Sanutus, *dictus* Torcellus, *de ciuitate Riuoalti, de Venetiis, sanctæ matris Ecclesiæ per omnia deuotus: recommendationem, & ad beneplacita quæque, se totum.* Scripsi vestræ Reuerendæ Paternitati, per scilicet *Iacobum, Turchemannum* & nuncium Regis Armeniæ, & per *Raimundum* habitatorem Venetiis, seruitorem vestrum, litteras super negotiis oportunis Catholicorum fidelium, vt posset in eis pax & tranquilitas interesse: Responsionem autem à vestra Reuerenda paternitate per eosdem grato animo suscepi, quia benignè & gratanter recepistis: de quo vobis humiliter regratior quantum possum. Benè & diu valeat vestra Reuerenda paternitas per tempora longiora. Modò autem vobis reuerenter & deuotè & nouiter scribo, quòd postquam iste *Bauarus* Romam intrauit, considerando modum per quem intrauit, quem benè scitis, considerando etiam modum quo Romani eum receperunt, credendum & firmiter tenendum, quòd erunt sibi fideles atque legales cum aliis terris adiacentibus. Et ratio est ista: quia vsus siue consuetudo, & eius contrarium, scilicet dissuetudo est ad tollerandum quid graue: quia consuetudo est altera natura. Quia prædicti Romani consueuerunt habere maximam vtilitatem quando illic Curia morabatur: sicut est de appensione domorum, & victualium, & aliis vtilitatibus; & specialiter propter beneficia Ecclesiastica, & gratias quas à sancta Ecclesia ibidem percipiebant, plus quàm habeant in præsenti. Quapropter, credo quòd omnem obedientiam sibi exhibebunt, causâ recuperandi suum pristinum ac bonum statum: propter quæ omnia, vobis semper omnem reuerentiam exhibendo, consulerem atque laudarem, postquam prædictus Bauarus in tantum processit, quòd vestra Reuerenda paternitas persuaderet domino nostro summo Pontifici, quòd istum Bauarum reciperet ad gratiam suam, faciendo Bauarus domino nostro summo Pontifici omnem reuerentiam & honorem; & vt ipse pacem haberet cum excellentissimo Ierusalem & Siciliæ Rege: & per consequens fieret pax in populo Catholico & fideli. Credo autem, & verissimè teneo, vobis semper reuerentiam exhibendo, quòd ad ista complenda esset sufficiens & fidelis dominus *comes Hanoniæ*, qui vtrique parti est affinitate coniunctus; & qui est dominus sagax & sapiens, prout sua fama publicè manifestat. Si qua dixi hîc, & in aliis litteris vobis missis, bonâ fide ac deuotione & zelo iustitiæ dixi. Me autem vestræ Reuerendæ paternitati recommendo, paratum ad omnia vestra beneplacita & mandata. Si vestræ placebit paternitati, præcipere mihi poteritis per præsentium portitorem. An. Dom. 1327. Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, MCCCXXVII.

XX. NOVA quæ in istis partibus venerunt, fuerunt valde amarissima: videlicet de *domino Duca*, filio excellentissimi Ierusalem & Siciliæ Regis, domini nostri, qui transiuit ad æthera, mihi contulerunt dolorem maximum, & aliis bonis Venetiis hominibus: sed de omni eo quod placet Altissimo, nobis etiam debet placere, & ipsum semper benedicere & laudare. Nouerit etiam vestra Reuerenda paternitas, dominum Ducem nostrum, dominum *Iohannem Superantio*, die vltimâ Decembris migrasse

migrasse ad Dominum: & est creatus in Ducem, dominus *Franciscus Dandalo*, dictus *Canis*, die VIII. Ianuarii: qui est valdè valens homo; & magnæ ac bonæ famæ, & maximè in legalitate & iustitia: spero enim in DEO, quòd terram manutenebit in pace & bono statu. Sunt etiam noua Venetiis, quòd pax & concordia facta est à *ducibus Austriæ*, ad *Regem Vngariæ*, & ad *Regem Boëmiæ*. Hoc modo, vt dicitur: Primò enim Rex Vngariæ dixit, quòd volebat reddere fortilitia quæ acquisiuerat in Austria, quæ pertinebant Ducibus, eis reddere hoc pacto, quòd Dux *Federicus* deberet reddere duci *Ottoni* fratri suo, partem contingentē sibi: & Rex Boëmiæ voluit illud idem, & tantò plus quòd Rex Boëmiæ voluit habere XII. mille marchas argēti antequam redderet fortilitia quæ acquisiuerat; & volebat etiam quòd darent ei duces Austriæ mille quingentos equites, causâ eundi istâ hyeme in Pxiā, siue in contratas Liuoniæ cōtra Paganos, qui confinant in partibus illis: quare in hyeme oportet eos ire & redire super glacies, & aliter non possent transire. Nam istud est bonum iter: & Dominus sit cum eo. Et sic propter prædictam pacem, mercatores & mercimonia cutrunt multùm Venetiis, quæ multùm steterant propter guerram prædictam, quòd non cutrebant. De nouitatibus Lombardiæ, Tusciæ, & Romæ non scribō vobis, nec de alia Italia, quiâ credo quòd melius me scitis: sed status earum mihi videtur grauissimus & tribulatione plenus: & aliud remedium nō reperio, nisi de pace inter Ecclesiam & Imperium: quia satis lucidè potest conspici à morte Imperatoris Federici, citra, quòd fuerunt in Italia pessimæ nouitates; & quomodo deteriorantur quotidiè, semper cum omni reuerentia colloquendo. Quare dominus noster Rex haberet pacem ponere inter dominum nostrum summum Pontificem, & Bauarum, vt cessarent tot mala: & aliam viam non reperio meliorem pro conseruatione Christianorum ad præsens. Noueritis etiam quòd *recepi litteras à domino Marco Gradonico*, filio bonæ memoriæ domini *Petri Gradonico*, inclyti Ducis Venetorum Bajulo & Capitaneo *Nigropontis*, datas die XVIII. Septembris, quòd Turchi creuerunt in tam magna quātitate, quòd si per dominium Venetorum non reperitur aliud remedium, quàm fuerit tempore retroacto, Insula Nigropontis cū omnibus Insulis de *Lazopelago*, destruentur, ex eo quòd nō habet ipse tantum posse quòd possit eis resistere. Dominus & Reuerendus pater, dominus *Archiepiscopus Thebanus*, qui, vt scire potestis, fuit Patriarcha Antiochenus, qui venit ex parte summi Pontificis ad requirendum Venetos, habere ab ipsis auxilium de galeis armatis prō facto Turchorum: & dicit quòd dominus Papa debet eis mittere litteras super hoc, quæ nōdum venerunt, & ignoro si venient: de quō multum doleo, quia sperabam quòd aliquod bonum fieret in subsidium insularum Romaniæ. Et si litteræ prædictæ non venerint per totum mensem Februarii, vel ante, credo quòd Archiepiscopus prædictus ad suum regredietur Archiepiscopatum. Supplico igitur Reuerendæ paternitati vestræ, quatenus me *Marinum* recommendatum habere dignemini, & me etiam domino nostro Regi dignemini commendare; & mihi significare dignemini quæ sint vobis grata. Replicaui has, vt melius habeatis. Datæ *Venetiis*, die XVIII. Ianuarii.

Venerabilibus in CHRISTO *Patribus & dominis, domino* Ingramo, *Diuinâ prouidentiâ, Archiepiscopo Capuæ, & Cancellario domini Ierusalem & Siciliæ Regis; & domino* Fratri Paulino *ordinis Minorum, Puteolano Episcopo dignissimo.* Datæ *Venetiis*, Anno Domini nostri IESV CHRISTI dulcissimi, MCCCXXIX. An. Dn. 1329.

XXI. NOVERIT vestra Magnifica dominatio quòd scripsi vobis per *Raimundum* habitatorem Venetiis, qui fuit oriundus de contratis vestris de *Caors*, qui est deuotus seruitor vester: quas credo quòd benè recepistis. Modò iteratò vobis scribo, quòd conditio Italiæ pessima est, & die qualibet deterioratur, quia non auditur aliud quotidiè, quàm de multis proditionibus, incendiis & maleficiis aliis, & morte, quæ fieri procurantur: & rationabiliter sic debet esse, quia in Italia impletur verbum illud quod dictum est in Euangelio per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Et hoc Matt. 12. 25. malum pessimum de Italia, non incipit tantummodo; imò longissimum tempus est

quòd fuit inceptum. Verùm non potest ab homine ad memoriam reduci, quòd ita malè steterit vt modò, quia non solùm sunt tribulationes & angustiæ, fames & caristiæ in terra; sed etiam in mari, quod propè magnos exercitus crescunt multi piratæ, qui damnum inferunt maximum mercatoribus: pro quibus omnibus, si quisquam posset remedium ponere contra tot & tanta mala, quæ præsentialiter fiunt in populo Christiano, foret pium atque sanctissimum, & DEO gratum; & mereretur non modicum qui talia operaretur. In Alemania, propter diuisionem quæ fuit inter fratres illos *Duces Austriæ*, patria est multùm deuastata: verumtamen inter eos fuit pax facta, sed non videtur esse perfecta. Ad memoriam etiam vestræ dominationis induco, quòd propter hanc guerram & pestilentiam Italiæ, regna alia plura Christianorum recipiunt damnum maximum & incommodum: quia mercimonia quæ solebant conduci per homines Italiæ ad alia regna, non possunt conduci. Vnde, pro certo, pax foret bona & necessaria pro Christianis omnibus: & ad tractandum hoc credo, quòd esset vtilis atque bonus Magnificus dominus, dominus *Comes Hanoniæ*, qui valdè tenetur domino nostro summo Pontifici propter largissimas gratias quas eidem contulit, & dilectionem quam eidem ostendit: & ipse, homo est qui propinquus est vtriusque partis; & est sapiens & probus, vt vestra dominatio benè nouit, & vt est publica vox & fama. Verùm in istis partibus habetur quòd Serenissimus Rex Franciæ, intromittit se de pace, & quòd ad facta vltramarini conquestus intentio habeatur. Nam si hoc est, ineffabile bonum est, &, DEO dante, exequi poterit; & Dominus piissimâ suâ misericordiâ gratiam eidem concedat. Ego namque proposui, DEO dante, versus partes illas dirigere gressus meos, ad hoc vt honore DEI, & Domini nostri summi Pontificis, possem aliqua operari, quæ forent ad DEI laudem & suæ Sanctitatis, & honorem & statum: & vobis facio reuerenter fore notum, quando suæ Sanctitati placeret mihi credere, à sancto Petro, citrà, non fuit tam sanctissimus & pius Papa, vt ipse foret. Illuc applicat præsens portitor litterarum, qui venit pro quodam monasterio, nomine *sancta Maria de Virginibus* procurator, quod fuit fundatum & doctatum per quendam sanctissimum Papam *Alexandrum*, qui fuit Venetiis, & recommendatum domino Duci, & in monasterio iam dicto sunt plures quòd xc. dominæ, quæ sunt multùm sanctæ vitæ, & magnæ honestatis. Igitur supplico dominationi vestræ, DEI reuerentiâ, & honore domini nostri summi Pontificis, quatenus Procuratorem prædictum monasterii antedicti, & eius negotia recommendata habere dignemini, ac etiam mei amore. Nouerit etiam vestra Magnificentia, quòd die vltimâ Decembris migrauit ad Dominum, dominus *Iohannes Superantio*, qui erat Dux Venetiis: & fuit creatus in Ducem dominus *Franciscus Dandulo*, dictus *Canis*, satis in vnitate: qui est homo bonæ famæ, & maximè in legalitate & iustitia: vnde speramus in DEO, quòd nos in bono statu & pacifico manutenebit. Et vniuersaliter populus ciuitatis fecerunt propter hoc, festum & gaudium maximum. Rogo DEVM vt conseruare dignetur sanctissimum dominum nostrum summum Pontificem, & vestram dominationem Magnificam in statu bono, & vita longæua, cum omni plenitudine gaudiorum: & quòd possim vestram Magnificentiam videre cum omni lætitia singulari. Nouerit etiam vestra dominatio, quòd dominus *Archiepiscopus Thebarum* est adhuc Venetiis; & tractat quantum plus potest conseruationem illarum terrarum de Romania, occasione Turchorum, & etiam Piratarum de mari, qui multùm infestant Insulas & partes alias Romaniæ. Et credo quòd finaliter, sapientia & probitas ipsius domini Archiepiscopi, ducet ad executionem negotia huiusmodi quæ eidem recommendata fuerunt. Et si deficeret quòd non fieret, non deficeret propter aliud nisi quia illi de *Hospitali*, qui sunt *Rodi*, haberent cupiditatem recipere piratas qui discurrunt per mare, tam *Siciliæ*, quàm *Saonæ*, & partium aliarum: quòd esset malum maximum. Idcirco esset valdè vtile *dominum Magistrum*, qui est *Aduinioni*, de huiusmodi informare, vt gentes prædictæ pessimæ non reciperentur ab eis: & quòd societas fieret contra Turchos, & alias gentes malas. Et est etiam in terra ista pro domino nostro summo Pontifice causa recolligendi decimas, quidam dominus *Beltramo*, qui est de contratis de *Caors*: qui est valdè sapiens & probus homo, qui multùm cognoscit conditiones & statum gentium

tium Italiæ, ita quòd quando esset coram domino nostro summo Pontifice, posset eum de conditionibus prædictis plenariè informare.

Hæc littera fuit transmissa *Magnifico & potenti domino, domino* Petro de la Via, *honorabili militi, Nepoti domini nostri summi Pontificis, per me* Marinum Sanutum, *dictum* Torcellum.

Et eadem littera transmissa fuit, Venerabili in CHRISTO *Patri & domino, domino* Iacobo *tituli sancti Georgii ad Vellum aureum Diacono, Cardinali, per me* Marinum Sanutum *dictum* Torcello *de Venetiis, per verba dissimilia in aliquibus locis, non mutatâ sententiâ, prout conuenit Cardinalibus.* Datæ *Venetiis*, die x v. Februarii, Anno Domini MCCCXXIX. An Dn. 1329. XXIII

NOscat vestra Reuerenda paternitas per præsentes, quòd nuper recepi litteras à Reuerendo domino, domino *Archiepiscopo Thebanno*, olim Patriarcha Antiocheno, qui est in illis partibus Romaniæ, qualiter Turchi à *Piscate* citra inuaserũt & cucurrerunt tribus vicibus Insulam *Nigropontis*: & aliquando satis prope ciuitatẽ: & semel cucurrerunt in contratas Athenarum, destruendo, interficiendo & capiendo iuuenes, & portando in Turchiam, & ipsos vendẽdo pro Sclauis: quod non est absq; verecundia maxima & damno Christianitatis totius, & præsertim illorum qui habent maius posse. Et hęc noua, publica & notoria sunt Venetijs ab illis qui ex partibus illis applicant Romaniæ: Et dicunt quòd si finaliter remedium non ponatur, Insula Nigropontis & aliæ Insulæ partium illarũ, & etiam de Terra firmâ, erunt destructæ; & euacuabuntur de omnibus quæ extra fortissima fortilitia permanebunt. Et vt de contingentibus sint vestræ paternitati cuncta lucida & aperta, nouerit is dominum *Nicolaum Sanutum* ducem Niexiæ & Andreæ ad Imperatorem Græcorum honorabiliter perrexisse cũ tribus galeis, & duobus lignis grossis, & vno minori, & cum pluribus militibus & scutiferis: qui inter omnes, sunt circa centum hominum equestres armorum; & eidem attulit pulchra dona. Credo quòd hoc fecerit, quòd cùm non reperiat remedium & auxilium, tam in suum dominium cõseruando, quàm in acquirendo quod amisit, ab illis à quibus debuisset rationabiliter inuenisse: scrutatur, vt melius poterit, à quocũque remedium & auxiliũ inuenire. Quoniam sic icon est, quòd de terra sua mortui sunt & extracti, ac etiam euaserũt plures x v. millia personarum, tam magnæ quàm paruæ, à non longo tempore citrà. Et dicitur, quòd ab Imperatore Constantinopolitano fuit gratiosè receptus. Quidquid enim procedet in posterum, Altissimus benè nouit. Dominus Archiepiscopus supradictus qui miserat cum litteras domini nostri summi Pontificis, ac etiã Rodum, & alios quibus pertinet facere contra Turchos, omnes benignè respõderunt, quòd si *Hospitale* armaret, & ipsi armarent. Et Hospitalarii sic responderunt, quod si mitteret eis Magister eorum expensas pro duabus vel tribus galeis, quòd armarent & libenter tenerent. *Communitas Venetiis* etiam cepit in suo consilio quòd tenentur duæ galeæ etiã in illis partibus. Quare, reuerenter loquendo, miror non modicùm, qualiter expenditur tãta pecunia copiosa, vt habet Hospitale de responsionibus solùm, absque morte Priorum quæ multùm valet: & in Cypro etiam habet magnos redditus, scilicet, circa x x. millia florenorum, ita quòd de responsionibus supradictis habet vt dicitur absq; aliis, CLXXX. mille florenos in anno. Super facto Italiæ, sic est: status suus deterioratur quotidiè, quòd aliud non auditur, nisi de incendiis, conflictibus, derobationibus, morte, & hominum destructione: & non solùm pestis huiusmodi est in terra, sed etiam in mari. Nam *Ianuenses*, intrinseci & extrinseci, affligunt mundum totum per mare: & illud idem faciunt gens Regis *Roberti*, & Regis *Frederici*: ita quòd isto tempore qui euadere poterit in contratis istis Italiæ, habebit DEO regratiari non modicum, quia non sufficiunt pestes guerrarum dictarum, sed etiam inibi fames & maxima caristia. Ita quòd, Reuerendissime Pater, & alii Curiæ, reuerenter loquendo, posseris informare dominum nostrum summum Pontificem, quòd sui misericordiâ dignaretur finem & remedium ponere tantis malis, summa quorum scribi non posset. O quàm dignè piorum esset catalogo adscribendus qui tot & tanta niteretur mala deprimere, & pro CHRISTI amore tanta bona

negotia promouere. Præsentium insuper portitorem, familiarem domini Archiepiscopi supradicti, supplico reuerenter, quatenus habere dignemini cõmendatum. Nam de nouitatibus illarum partiũ Romaniæ & Italiæ per quam transibit, vos plenariè informabit. Datæ *Venetiis*, die XXVIII. Oct. An. Domini MCCCXXIX.

A. Dn. 1329.

Ex parte Marini Sanuti *dicti* Torxelli, *de Venetiis: qui fideliter & deuotè se vestræ paternitati Reuerendæ commendat.*

Hactenus Petauianum exemplar, quod in his Epistolis habuimus vnicum.

DE RECVPERATIONE TERRÆ SANCTÆ.

Auctor anonymus, patronus Regius causarum Ecclesiasticarum in ducatu Aquitaniæ.

ILlustrissimo Principi, militaris artis ac eius experientiæ titulis præ cæteris omnibus insignito Domino EVDOARDO, *Diuinâ fauente gratiâ Angliæ, Scotiæ Regi, domino Yberniæ, Ducique Aquitaniæ Christianissimo, minimus suarum* Causarum Ecclesiasticarum Ducatus eiusdem Patronus, *ad seruiendum ei, iampridem mero dilectionis naturalis, Regalisque virtutis ardore, nullo petito & hactenus ablato salario motus: cum summè desiderato successuum incremento Salutem, in eo per quem omnes Reges verè regnant, & Principes dominantur.*

CAP. I. Quoniam intellexi vos, vt verum Regem magnanimum magnificumque, non solùm cùm regnare, sed etiam extunc cùm primò militare cœpistis, tanquam *verum Legislatorem*, hactenus summam operam dedisse ad faciendum bonos omnes vestros subditos, proximos & coniunctos, non solùm metu pœnarum, sed etiam magnorum exhortatione frequenti præmiorum; demumque guerris vestris feliciter, exercituum agente Domino, Rege regum, à quo bona cuncta procedunt, iam peractis, *loco quietis, quam alii Principes post tantos Labores longeq; minores eligere consueuerunt, ad Terræ Sanctæ recuperationem*, vt de manibus infidelium eripiatur, vestrum glorioſum animum fortiter inclinasse: sic appropinquante senectute, contra naturalem solitam hominum inclinationem, *veram perfectionem fortitudinis*, per aggressionem terribilium, in quibus mors corporis eminet, & ex quibus oritur animæ vita, cum feruenti desiderio magnanimiter amplectentes. Idcirco ego licet consilio minimus, de largitione misericordi prudentiæ Creatoris, per se de se tam boni, quod omnia bona taliter sunt in eo per essentiam, quòd omnia mundi entia cuiuscunque conditionis existunt, per solã participationem bonitatis eius prout ei magis assimilantur non solùm à Catholicis, sed etiam ab omnibus vtẽtibus philosophicâ ratione, bona secundum plus & minùs fore creduntur: naturali desiderio, quod secundùm Philosophum frustra non debet esse, motus vestro concurrens appetitui, vestræ maximæ bellorum experientiæ, ac prudentiæ per longam experientiam acquisitæ, breuiter tangere, fauente & operante summâ DEI sapientiâ, propono quæ ad recuperationem & conseruationem Terræ Sanctæ mihi videntur necessaria, conferentia ac etiam opportuna.

II. Quod nonnisi per *sanctissimum Patrem*, amicum vestrum, Diuinâ prouidentiâ sacrosanctæ Romanę ac vniuersalis Ecclesię *Summum Pontificem*, cum assensu generalis Concilii omnium Catholicorum Principum & Prælatorum, sublatis impedimentis, ordinatis omnibus conferentibus & opportunis, posse fieri videtur: quoniã illa terra super alias omnes optima, testimonio Saluatoris, mirabiliter est populata *Sarracenis* qui ipsam occuparunt, quoniã eis sectã tenentibus Veneream, liberorum procrea-

procreationi & educationi quantum plus poterant, nullo excepto vacantibus, non ſufficiebãt multæ Regiones & Regna Sanctæ Terræ proxima verſus Orientẽ, Occidẽtem, & Meridiem eiuſdem Terræ Sanctæ: de quibus, ob hanc cauſam, ad inſtar Tartarorum exierunt: de quibus Regnis citò & de facili magnũ ſuccurſum & conflu-ctum populorum habebunt, ſi ipſi fortè mortem timentes, Regibus & Principibus veſtris, vobis & aliis cedant: conſiderantes ipſos, prout aliàs audierunt, ad propria citò reuerſuros: Ipſi Sarraceni ſtatim poſt receſsũ ferociores & in maiori multitudine redibunt, vt interficiant ſuperſtites & dulcedine terræ potiantur, inſtigantibus dæmonibus: qui etiã habitant libentiùs in illa terra quàm alibi, vt videtur per hoc quòd cùm ibi curare vellet Dominus vnum qui à ſpiritu immundo vexabatur, loquutus ad ſpiritũ dixit: *quod eſt tibi nomen? qui reſpondit, Legio nomen mihi eſt: quoniam multi ſumus*: dicens, *Domine, ne mittas nos in regionem longinquam, ſed in porcos*: quorum valde magnus grex erat iũxta locũ: qui miſſi in porcos fecerunt eorũ multitudinem furere, & in mare proximum ſe præcipitare. Nõ poterit ergo terra illa, niſi per multitudinem magnam occupari, nec occupata ſeruari. Ad hoc quod tanta multitudo ducatur illuc & duret, oportebit *Principes Catholicos concordes* eſſe, & inter ſe guerras non habere: quoniam ſi ibi exiſtentes ſuas terras audirent debellari & deſtrui, dimiſsâ hereditate Domini rediret ad propriam vt eam defenderent: prout olim multociens contigit ibidem. Idcirco inter Catholicos omnes, ſaltem Eccleſiæ Romanæ obedientes, pacẽ firmari taliter expedit, quòd vna ſit Reſpublica, ſic fortiter vnita quòd non diuidatur: *quia omne Regnum in ſe diuiſum, deſolabitur*, vt ait Saluator: & ſi diuidatur, expedit per hanc diuiſionem demum fortificari Terræ Sanctæ tuitionem, vt infra apparebit. Vidimus enim quòd *Alemanni & Hiſpani*, licet bellatores incliti, propter ſolitas ſuorum Regnorum guerras, iam pridem ceſſarunt, & non potuerunt Terræ Sanctæ ſubuenire. *Guerræ Catholicorum inter ſe* ſunt peſſimæ: quoniam multi moriuntur in eis in tali ſtatu, quòd de talium morte perpetua veriſimiliter dubitatur. Et quia quantò frequentiùs bella committunt, tantò magis appetunt committere: hoc conſuetudini magis quàm emendationi deputantes: poſt bella & per ea pacem non quærentes, nec tenentes, nec reincipere bella verentes: non aduertentes quod ait Philoſophus Doctor Regis Alexandri, *omne bellum in ſe malum & illicitum: in tantum, quòd qui appetit bellum propter bellum, in fine malitiæ eſt*. Sed tamen cùm pax aliàs quàm per bellum haberi non poteſt, licet viris iuſtis bellum appetere, & facere; vt adeptâ pace, poſt bellum poſſint homines, pacis tempore, vacare in virtutibus & ſcientiis adquirendis: aliàs niſi propter hunc finem, omne bellum eſt illicitum etiam ſecundùm Iuris Ciuilis Doctores. Videmus quòd mortuis patribus & auis in bello illicito, ſuperſtites nepotes ac vxores defunctorũ, quicquid promittant; quùm citiùs poſſunt, iterum ad bellum & *vindictam voluntariam* ſe præparant: quæ ſic contingunt diſſenſionis actore, per ſuas temptationes, perſuaſiones, & infinitas fraudes ac aſtutias procurante, vt numerum augeri ſecum faciat damnatorum, & Terræ Sanctæ recuperationem & cõſeruationem impediat ac retardet. Idcirco pati non vult quòd vniatur virtus Catholicorũ, quoniam, vt ait Philoſophus: *Omnis virtus vnita, fortior eſt ſeipſa diſperſa & diuiſa. Angeli* autẽ *mali*, prout Scripturæ etiam ſacræ teſtantur, multùm ſunt prudentes, etiam ſuper notitia veriſimili futurorum: quoniã ipſi ſcientias & conſtellationes ab origine mundi viderunt; & nouerunt cauſas omnium rerum, & effectus ex cauſis conſequentes; memoriam habent omnium omni obliuione carentem; cauſas præſentes diſpoſitas ad inducendum effectus vident: idcirco *cùm nihil ſit nouum ſub Sole*, vt ait Salomon, memorantes qui effectus aliàs ex cauſis ſimilibus euenerunt, iudicant & diuinant per hunc modum de futuris certiùs quàm homines ſenes: quia licet homines multùm ſint ſenes, multaque viderint & experti fuerint, tamen eorum ſapientia & experientia quaſi nihil eſt reſpectu ſcientiæ cauſarum, & experientiæ, cauſa longæuæ ſpirituum, qui omnes cauſas ac effectus ab origine mundi nouerunt: ſic experientia etiam *magni Karoli* qui fertur per centum viginti quinque annos regnaſſe, nihil eſſet reſpectu eorum. De hoc loquens Philoſophus ait, *nemo elegit iuuenes duces*, videlicet bellorum; *eò quòd non conſtat eos eſſe prudentes*: tertio Topicorum: cuius cauſam reddit ſexto Ethicorum, cùm ait: *Adultos videmus inexpertos ſapientes in ſcientialibus diſciplinis; non autem prudentes in agibilibus humanis: quoniam prudentia agibilium huius*

10 Matt. 5. 9.

111.

20 Matt. 12. 25.

30

40

50 Eccl. 1. 10.

mundi, in nobis adquiritur per experientiam factorum. Experientia verò, longo indiget tempore; iuuenes autem paucum tempus habuerunt, pauca viderunt, pauca experti sunt: & idcirco nemo sanæ mentis eligit eos Duces bellorum. Senes ergo & experti debent esse Duces, bellorum ordinatores & præceptores; & iuuenes senibus obedientes, debent esse factores fortium operum. Si ergo senex, propter longam experientiam & memoriam, melius scit iudicare & diuinare de futuris quàm iuuenis; multò fortiori ratione Angeli mali certiùs quàm quicunque senes diuinare possunt de futuris: & sic videtur quòd possint etiam prudẽtum operationes impedire, suis persuasionibus, tentationibus & præsertim consultationibus, quantum ad aliquos in *artibus prohibitis* instructos, qui eos consulunt cùm volunt: de quibus sunt multi inter *Sarracenos*, quòniam artes illæ, quoad illos, secundùm eorum leges, sunt licitæ, non prohibitæ. Tamen huiusmodi Angeli, ac etiam cœlum, per suũ motum, cum influentia corporum quæ sunt in ipso, licet fortiter inclinant; & mouent homines ad opera cõcupiscentiæ, audaciæ, timoris, auaritiæ, & alia ex quibus sequi debet bona vel mala fortuna: non tamen necessitant, nec necessitare possunt liberum hominis arbitrium, nec iudicium animæ rationalis quin resistere possit, si vult, omnibus tentationibus & inclinationibus, contemplatione sui Creatoris & virtutis: & quantò tentatio fortior est, ac etiam inclinatio motus ac influentiæ cœli, tantò resistens virtutis amore magis meretur, & magis ob resistentiam fit virtuosus: testimonio Philosophi, cùm ait primo Moralium: *Benè dixit Eraclitus, quòd contra difficillimum semper exarsit virtus: & quòd propter ea quæ habemus à natura, non debemus laudari nec vituperari, nec remunerationem meremur.*

1 v. Ad hæc ergo quòd *Terra Sancta*, contra tot, & tantos, tot Demones habentes consultores, fautores & adiutores possit recuperari & recuperata seruari, necessaria videntur *orationes deuotæ* vniuersalis Ecclesiæ: quæ non videntur haberi posse sine *reformatione status vniuersalis Ecclesiæ*, qui inferiùs tangitur: & nisi vinculo pacis vnita tota Respublica Christicolarũ Ecclesiæ Romanæ obedientium, taliter vniatur, quòd Catholici cessent ab omnibus guerris inter se inuicem: ita quòd si aliqui contra hoc commiserint, ex illa commissione & ob eã, recuperatio & defensio Terræ Sanctæ fortificetur: quod sic fieri poterit. Conuocato *Concilio*, propter ardorem salutis Terræ Sanctæ, summa Regalis experientia petere poterit per dominum Papam, Principes & Prælatos concordari, & statui taliter, quòd quibuscunque dicẽtibus se passos iniurias secundùm leges & consuetudines Regnorum & Regionum, per iudices in eis statutos, & vbi statuti nõ sunt, infrà scripto modo statuendos, *fiat celeriùs quàm solitum est iustitiæ complementum: nullus Catholicus contra Catholicos curret ad arma*: nullus sanguinem Baptizatum effundat: quicunque præliare volentes, contra fidei Christianæ inimicos, Terræ Sanctę sanctorumque locorum Domini, non contra fratres, occasionem corporalis & spiritualis perditionis quærendo, studeat præliare. Quicunque autem contra hoc salubre statutum, guerram cõtra fratres catholicos mouere præsumpserint, eo ipso omnium suorum bonorum amissionem incurrant, cum omnibus auxilium eis facientibus, pugnando, victualia, arma vel alia necessaria vitæ, vel pugnæ qualitercunque ministrando; superstites eorum, post guerram finitam, cuiuscunque ætatis, conditionis, & sexus à terris & possessionibus perpetuò fiant exules, & toraliter tunc eorum quacunque posteritate priuati, in Terram Sanctam populandam mittantur: de bonis à quibus erunt priuati, si obediant & libenter intendant, ad se transferendum in Sanctam Terram, tradatur eis competenter, pro modo impensarum ad iter peragendum quatinus erit necessarium. Sic ergo guerram mouentes consilium & opem eis qualitercunque scienter præstantes, cum eis communicantes, victualia quæcunque aquam, ignem & alia vitæ necessaria quocunque modo ministrando, puniantur per dominum Papam, non excommunicentur, non anathematizentur: propter fugiendum periculum salutis animarum, ne damnatorum numerus augeatur: longè melius erit, eos temporaliter quam æternaliter punire. Pœna temporalis, licet sine comparatione minor æternâ, plus timebitur, plus proficiet Terræ Sanctæ; minùs nocebit omnibus proximis &

v. coniunctis damnatorum. Quòd autem de facili possint sic guerram mouentes deuinci, & in Terram Sanctam commodè tranſmitti, liquet: ponamus, *Dux* vel *Comes Burgundiæ* guerram mouet contra *Regem Francorum*, dominum suum: Rex,

qui

qui non recognoscit superiorem in terris, statim prohibebit quòd nullus ad terras eorũ deferat victualia, arma, merces, & alia quæcũque bona, etiã quacunque causã sibi debita: & per statutum Concilii, tam Principum quàm vniuersalis Ecclesiæ, hoc erit omnibus Catholicis sub simili pœnã prohibitum; Rex, vt lucrifaciat sibi terram hostium, cum omnibus bonis eorum, cùm erunt paratæ messes ad colligendum vel ante, veniat cum tanta multitudine gentium suarum; & Regionũ circumquaque positarum, quòd aufferantur eis & auffetri possint fructus crescentes; qui aufferri & prodesse vicinis locis non poterunt, deuastentur; qui saluari & aufferri poterunt, ad munitionem fortaliciorum proximorum obedientium Regi & ipsis nocentium, applicentur, vt inde viuere possint sequẽti tempore: cauentes ne guerram mouentes fugiant, ne terras proximas deprędent: non fiant in terris talium *diuturnæ fortaliciorum obsidiones*, prout fieri consueuit: si se includant prout est verisimile contingere, non audentes ad bellum campestre venire, calcetur per exercitum, & innumerabilem populi multitudinem, tota terra: totus exercitus cum sequentibus ipsum, viuat de spoliis ipsorum; quod asportari non poterit, vastetur, vt nihil remaneat de quo viuere possint. Si non opponant se resistendo, sed castris, muris, montibus & paludibus se operiant, non quæratur mors & occasio eius, ne animæ descendant æternaliter ad inferos; magis enim punientur per famem, quæ afficiet non solùm viros bellicosos, sed etiam omnes & singulos à maiori vsque ad minimum, sic vt omnes pœnam sentirent. *Sic puniri voluit & mandauit Dominus per Prophetam, Regem Agap*, cum omnibus sub eo viuentibus, vsque ad mingentem ad parietem. Et quia *Rex Saul*, de mandato Domini assumptus & vnctus in Regem super filios Israël, datâ sibi victoriâ à Domino, pepercit Agap Regi pinguissimo, & animalibus pinguibus vt ea Domino sacrificaret, priuatus fuit Regno; fuitque in locum eius subrogatus & vnctus in Regem *Dauid*, pastor ouium patris sui: sic fuit punitus Rex Saul propter inobedientiam suam, fuitque sibi dictum per Prophetam pœnam ei nuntiantem: *melior enim est obedientia quàm victima.* Sic etiam puniuit DEVS omnipotens maximum peccatum proditionis & mortis *Domini nostri IESV CHRISTI*, per filios Israël commissum, fame maximâ ipsos afficiendo: in tantum quòd matres filios paruulos assatos comedebant, vt patet per *Iosephum* in libro de antiquitatibus, in ea parte in qua de destructione Ierusalem tractauit. Item omnibus consilium & opem præstantibus ad sic puniendum, & in Terram Sanctam mittendum taliter guerras mouentes, ex nunc in Concilio plena indulgentia concedatur, quæ per singulos successores sanctissimi *Romani Pontificis* confirmetur. Statuatur etiam, quòd illi qui ob huiusmodi pœnam in Terram Sanctam mittentur, primùm semper faciant bellum contra hostes in confinio hostium: vt sicut murus defensionis aliorum, morentur, vt bellum illicitum voluntariè, suadente Diabolo, amplectentes, inuiti bellare præ cæteris compellantur, ob perimendum simulachrorum cultores, pacis inimicos, suis fautoribus taliter obuiando. Hanc autem pœnam famis & exilii perpetui, tantum per DEI gratiam, verisimile est timeri, instigantibus vxoribus, paruulis liberis, ac senibus patribus & auis, nec non Religiosis Prælatis & aliis Clericis, contra capitosos, & inordinatos guerrarum motores, calore iuuentutis motos & deceptos, quòd huius pœnæ fine perspecto non erit qui guerram mouere præsumat. Si verò pax sit inter omnes Catholicos, tunc de facili confluentes pugnatores ex omni parte in Terram Sanctam, eam recuperare poterunt verisimiliter & seruare. Igitur *Ianuenses, Venecenses, & Pysanæ ciuitates*, quæ propter suas discordias & guerras maritimas, solitas hactenus, non punitas, Terræ Sanctæ recuperationem & conseruationem impedire consueuerunt, imò *ciuitates Lombardiæ, Tusciæ*, & aliæ prouinciæ pacem inter se firmam habebunt, si statuatur quòd sic procedatur & procedi possit, per quoscunque proximos earum contra ipsas; Item, & quòd contra earũ rebellionem, principes obuiare & eas punire volentes, quilibet in terris suis eorum bona, & debita occupare sibique retinere possit: ita quòd si non prosequatur citò guerram contra ipsas, subsidio Terræ Sanctæ hæc & alia eorum bona quæ vbicunque poterunt reperiri, statim applicabuntur. Ad parendum, quicunque possessores & debitores, sub pœna amittendi omnia bona sua, in idem & ad idem subsidium applicanda, compellentur per sedem Apostolicam, & quoscunq; Principes in quorum terris hæc contigerit attemptari: qui Principes si super his negligentes fuerint,

10 20 30 40 50

1. Reg. 15. 8. &c.

VI.

ex parte *Procuratoris subsidii prædicti* sufficienter requisiti, similiter patientur commissionem & confiscationem suorum bonorum omnium ad idem subsidium ap-
VII. plicandorum. Sed cùm istæ ciuitates & multi Principes, superiores in terris non recognoscentes, qui iustitiam faciant de ipsis secundùm leges & consuetudines locorum, controuersias mouere captabunt, coram quibus procedent & litigabunt? Respondeti potest quòd *Concilium* statuat arbitros religiosos, aut alios eligendos, viros prudentes & expertos ac fideles qui iurati, tres Iudices prælatos & tres alios pro vtraque parte locupleres, & tales, quòd sit verisimile ipsos non posse corrumpi, amore, odio, timore, concupiscentiâ, vel aliàs: qui conuenientes in loco ad hoc aptiori, iurati strictissimè, datis antequam conueniant articulis petitionum & defensionum singularũ, summariè & de plano, reiectis primò superfluis & ineptis, testes & instrumenta recipiant, diligentissimè examinent. Cuiuslibet testis examinatio, per duos ad minus, iuratos fideles & prudentes, audiatur; scribantur depositiones, & per Iudices strictissimè custodiantur, ne fraus & falsitas possint intervenire. Sic coſant Iudices ad impensas moderatas partium soluendas, quatinus plus impendent, quàm essent in suis domibus verisimiliter impensuri. Ad iudicandum, si expedierit, assessores habeant, secundùm eorum conscietias fidelissimos ac peritissimos in lege Diuina & Canonica, & Ciuili. Si altera pars de ipsorum sententia non sit contenta, ipsi Iudices pro omni lite processus cum sententiis mittant ad Apostolicam sedem, per *summum Pontificem* pro tempore existentem emendandas & mutandas, prout & si iustum fuerit; vel si non, salubriter ad perpetuam rei memoriam
VIII. confirmandas, & in Cronicis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inregistrandas. Quoniam verò *mutatio successionis Imperii* guerrarum occasiones infinitas in Alemannia præstare consueuit, obstante solitâ Imperatoris Electione, quæ propter solitas discordias, recuperationem & conseruationem Terræ Sanctæ impedire consueuit, paxque firma Imperii Romani ad ipsam recuperationem & conseruationem plurimùm posset verisimiliter subsidium impertiri: propterea, pensatis bonis quæ fecissent, & probabiliter fecisse præsumuntur, viuentibus qui nunc sunt hominibus Reges Alemanniæ, si Regnum & Imperium *ex successione parentum*, cum thesauris sibi per eos reseruatis, & fortaliciis roboratis, sine discordiis habuissent, interpolatione vacationeque dominii, immò obedientiæ discontinuatione quacunque cessante: consideratis etiam bonis, quæ dicuntur olim Imperatores fecisse prius quàm exorta forent impedimenta moderna: immò, vt cessare possint guerræ corporum & animarum pernicioſæ, propter cupiditates ad Regnum ac Imperium aspirandi solitæ suboriri: immò, vt ex Regno ac Imperio prosiliant subsidia plurima recuperationis & conseruationis Terræ Sanctæ; multorumque temporalium profectuum quę nobis ex ipsa prouenirent, iamdiu grauia damna consuera vitando, præsertim ne pereat amplius salus & exaltatio Reipublicæ, Regni, & Imperii tam Nobilium populorum: peratur Alemanniæ Regnum ac Imperium confirmari Regi moderno, suæque perpetuò post ipsum posteritati, propter vitandum scandalum sopiendumque cupiditatem Electorum, aliquantuli recompensatione super rebus & libertatibus Imperii sibi factâ. Cõueniat etiam & promittat Rex modernus futurus Imperator, subsidium annuum Terræ Sanctæ, quamdiu indiguerit, de magno numero pugnatorum, quos ad impẽsas suas mittat ad portus maris, sufficienter indutos, & armatos
IX. cum superlectilibus ad subsidium & morã propter ipsum opportunis. Sed quoniam Imperatori cæterisq; Principibus pro suis pugnatoribus transfretandis sumptuosum nimis esset *naues & victualia* prouidere, plurimùm expedit, hoc pro singulis pugnatoribus vndecunq; venientibus procurare: quod videtur commodè, saluâ emendatione, & correctione maiorũ, sic fieri posse. *Hospitalarii, Templarii*, aliiq; Religiosi propter Terræ Sanctæ subsidium & præsidium instituti citra mare mediterraneum tot habent redditus, prouẽtus, & possessiones, quæ iampridẽ parum profecerunt Terræ Sanctæ: idcirco, quoniã eminente necessitate pluries contra se inuicem diuisi fuerunt, & ob hoc confusi, ipsorumq; Religiones, cũ grauissimis scandalis, ludibriis expositæ: tales Religiosos expedit & oportet, si Terræ Sanctæ prodesse debeant, vnire, gestu habitu & ordine, bonisque, prout sacrum *Concilium* viderit expedire: necnon quòd ipsi viuãt in Terra Sancta de bonis quæ ibidem & in Cypro habent: & quousque bona huiusmodi, quatinus eis sufficient, recuperari valeant, &

pacificè

pacificè possideri, victualia ministrentur eis aliunde. Bona quæ habent vbique citra mare prædictum, ad firmam nobilem primò trium vel quatuor annorum cum incremento; & demum vel ex nunc, si sufficiẽter fieri possit, in perpetuam emphyteosim tradantur; ex quibus, longè vltra *octingenta milia libr. Tur.* annuatim habebitur à *Templariis* & *Hospitalariis*. Super perceptis postquam ciuitas Acon destructa fuit ratio cum reliquis exigatur: de qua naues cũ victualibus, & aliis necessariis pugnatorum, mare transiturorum, procurentur, vt omnibus licet paupertinis transfretare volentibus, liber & pinguis in posterum pateat transitus. Cum nauibus, vehantur nobis, quęcunq; de Terra Sancta poterunt opportuna haberi; & de bonis nostris illuc: vt bona hinc inde de facili communicentur: per quæ non immeritò Christicolæ citra dictum mare, & etiam vbiq; positi, longè faciliùs & ardentiùs mouebuntur ad præsidium & opem salutis dictæ Terræ. De locis fertilibus insularum & riparum dicti maris, tot victualia & alia necessaria cum huiusmodi nauibus portabuntur, quòd pugnatores quicunq; sint, vbicunq; prope mare saltem existentes nullam victualium penuriam patientur. Dicti Religiosi qui commodè quoad præsens transfretare, & illuc habitare non poterunt, vt agant pœnitentiam super excessibus eorum, in monasteriis *Cistercienſis* ordinis, & aliis pinguibus detrudantur; ibi viuant cum fratribus qui vt possint eos sustinere, pauciores alios recipiant, quousque super eorum onere poterunt releuari. Talisq; thesaurus annuus, magnus erit: per cuius magnitudinem *mala fides Templariorum & Hospitalariorum* apparebit, & qualiter hactenus ipsâ re, Terram Sanctam prodiderunt, & in ipsam peccauerunt. Quithesaurus annuus, cùm videbitur eius profectus, largitione fidelium, & ex bonis guerras mouentium, aliisque pluribus modis, magnum recipiet incrementum, prout inferiùs pro magna parte clariùs apparebit. Cumque dicta Terra magno conflictu populorum egeat quoad præsens, sanctissimus Papa prout dicit, huiusmodi negotium plurimùm cordi habens, exhortabitur singulos *Prælatos* ad mittendum illuc cum impensis suis, iuxta suas facultates, tantum quantum poterunt, maiorem numerum pugnatorum similibus *robis* indutorum; videlicet equites suo, & pedites suo modo: nec non & armis similibus indutorum, cum *baneria* Domini mittentis eos. Et procurabit idem dominus Papa, quòd similiter *Principes* per se; si commodè possint; si non, per aliquem idoneum loco sui, cum armis & baneriis suis: ita quòd omnes nati de regione cuiuslibet Principis, per quoscunque videlicet, cuiuscunque conditionis homines illic transmissi, facient aciem vnam, si ad hoc sufficiant; si non, proximi illorum, linguas suas intelligentes adiungentur eisdem, in tantum quòd ex ipsis sufficiens acies constituatur. Cuiuscunq; conditionis homines, etiam *domina*, non solùm viduæ sed etiam coniugatæ, inducantur ad mittendũ sufficienter eisdem robis & armis munitos: vt modus glorioſè mittendi, & incedẽdi pacificè, ciuitates, castra, & alias villas cum buccinis, sonis aliis instrumẽtorum & cãtilenis transeundi, cum pulchris baneriis, & armis discoopertis, corda & affectus singulorum fortiter inducat & moueat ad transfretandum cum idonea munitione, vel mittendum. Sic per concursum & conflictum, augebitur vltra quàm modò credi posset, numerus pugnatorum. Item inducantur Principes & alii magni qui transfretabunt, ad promittẽdum, quòd si propter mortem, infirmitatem, seu reuertendi ad propria quamcunque causam dimittant exercitum, certum ibi dimittent cum suis armis & baneriis numerum pugnatorum, cum impensis quas commodè ministrare poterunt, de thesauris præsidii Terræ supplendis & perficiẽdis. Item inducantur singuli cuiuscunq; sexus potentes, ad hoc quòd post primum iter arreptũ, quolibet anno sequente procurent & mittant, saltem vsq; ad mare, cũ impensis subsidii vlteriùs transuehendos, quot pugnatores poterunt cum vxoribus, propter terram populandam & inhabitandam, iuxta ipsius terræ, recuperationis & conseruationis eius necessitatem. Item, & quòd strenuus, prudens ac expertus miles, portans arma cuiuslibet Catholici Principis, remaneat ibidem cum signifero. Item, & quodlibet Regnum Catholicorum, nec nõ aliæ latæ Regiones quælibet, videlicet, habeat ibi ciuitatem, castellum aut alium locum insignem cum locis adiacentibus, iuxta sui populi quantitatem, vt de nouo venientes desolati per viarum districtus, variasque electorum & aliarum rerum penurias, recipiant ibi post tristitias, penurias & dolores, gaudium, & cum delectatione natiua, consolationem: muten-

tur etiam huiusmodi nomina locorum, & fortiantur Regni de quo venerint habitantes, seu ciuitatis eius solemnioris nominationem, quæ cunctis de nouo venientibus tædiorum & laborum perquam magnum præstabit solamen. Propter quod solamen cum delectatione, superuenientes infirmi, citiùs valde sanabuntur; sanique debiles facti, longè citiùs fortificabuntur, vires & audaciam naturales resument: cùm de aciebus & bellis redibunt infirmi seu vulnerati, per sibi coniunctos medicos & cerurgicos cum diligenti custodiæ, solamine & aliis conferentibus, citò, inter suos præsertim, spem solaminis & custodiæ suorum, longè citiùs sanabuntur, & fortes effecti, ad suas acies remeabunt, propter euasionem securiores, & audaciores

x. effecti. Præterea ne sit defectus *rectigrdinis*, & ciuilitatis in locis *habitationum Terræ Sanctæ* assignandis, & bellis disponendis, statui ordinetur quòd exules propter guerras ab eis moras, ob hanc pœnam illuc missi, in primo seu primis sint bellis: & quòd habitationes habeant in terra hostibus proximiores & vltimas, qui venerint posteriores in terram eadem. Ne autem inter Nationes oriatur dissensio, super maioribus Ciuitatibus Ierusalem & Acon eligendis & habitandis, expediens & rationabile videtur, quòd singularum Regionum homines in illis permittantur, prout elegerint habitare: & idem videtur de aliis locis maioribus mari iunctis, seu tantum proximis, quòd in eis frequenter conueniant diuersarum Regionum mercatores.

xi. Item quælibet ciuitas, cum territorio eidem assignato, *Ducem belli* habeat, qui sub se Centuriones habeat: *Centurio*, de Centum sibi commissis pugnatoribus octo *cohortes*, in quarum qualibet sint duodecim pugnatores quibus possit: vnus Centurio, in sua cohorte quindecim secum habeat: vt semper sciant an habebunt suos omnes; se inuicem firmiùs custodiant & defendant vsque ad mortem. Sciatur post hæc, quot pugnatores quælibet ciuitas mittere poterit ad exercitum. Quilibet Centurio, subditos suos instrui faciat in exercitio armorum, ad quod fuerint habiliores, iuxta dispositionem Ducis belli suæ ciuitatis. Fertur enim quòd *Tartarini* (more temporis *Alexandri Regis* obstagiantes: vt cauetur in *Alexandreide*, moris erat Persis ducibus tunc temporis, *omnem Ducere in arma domum*) pecuniis non vtuntur; victualia non comparant; spoliis hostium, & de suis animalibus quæ ducunt, ac eorũ fructibus vescuntur; non tenent obsidionem ante vnum fortalicium, semel in sex vel quinque diebus, ex omni parte, manè vnâ horâ simul omnes conueniunt; insultum faciunt multis modis, secundùm ritus suos, vsque prope vesperam; tunc redeunt ad habitacula sua, vxores, liberos & bestias: in talibus non expedit insistere secundùm varietates temporum, locorum, hostium, pugnatorum nostrorum, & alia, modum pugnandi variare oportebit, prout experti bellorum Duces videtint expedire.

xii. Quoniam verò pugnatores in mari, ac equi eorum, plerumq; debilitantur: nec simul posset haberi competens nauigium ad tantum populum simul transfretandum; nec alicubi posset simul naues intrare; nec ad vnicum portum simul applicari: idcirco ne paucos simul venientes per ferocitatem hostium trucidari contingat, procurantibus malis Angelis huius operis, prout magis poterunt, inimici, expedire videtur quòd ad instar illius supremi pugnatoris *Karoli Magni*, maior pars totalis exercitus incedat per terram siccam, requisito ad hoc consensu *Perralogi*, & aliorum Principum, per quorum terras transibit exercitus: à quibus petatur secutus aditus, transitus, & exitus terrarum suarum: nec non quòd singuli peregrini victualia habeant & hospitia pro pretio competẽti communi, sicut & incolæ locorum: nec non quòd Principes locorum liberè permittant, & faciant victualia ex omni parte, quocunque tributo cessante, ad loca transitus apportari. Licet hæc sit via multùm longa, multi per ipsam ibunt, qui per aliam ire non auderent, nec possent. Melius erit in pluribus locis, quàm in vno solo, hostes insultare. Per illam viam ire poterunt *Alemanni, Vngari, Græci*, & omnes inter ipsos & Septentrionem habitantes: per hãc viam fuisse legi in *Historia Ierosolimitana Federicum* Imperatorem, qui submersus fuit cùm se balneabat propter calorem, in quodam flumine Hermeniæ, tempore *Saladini* Regis Assiriorum, qui fugiens ante Imperatorem multas terras ac fortalicia dimisit eidem. Ad transfretandum per mare recipiantur quicunq; de regnis *Angliæ, Franciæ, Hispaniæ*, omnes citramontani, *Lombardi, Tuci, Apuli, Calabriæ, Siculi*, & aliarum Insularum illius maris habitatores: ita quod illi qui mare timebunt, ad suas impensas & labores viam eligant longiorem.

xiii. Sicut autem ad tantam recuperationem &

nem & conseruationem confluere oportet & expedit totius Reip. Catholicorum concordem & vnitam virtutem temporalem corporalem: sic oportebit per *orationes deuotas* vniuersalis Ecclesiæ, tantam petere & impetrare gratiam, tantæ pacis recuperationis & conseruationis, ab Illo à quo omnia bona procedunt, qui est DEVS & Dominus exercituum, qui solus est causa pacis & victoriæ. Nam si Duces bellorum, pugnatoresque sibi commissi de suis confiderent viribus, & eas æstimarent ad tantam sufficere victoriam perpetuò habendam & obseruandam, & ad resistendum Angelis malis contranitentibus, persuasionibus & tentationibus eorundem, quos creditur præmissa prout poterunt per suas astucias impedituros, non posset huiusmodi recuperari terra & seruari. Idcirco videtur expediens per *Concilium* peti reformari & emendari statuta vniuersalis Ecclesiæ, vt prælati tam maiores quam minores, abstineant à vetitis per sanctos Patres; eorum præcepta, statuta & consilia custodiant, vt tenentur: iuxta illud Prophetæ: *Declina à malo & fac bonum; inquire pacem, & persequere ipsam*: vt adepta verâ pace cordium, omnes Prælati Catholici cum toto Clero, & populo sibi commissis vnam facientes spiritualiter Rempublicam: vt accedat quod ait Apostolus: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*. Et quod ait Philosophus: *Omnis virtus vnita, fortior est seipsâ dispersâ & diuisâ*; per deuotas humiles & assiduas orationes, victoriam perpetuam super infideles impetrent, ab illo qui cum sapientia, quam solam petebat *Salomon*, dedit eidem auri & argenti, cæterasque mundi diuitias, præ omnibus qui ante ipsum fuerant in Ierusalem. Quòd sic expediat facere, colligi potest ex euentibus bellorum præcellenter militantis *Iudæ Machabei* fratrumque suorum, qui cùm de suis viribus confidebant, cadebant in bello; & victoriam, cùm eam de cœlo petebant, humiliter deprecantes summum Regem exercituum, obtinebant: vt accedat quod ait Apostolus, *omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Idcirco prudentiâ scripturarum, non propria debemus vti: auctoritate Salomonis, cùm ait: *Fili ne innitaris prudentiæ tuæ*: & canon inde sumptus, *Nemo suo sensu vtatur*. Idcirco pacem XIV.
[illegible] quærere, & à DEO petere debemus, vt per pacem, & in eius tempore, [illegible] non possit, perfectas virtutes & scientias adquiramus: quod seruolus, cùm ait: *Pax DEI, quæ superat omnem sensum, custodiat corda vestra & intel-*
vestras: intelligentiæ vestræ, quæ sunt animæ rationales, per guerras, discor-[illegible]ites ciuiles, quæ bellis æquiparantur, & per earum prolongationes non cu-[illegible]unt, sed frequenter destruuntur: Idcò, prout magis facere potest, debet eas [illegible] vir bonus euitare & fugere: & cùm hoc amplectitur aliàs non potens ius [illegible] consequi, debet hoc prout magis potest abreuiare, in his pacem suam, & ius [illegible]s cum cordis dolore: quod sic docuit fieri Philosophus, cùm ait: *Bellum de-[illegible]se tantum est illicitum & malum, quod quicunque appetit bellum propter bellum in se-[illegible]mper est*: simile est, licet non tantum, malum, in ciuilibus controuersiis & litibus. Si enim pax vniuersalis finis est quem quærimus, quem in intentione nostra primò habemus: quia secundum Philosophum, *finis operis, primum est in intentione, vltimum verò, in operis executione*: debemus primò tollere singula pacis vniuersalis impedimenta & occasiones verisimiles impedimentorum, vt accedat quod ait Philosophus: *Quicunque sustinet positionem Eraclti, debet concedere & negare omnia quæ concederet & negaret Eraclitus si præsens esset*: hoc est, omnia antecedentia & consequentia ad positionem: alioquin concedens vel negans aliquid repugnans primæ positioni, ad turpissimam duceretur redargutionem. Si XV.
ergo *summus Apostolicus*, mundi totius speculum, beati Petri principis Apostolorum locum tenens & sedem, vicarius Domini nostri IESV CHRISTI, Saluatoris & Patris omnium animarum, vt omnes animas saluet, patriquesuo seruet & reddat, omnes guerras, seditiones & contruersias nitens in singulis euellere, & quòd sic fiat docere, hoc in se & fratribus suis Cardinalibus & coepiscopis, primò debet facere vt accedat quod scriptum est: *Cœpit IESVS facere & docere*. Et Apostolus: *Operemur bonum ad omnes, quatenus in nobis est; maximè autem ad domesticos fidei*. Considerare ergo debet quales se habent & militant Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Prælati, Ducatus, Comitatus, Baronias, & alia temporalia obtinentes: qualiter ipsi guerras mouent, in quibus multi temporaliter, vt videmus, & spiritua-

Psal.33,14.
Act.4,32.
Rom.15,4.
Prou.3,5.
Phil.4,7.
Gal.6,10.

liter, vt æstimant homines, frequenter moriuntur: qualiter prælati bellantes, perfectiùs & attentiùs vacant & vigilant bellis, quàm animarum saluti: qualiter in hoc plus laborant & impendunt, non aduertentes etiam in lege ciuili scriptum esse, *quòd animæ humanæ sunt quibuscunque rebus præferendæ.* In Regionibus in quibus non pugnant hi Prælati, vt in regnis Angliæ & Franciæ, videat qualiter controuersiis rerum temporalium vacant; qualiter desertâ curâ animarum, pro modico *parlamenta, scacaria,* & alia Principum auditoria frequentant: qualiter studeant & laborant, Ecclesiarum bona quæ sunt pauperum IESV CHRISTI consumunt in his litibus, patronis & ministris earum; qualiter plus remunerant legis humanæ quàm diuinæ patronos, ministros, & iudices; qualiter ipsi suas sponsas dimittunt desolatas, vt in domibus & auditoriis Regum habitent, vt disceptationum forensium peritiam & experientiam adquirant; qualiter scholares iuuenes, ritus & gesta prælatorum videntes, desertis ob hoc philosophiæ legisque diuinę studiis, confluunt quasi omnes ad studia legum ciuilium; in eis & per eas quærentes non solùm pinguia beneficia, sed etiam prælationes maiores, vt multos imitentur qui per has leges ciuiles & earum exercitia maiores prælationes sunt adepti. Nonne hoc iam est taliter & in tantum assuetum, quòd philosophiæ legisque diuinæ scientia in paucis præter quàm in Religiosis reperitur? Nonne frequenter plus impendunt prælati per annum, propter modicæ rei temporalis defensionem, plus in hoc & ob hoc de se laborant, quàm ob salutem omnium sibi commissarum animarum? quando Canonicus, qui presbyter erat, fit Episcopus, quantum videmus, ipsum litibus temporalium intendentem, plus in salute animarum laborare quàm ante? Nonne prælati, exceptis litibus temporalium longè magis quiescunt, & minus laborant, magisque viuunt delicatè quàm alii clerici; & quàm ipsimet ante prælationes assumptas faciebant? & dum Prælati aliquando bona prædicant, nonne frequenter euenit quòd audientes eos increpare & arguere litium amatores, & insecutores cupiditatis, auaritiæ, & iniustitiæ, & alias solitas passiones, dicunt: *multa bona audimus hos loquentes, & videmus alia facientes.* Matth. 23, 2. Possumus de istis, post Saluatorem nostrum dicere & recitare: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt, facite, sed quæ faciunt, facere nolite.* Matth. 7, 16. *A fructibus eorum,* id est operibus, *cognoscetis eos.* Ad quod se referens Philosophus v. Moralium ait: *Qui bona loquitur & mala operatur, falsum doctorem se probat & ostendit.*

XVI. Consideret etiam *summus Apostolicus,* qualiter religiosi *ordinis Sancti Benedicti* cõmuniter & vt in pluribus in domo Domini conuersantur Abbates, qui omnia bona monasterii possidere & seruare debent, plerumque sunt pauperes; Monachi, qui sine peccato mortali nihil appropriatum possunt habere, diuites sunt; administrationes in Abbaciis & extra quærunt; sitiunt, vt aurum & argentum in loculis reponãt, quæ frequenter suis tradunt amicis, quibus eis morientibus aliquando remanent cum perditione animarum tradentis & recipientis. Inter hos Monachos reputantur prudentiores qui plus habent in loculis, contra votum suæ professionis. Isti Religiosi, extra Abbatias multos habent *prioratus non conuentuales*, pro duobus vel tribus monachis magnos redditus habentes, quorum forensium locorum priores residuum, post eorum victum & vestitum, licet CHRISTI pauperibus debitum, reponunt in loculis, ad litigandum contra suos Abbates vel alia mala faciendum, saltem ad omnia alia sua opera etiam orationes mortificandum, quandiu custodiunt quasi votum frangunt, super quo vix aut nunquam postmodum se emendant. Item in talibus prioratibus Monachi plerumque viuunt luxuriosè, ebriosè, & aliàs inhonestè: & aliquando filii nobilium fiunt in Burgundia Monachi ad illam intentionem, vt tales prioratus habeant, non solùm vt de bonis eorum delicatè, sed etiam vt luxuriosè viuant etiam in studiis; vt de pluribus audiui; &, vt creditur, satis nouit dominus Papa suorum temporibus & locis studiorũ. Abbates & alii præpositi prædicti ordinis, sunt frequenter negligentes in correctione talium, timentes aliquando, si corrigere niterentur, lites & discordias eorum quos timere non deberent. Item, multi Monachi iuuenes rixosi, sunt & esse satagũt in claustris, vt ad tales prioratus causâ spatiandi & lasciuiendi mittantur.

XVII. Consideret etiam dominus Papa, quot & quantas guerras, quàm periculosas prædecessores sui mouerunt, vel moras sustinuerunt propter defensionem *patrimonii beati Petri*: quot Catholicos ob inuasiones huiusmodi patrimonii, excommunicationi & anathemati suppositos fuerunt;

quod

quod in talibus peccatis signis pœnitentiæ non apparentibus mortui fuerunt: Quantas impensas in talibus guerris, & ob eas fecit Ecclesia, & adhuc præsumitur esse factura. Considereret etiam qualiter vbique terrarum Ecclesiæ Romanæ subiectarum clamatur, cùm aliquis de *Symonia* arguitur; *Nonne videtis qualiter dominus Papa & Cardinales munera recipiunt ab ipsis quibus beneficia conferuntur, præsertim ab illis quibus de prælationibus prouidetur?* Qualiter illis per suos mercatores sub grauibus vsuris faciunt pecunias quas ab eis capiunt mutuari, præsertim ab *exemptis?* videtis quòd cùm duo electi, quorum etiam vnus habet ius, venire solent ad Curiam, demum post factas ab ipsis magnas expensas & munera recepta, laboribus & periculis viarum ac curiæ sustentis, inducitur vterque, & aliquando compellitur alter renunciare suo iuri, totum in manibus domini Papæ ponere? & qualiter Papa consueuit alii de Ecclesia vel Monasterio prouidere? & qualiter consuetum est, quòd sic prouisus, seruiat Curiæ de magna pecunia, aliquando septem, octo, vel decem millibus libris, sub grauibus vsuris perceptis ab illis qui publicè vocantur *Papæ mercatores*, qui publicè dicuntur eius pecunias recipere, conseruare, & fenerare? Considereret etiam dominus Papa, quòd Cardinales magnas habent secundùm Ecclesiæ statum dignitates, magna oportet eos impendere secundùm situm viuendi modernum, paucos quasi nullos habent redditus suis titulis appropriatos: idcirco tanquam mercenarios oportet eos quasi viuere de rapina: Qui tanta necesse habent, & consueuerunt recipere, qualiter assessores idonei summi iudicis, & sub ipso iudices esse poterunt? In talibus præsumitur pro diuitibus, quòd sua debeant officia laudabiliter exercere: E contrario, præsumitur contra pauperes. Quoniam vt ait Philosophus, *oppositorum oppositæ sunt causæ*, & qui bene differunt * contraria consignificant. Per munera, preces, timorem, amorem, & odium, concupiscentiam, & huiusmodi, solet iudicium corrumpi: prout in *Canone* scripserunt qui per experimenta didicerant Sancti Patres: & hoc communiter credunt & dicunt omnes, *munera sumpta ligant*: & prout scripsit commentator Auerrois; *Nullus sermo communis in totum falsus reperitur.* XVIII. XIX. Propter quæ peccata, & occasiones delinquendi, nec non & alias quas plenius nouit summa experientia Regiæ Maiestatis (considerans scriptum in Canone, & communiter vsitatum, quòd *id quod agitur à Prælatis facilè trahitur à subditis in exemplum*) ex nunc in posterum excirpandas, ne inde nascantur iniuriæ vnde iura nasci debent; & ne concussis columnis corruat ædificium; quoniam scriptum est: *Si Sacerdos qui est vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum:* ne *Prælati*, qui sunt & esse debent, seque factis & verbis probare *Medicos animarum*, morbos amplius indicant & inferant quos curare deberent, & pro quibus curandis ab animarum patre sunt ad tantas dignitates, quas sequuntur omnia mundi bona, vocati. Si Medicus pro sanando vnico Regis filio, & hærede tot reciperet redditus, prouentus, & honores quot habet vnus Episcopus pro curandis & sanandis animabus, & occasionem morbi, & per consequens mortis, per suam culpam præstaret, vtpote coram ipso bibendo, vel comedendo quicquid desideratum à filio quod esset ei mortiferum; & filius hoc sequens exemplum, seque putans, cùm non esset, ad digerendum cibum, vel potum desideratum suo medico fortiorem, gustaret vetitum, & moreretur eius occasione, quid deberet & posset Rex facere de tali Medico? nonne posset ei dicere, *Vetuisti filio meo mortiferum cibum vel potum, quem desiderabat: & quia ipso videnti gustauisti, ipse ob hoc ardentius appetens, magis credens facto tuo quàm verbo, gustauit, & mortuus est hac occasione. Nonne scribas, quòd qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur? & quòd maius est docere facto, quàm verbo? & quòd virtus concupiscibilis viso obiecto, quasi sine comparatione plus monetur, & ardentius concupiscit, quàm non viso? nonne hoc percepisti in equis, & tauris respectu feminei sexus eorum? nonne dicit* scriptura, *fugienda consortia mulierum vt minus appetantur? Tu, te vendens mihi pro perito & experto, taliter contra me peccasti: laqueum tetendisti, per quem filius meus mortiferum gustauit; & ob hoc decessit: in culpa lata mortis eius fuisti; & idcirco morieris.* Quis diceret Regem istum per hoc iniustè iudicasse? Nonne videmus manifestè, quòd Prælati propter occupationes temporalium, etiam Medicorum, sine quibus non minus benè viuerent, deserunt

Leuit. 4. 3.

frequenter & negligunt ſpiritualium curam? Nonne ſunt magis ſolliciti de defenſoribus temporalium ſuorum quàm ſpiritualium? nonne magis ipſos remu-
XX. nerant ac remunerare notorie conſueuerunt? Nonne inferiores *Curati animarum*, ſic videntes operari ſuos maiores, mouentur ad ipſos imitandum, & ſimilia opera more brutali faciendum? nonne in eodem, ſicut diligentia attrahit diligentiam, ſic negligentia negligentiam? nonne dicit Saluator: *Exemplum dedi vobis; vt*
Ioh. 13. 15. *quemadmodum dilexi vos, ſic & vos faciatis?* ad quod ſe referens Apoſtolus ait, *Omnis CHRISTI actio, noſtra debet eſſe inſtructio.* Nonne ad hoc concordat lex ciuilis cùm ait: *Non refert vtrum populus Romanus voluntatem ſuam exprimat verbis vel rebus ipſis & factis.* Nonne, vt in Canone legitur, Prælati propter ſe cauere debent ne male agant; & ne malè agere videantur, & infamentur, propter ſuos ſubditos, proximos & coniunctos, ne ſequantur exemplum eorum? Nonne ſcimus quòd iuxta Sanctorum Patrum doctrinam, hæc debent eſſe *opera Prælatorum*, ſacram Scripturam legere, & docere; per orationes ſibi commiſſi gregis peccata delere; & in quibus hæ non ſufficiunt, arguere, increpare, corrigere & punire peccata nocentium quæ poſſunt eſſe nota, occulta ſolius DEI iudicio relinquendo? Nonne videmus Prælatos maiores, ab his operibus, propter occupationes temporalium plerumque ceſſare? Nonne videmus quales ipſi, loco DEI in hoc poſiti, & ob quas cauſas moti, ſub ſe medicos eligunt animarum? qualem reſpectum habent? Nonne præferunt affectiones ſanguinis, patriæ? ſeruitii temporalis, prudentiæ, ſapientiæ, & experientiæ Medicorum quos eligunt loco ſui? Quare non conſiderant qualiter ipſi remunerarent aliquem, qui ipſis grauiter infirmatis, nec petentibus habere niſi ſolum Medicum, ſibi de ipſo vnico taliter prouideret, & pro labore prouiſionis, ab ipſis tanta reciperet ſtipendia, quanta ipſi recipiunt à CHRISTO qui omnia videt? Si Rex vel Imperator, commiſſurus bellum magnum, ſub periculo amiſſionis Regni vel Imperii, ſi victoriam non haberet; nec poſſet conſtituere, niſi vnicum ducem ſui belli, cuius electionem committeret illi de ſuis cui plura bona feciſſet: vt vni, ponamus pauperrimo, in Archiepiſcopum Colonienſem per Imperatorem promoto: & idem Archiepiſcopus, cuius electioni ſtare oportet, ponamus quicunque ſequatur euentus, conſiderans ducem belli multùm ditandum, eligeret ob hoc iuuenem, ſanguine, ſeruitio vel natione ſibi coniunctum, omiſſo ſeniore experto, in talibus aſſuefacto; cui non teneretur Archiepiſcopus: Nonne ſic eligens, inexpertum præferens experto, imperitum perito, ab omnibus vituperaretur? Nonne CHRISTVS, pater animarum, deſiderans eas omnes in bello vincere contra Sathan, electiones ducum huiuſmodi bellorum tam periculoſorum, commiſit Prælato ſuperiori, vicario ſuo in plenitudinem poteſtatis aſſumpto, & aliis Prælatis in partem ſolicitudinis vocatis, cuilibet in ſua diœceſi? Si iſti Prælati propter commoda temporalia minus benè eligant, ſi ius habentem in electione repellant, vt alii quem plus diligunt vel à quo munera expectant prouideant: Si de melioribus perſonis, ad alias præferendo quas putant minus idoneas, eccleſiis non prouideant, quamcunque affectionem aliam ab animarum ſalute quærentes: Nonne CHRISTVS, qui tantùm ditauit Prælatos, quòd ipſi propter penuriam temporalium ſe non poſſunt excuſare, nec ſecundùm vulgi opinionem tolerabiliter moueri ad ſic eligendum, à CHRISTO poterunt inconuincibiliter redargui de crimine læſæ diuinæ Maieſtatis? ſicut dictus Archiepiſcopus, dux vel Comes ſimiliter ditatus, qui commiſſa fuiſſet ducis electio, de crimine læſæ Maieſtatis humanæ, duce belli, per ſuum inordinatum & inexpertum modum exercitum ordinandi & regendi, deuicto? Nonne per prædictos modos viuendi prælatorum & religioſorum, aliosque defectus & exceſſus eorum, in Eccleſia DEI totoque populo Chriſtia-
1. Cor. 8. 13. no ſcandala grauia ſunt exorta, de quibus loquens Apoſtolus inquit: *Si ſcandalizatur frater meus, non comedam carnes in æternum.* Nonne lator Canonis ob hoc ſalubriter motus, ait: quòd *propter ſcandalum vitandum fieri debet & omitti quicquid fieri & omitti poteſt ſine peccato mortali.* & alibi in Canone: *Faciat homo pro temporali vita hominis ſaluanda, quod poteſt ſine detrimento ſalutis æternæ*: nullus enim propter alium ſe debet ſubiicere mortali peccato, pro quo pœna debetur æter-

rur æterna. Si ergo ſcandalum vnius villulæ vitandum eſt, & ob hoc faciendum & omittendum, &c. quantò magis propter ſcandalum populi vnius dioceſis, & magis vnius Prouinciæ, & adhuc magis vnius Regni? quantò magis & magis vitari debet ſcandalum totius populi Eccleſiæ Romanæ ſubiecti, & infamia omnibus occaſionem tribuens delinquendi? Quis eſt ille qui ſtatum præſentem expertus v- XXI.
niuerſalis Eccleſiæ, & videns in præmiſſis, & aliis, inordinatum ob hoc à Sanctorum Patrum Eccleſiæ doctorum diſcrepantem documentis, non æſtimaret reformato ſtatu vniuerſalis Eccleſiæ, præſertim in præmiſſis, orationes Domino pro ſubſidio Terræ Sanctæ, piè generaliter effundendas, quaſi ſine comparatione plus prodeſſe quàm alias? Verè ad recuperationem & conſeruationem Terræ Sanctæ requiruntur orationes deuotæ prælatorum cleri, & populi: Quoniam humanæ vires non poſſent ſufficere, nec arma & gladii temporales, argumento cautionis dicto cauetur, *aliquando propter peccata populi dicitur malus Princeps & malus Prælatus*: quoniam populus obſtantibus peccatis, non eſt dignus habere bonum Principem, nec bonum Prælatum. ad quod concordat lex diuina, cùm ait: *Propter peccata populi regnare* Iob 34. 30.
faciam hypocritam. Sic ergo poſſunt eſſe & præſumuntur Prælati & Principes mali, cùm eos malos videmus, propter peccata populi: & ſimiliter eadē ratione imò fortiori creditur populus malus propter peccata & exempla perniciosa prælatorum, quorum factis plus credit populus quàm verbis, contra doctrinam Domini, cùm ait, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæ dicunt facite, ſed quæ faciunt facere nolite*. Matth. 23.
Præmiſſis igitur, & aliis occaſionibus perditionis animarum, nec nō XXII.
veriſimilibus impedimentis recuperationis & conſeruationis Terræ Sanctæ cùm ſumma diligentia conſideratis, expertiſſimæ veſtræ Regiæ Maieſtati ſi cum effectu ad huiuſmodi recuperationem & conſeruationem proponitis, prout communiter creditur, laborare ſolùm propter ardorem retributionis æternæ, Sanctiſſimo patri & domino *domino Clementi*, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici in eius Terræ ſubſidium, vt creditur, præ cæteris omnibus negotiis intendentis, placeat miſericorditer ſupplicare, quatinus taliter ſtudeat reformare ſtatum prælatorum totius populi & cleri Reſpublicæ Chriſtianorum, quòd virtutes ſpirituales & temporales eorum vitæ, prout eſſe deberent, ſpiritualiter & temporaliter deuotè militando proſperè citò poſſint in dicta terra contra hoſtes, ipſius fidei Catholicæ victoriam obtinere, per diuinam gratiam perpetuò duraturam. Quod fieri poſſe videtur exemplo *Salomonis*, veram & ſolam ſapientiam ab exercitutum Domino poſtulando, quam ſequetur, licet non petatur, nec peti debet, auri & argenti copia pluſquam antè, nec non vera pax cordium & corporum; & per conſequens ſcientiæ, plenioresque tam intellectuales quàm morales virtutes. Quæ reformatio ſtatus propter hos fines taliter deuotiſſimè XXIII.
poſtuletur, videlicet quòd *ſummus Pontifex*, qui circa maximam ſpiritualium curam plurimùm eſt honeratus & occupatus, ita quòd ſine ſpiritualium præiudicio, regimini ſuorum temporalium ſufficienter vacare non poſſe creditur, inſpectis quæ ſuper fructibus, prouentibus & exitibus, impenſis deductis & oneribus ſolitis, ad ipſum peruenire ſibique remanere conſueuerunt, alicui magno Regi ſeu Principi, vel aliquibus, tradantur in perpetuam emphiteoſim, receptis optimis cautionibus quæ cogitari poterunt ſuper annua penſione, perpetuò liberè, quacunque ſubtractione ceſſante, ſoluenda in quocunque loco patrimonii ſic traditi, quem dominus Papa futurus pro tempore duxerit eligendum. *Sic* Papa, qui totius pacis actor & promotor debet eſſe, guerras non mouebit: homines non faciet in bellis ſubitò dirâ morte mori; ſic perfectè vacabit orationibus, eleemoſynis, contemplationi, lectioni, & doctrinæ ſcripturarum, correctionibus ſubditorum, iuſtitiam & iudicium ſingulis Catholicis faciendo, fierique curando; veram pacem, omnibus CHRISTI fidelibus procurando: taliter, quòd pacificè viuentes inter ſe, Crucifixi patrimonium recuperare veraciter ſtudeant, & ſeruare. Sic Sanctiſſimus Papa theſauros non ſtudebit aggregare, nec à ſpiritualium ſolicitudine debita retrahetur: viram ducet contemplatiuam, & actiuam faciente miſericorditer bonorum omnium largitore. Item peratur quòd dominus Papa conſide- XXIV.
ratis redditibus *Cardinalium* ſingulisque prouentibus, qui ſine mala præſumptione, ſcandalo, & infamia poſſunt ad eos peruenire, ſtatuat eis, quòd commodè pote-

rit facere, loco victus iuxta statum suorum conditiones super patrimonio beati Petri: quod si non sufficiat, retentâ domino Papæ sufficientiâ competenti de bonis vniuersalis Ecclesiæ, præsertim *exemptorum* & prælatorum qui à sede Apostolica suas recipiunt consecrationes & benedictiones, quibus in recompensationem parcetur, in magnis seruitiis & muneribus, quæ in curia faciebant & in expensis, quia remoti propter hoc curiam non adibunt: Vniuersalis etiam Ecclesiâ, conferat ad hæc secundùm quod plus vel minus Ecclesiis credetur hæc prouisio profutura. Cessabit prolongatio litium electorum, & aliorum curiam adeuntium, qui frequenter propter munera quæ dabant diu detinebantur ibidem; per talia extraordinaria munera & seruitia Cardinales status suos sustinere consueuerunt.

XXV. Quibus sic factis, sub pœnis fortissimis, statui petatur quòd *Cardinales & Papa* de cætero munera non capiant, nec capientes secum habeant: contra quoscunque capientes & dantes etiam acerbissimæ pœnæ statuantur, nec non numerus equitaturarum sociorumque Cardinalium statuatur. Et quòd medietas bonorum omnium Cardinalium & quorumcunque Prælatorum, tam maiorum quàm minorum, decedentium, subsidio Terræ Sanctæ quousque integraliter recuperata munitaque fuerit, applicetur, vnà cum omnibus bonis quorumcunque Clericorum quos decedere contigerit intestatos. Item, statim petatur, quòd alii quicunque à Clericis beneficiatis decedentes, quartam partem bonorum suorum dicto subsidio relinquere compellantur. Item, & quòd singulæ res derelictæ, & aliàs in nullius bonis existentes; restitutiones debitæ personis ignotis; & indistinctè quæ debebantur defunctis, quorum non inueniuntur hæredes; omnia legata caduca incertis personis & indistinctè relicta, & alia quæ modo quolibet absque alieno præiudicio reseruari & adquiri poterunt, eidem subsidio fideliter applicentur.

XXVI. Item petatur quòd patrimonia singulorum Prælatorum, ratione quorum *armorum seruitia* facere tenentur, & discordias possunt in curia quacunque seculari sustinere, similiter sub annuis pensionibus perpetuis, certis & idoneis defensoribus, perpetuò tradantur: si recipientes citò non inueniantur, ad firmam cum incremento, per licitationem tradantur ad biennium seu triennium, vt eorum valor meliùs sciatur, *ne perpetuò tradentes super valore rerum fraudari contingat.* Quicunque *feoda* Prælatorum sic recipientes, bona contraplegia assignent, quæ si non soluerint prout actum fuerit pensionem Ecclesiæ, perpetuò remaneant, vt sic ipsa Ecclesia suo valore non fraudetur. Hæc res, si ipsam fieri tolerauerit antiquus hostis, perpendens per talia se fraudari, suisque vinculis & persuasionibus fortiter obuiari: *Si* prælati minus solito per hoc habeant, nihil amittent: quoniam sibi parcent longè ampliùs, etiam pecuniariter, in salariis aduocatorum, procuratorum, impensis propriis iusticiariorum, & aliorum multorum, per quæ consueuerunt in suis regionibus, patrimoniorum occasione, grauari. Quibus diligenter consideratis, prout eadem considerauit & perspexit actor huius operis, Prælati perpendere poterunt per hunc modum suis bursis magnum accrescere lucrum, quod aliàs non haberent. Tamen ob hoc & super hoc multi, suadente Sathanâ, murmurabunt varioli, colores Rethoricos aliosque Sophisticos quærentes nequiter obuiandi: contra quæ, per suam gratiam, pugnare velit, qui omnia nouit ab æterno. Per hanc prouisionem sufficiet aliquibus prælatis dare robas quatuor domicellis, qui viginti vel pluribus robas cum multis aliis impensis dare consueuerunt. Super hac prouisione debebunt multi fori secularis aduocati, quibus patrimonia sub annua pensione tenturi Prælati consueta salaria & alia proficua, quæ multifariam multisque modis, tam directis quàm indirectis, habere soliti sunt, non

XXVII. præstabunt. Per hanc prouisionem, si fieri valeat, Respublica totius Sanctæ religionis Christicolarum in sua intentione finem vnum sibi præfiget, illum quæret, omnes operationes ad illum dirigit, ordinabit & disponet, dissonantia opera fugiendo: omnia erunt ordinata, ad augmentum Christianæ fidei, & eius exaltationem tendentia, quod erit rationi consonum. Nam vt ait Philosophus, *Mundus est vnus, sicut exercitus est vnus*: censetur autem exercitus vnus, vnitate ordinationis: quoniam finis, quem quærit, appetit, & intendit dux exercitus, victoria est: omnes autem qui sunt in exercitu

hanc

hanc intentionem habere, & ad hunc finem tendere pro totis suis viribus debent: quod si fiat modo debito, vix aut vnquam à suo fine proposito & intentione fraudabuntur. Sic *mundus* debet esse ordinatus in vnum finem, videlicet in supremum cœli & terræ rerumque omnium conditorem: hunc finem omnes quærunt, vt ait *Boëtius*: sed multi mali hoc faciunt, errantes; quia quærunt ipsum in tabernis, lupanaribus, furtis, rapinis, symoniis, & aliis illicitis: errantes sicut qui quærunt pilces in montibus, feras in mari. Qui hunc finem quærit vbi est, inuenit. Vnde qui perfecti sunt, seu esse debent inter homines, vt prælati, quærere debent hunc finem non in bellis, non in litibus & discordiis, præsertim secularibus, sed in lectione & doctrina Diuinæ Scripturæ, in orationibus, & agibilibus, quæ ad actiuam vitam pertinent, vt vitam ducant *Mariæ & Marthæ* felicitatem contemplatiuam & ciuilem, vt vtar verbis Philosophi, consequantur: si ad seculares discordias & occupationes retro cedere nitantur, præmissis obuiantes, dici poterit illis & opponi verbum Saluatoris propter tales probatum: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno DEI.* Luc. 9, 62. Quod hæc prouisio sit optima, secundum DEI omnipotentis ordinationem, *cuius actio*, secundum Apostolum, *nostra debet esse institutio*, videtur inconuincibiliter probari posse. XXVIII. Suppono quòd ea quæ scripta sunt, in *Veteri Testamento* sunt figura & exemplar *Noui*. Item, suppono quòd Dominus Terram Promissionis, quam *Sanctam Terram* appellamus, quia per Domini præsentiam & opera, suoque sanguine sanctificatam, dedit Dominus duodecim tribubus filiorum *Israël*, quia sibi seruiebant, legem eius & mandata tenebant & docebant. Item suppono, quòd legem hanc magis intensiùs docebant & tenebant, & DEO seruiebant *filii Leui*, Sacerdotes & Leuitæ, quàm alii: & tamen Dominus voluit quod non haberent sortem in diuisione huius hæreditatis, præcipiens *Iosuæ* quòd eam diuideret inter vndecim tribus, & quòd tribus Leui, eius seruitio principaliter deputata, decimis fructuum aliarum tribuum esset contenta: & hoc, ne propter occupationem culturæ terrarum impediretur & reuocaretur à diuinis officiis. Iosue 13, 14. Si ergo prælati pro suis patrimoniis possunt habere vnde viuant, etiam tantum quantum in veritate consueuerunt habere, deductis impensis & oneribus assuetis: nonne, si hoc recusent, dato quòd aliquantulum minus haberent, quod non credo, imò firmiter æstimo ipsos longè plus habituros, distabunt à doctrina & prouisione Domini? dimissáque Domini prouisione & prudentia, suis propriis sensibus factis & doctrinæ Domini contrariis, seu diuersis, repelli rationabiliter poterunt à Domino, dicente: *occasionem salutis animarum vestrarum vobis & subditarum gratis oblatam recusastis; occasionem perditionis animarum eligistis; sic retro respicientes, non estis apti regno meo: in hoc mandata mea, præcepta & consilia non seruastis: me & proximos vestros perfectè diligere recusastis, occasiones non diligendi perfectè & hoc probandi quærentes: non aduertentes Philosophum meâ ratione vtentem scripsisse: eum qui felicitari debet felicitate contemplatiua, oportet habere victum & vestitum & alia necessaria ad procurationem vitæ, licet non expediat quòd sit Dominus terræ & maris: non aduertentes etiam in Canone Sanctorum Patrum propter bonum exemplum scriptum esse, quod* Socrates *ille vir* Thebanus, *diuitias suas proiecit in mari, vt liberè studere posset & contemplari. Vos autem voluistis non solùm diuitias, imò contentiosis etiam litibus ac guerris frequenter plenas habere voluistis; pacificas diuitias, quæ per quam longè, quàsi sine comparatione, minus contemplationem impediuissent recusantes.* Quomodo & qualiter respondere, & se excusare poterunt Prælati, si talem recusauerint facere ordinationem & prouisionem? XXIX. Non videtur quòd pacis inimici, si hæc fierent, offensi & à suis deliberiis plurimum defraudati, licet videntes & recolentes omnia præsentia & præterita ab origine mundi, possent, pro impediendo probabiliter prouisionem & ordinationem huiusmodi, probabiliter respondere. quòd si quis facere tentauerit, expediter *in scripturis hoc facere, propter variationem & transmutationem verborum, quæ non possunt sine scriptura, etiam per eundem, diuersis temporibus; sine augmento & diminutione proferri*, vt ait lex ciuilis: cuius causa est harmonia motus cœlorum cum diuersitate aspectuum, & influentiæ corporum qui sunt in eodem. Cùm autem *in fine* quem quærimus, non sit transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, si Prælati se velint ei assimulare, variationes non quærent; recta ratione non exemplis se regent dicendo: *Multi Sancti Patres nostri, sacrosanctæ*

Romanæ & aliarum Ecclesiarum, prælati, maiores & prudentiores nobis, sic patrimonia tenuerunt: sic tenere & viuere volumus, ipsos imitando. Respondeti potest: *non sequitur. Sancti Patres per suam constantiam temporalia & spiritualia sufficienter gubernarunt: ergo moderni hæc possunt & faciunt: discordiis & inuasionibus hominum plurimùm augmentatis.* & quia, secundùm legem ciuilem, non debemus respicere, quid Romæ fit & quid factum est; sed quod fieri deberet, & debuisset: & quòd noua constituere propter euidentem vtilitatem dubitare non debemus. XXX. Nonne dicit *Auerrois*, quòd *Arabes* multa mala passi sunt, quia crediderunt leges suas, vniuersaliter esse seruãdas, & in nullo casu flectendas? Nonne omnis lex ciuilis est, & statuta fuit propter bonum & expediens? vix autem reperi posset aliquid in hoc mundo quod esset bonum ac expediens omni loco, omni tempore, omnibus personis. Idcirco variãtur leges & statuta hominum secundùm varietatem locorum, temporum, personarũ: & quod sic fieri debeat cùm euidens vtilitas hæc exposcit, multi Philosophi docuerunt, & Dominus ac magister omnium scientiarum, Sanctorum patrum & philosophorum, vt sic fieri doceret, & vt fieri non timeretur, plura quæ statuerat in Veteri Testamẽto, mutauit in Nouo. Quod dicit canon Apostolicus à prædictis Sãctis Patribus editus per hæc verba: *Non debet reprehensibile iudicari si secundùm varietatem temporum, statuta quandoq; variantur humana: nam & ipse DEVS super his quæ statuerat in Veteri Testamento multa mutauit in Nouo.* Hoc dicit regula iuris ciuilis sic: *omnis diffinitio in iure ciuili periculosa est: parum est enim quod subuerti non possit.* Et alia regula dicit: *in toto iure, nostro generi per speciem derogatur.* Vnde hic fuit, est, & esse debet modus leges condendi: facta, lege generali propter vtilitatem communem, si appareat illam legẽ seruando in casu speciali sub regula contento, sequi durum aliquod absurdum vel iniquum, cõsueuit, & debet, in illo casu, ne sequatur inconueniens ex lege generali, specialiter contrarium statui: quod dicitur, ius speciale in suo casu & terminis seruandum, propter specialem rationem derogans iuri generaliter promulgato. Nonne *Sanctus Augustinus* doctor Anglorum, statuit, vt in canone suo legitur, se nullum clericum ordinare nisi renuntiaret proprietati, in communi religiosè viuendo; postmodum cõperto, quòd multi vt ordinarentur simulabant hæc se facturos & facere, nec faciebant; idcirco propter malum hypocrisis quod sequebatur virandum, dixit, *certè ego fiam qui statueram nullum ordinare nisi sic & sic faceret: quia noui multos simulatores, ecce in conspectu DEI & vestro, muto propositum.* Si ergo is sanctus in tam modico tempore, suam regulam, suum statutum, quod erat bonum, si bene vsi fuissent sui clerici, mutauit propter abusum, cùm multi prælati defensione patrimoniorum abutantur, guerras, seditiones & lites mouendo, desertis spiritualibus, eis intendendo saltem curiosiùs, cum maioribus impensis curis & laboribus, quàm spiritualibus: quare non committent aliis curam defensionis, prædâ solitâ post impensas & onera, sibi retentâ, ad instar illorum prælatorum qui labores venandi feras, aliis committunt, XXXI. per alios exercent, prædâ retentâ? Et si opponatur, aliqui sunt prælati qui propter defensionem temporalium, spiritualium curam non dimittunt: Respondeti potest, quòd non obstat: Nam legum & canonum conditores, ad ea quæ frequenter eueniunt non quæ rarò, se referre consueuerunt: Verum est quòd secundùm plus & minus non æqualiter impediuntur per hæc prælati; & qui magis impeditur, magis & fortiùs se applicat ad guerras & lites, mundanorum iudicio, quorum prudentia stultitia est apud DEVM, plus laudatur: hoc suadente & procurante, vt tales mundi gloriam pro tota mercede percipiant, & alii alliciantur ad ipsos damnabiliter imitandum, totius contemplationis pacis, & salutis animarum hoste antiquo cum suo concordi exercitu continuè operante, & laborante pro totis viribus ad omnem perniciem animarum. Si enim Sathan ad inuadendum & lucrifaciendum vnum solum hominem, aliquando inuocat sexcentem spiritus nequiores se, quantò magis ad resistendum tantæ occasioni perditionis animarum, videns omnia præsentia, omnia præterita rememorans, sciens & prudens coniecturate de præterito, & præsenti in futurum, ad impediendum propositum huius operis, multitudinem vel quasi suum exercitum congregabit? cuius exercitus dæmonum omnibus persuasionibus, impedimentis, & tentationibus, difficile multum erit obuiare: sed, vt suprà tactum est, non erit impossibile. Quoniam ipse Sathan (qui pater mendacii censetur, & omnes mendaces

filii

filii eius; ſicut DEVS veritas, & veraces, in quantum tales, filii eius) mentiri poterit multifariam ſuadendo prælatis per argumenta apparentia ſolubilia, per mendacia decipiendo ipſos, ſicut decepit primos parentes noſtros. Certum eſt quòd hæc materia moralis eſt: idcirco vera concluſio per demonſtrationes oſtenſiuas probari non poteſt. Generales leges primò fieri conſueuerunt: & cùm ſequitur abſurditas, vel inconueniens quodcunque: nociuum in caſu ſpeciali, ſub legis generalitate vel regula contento, conſueuit fieri ius ſpeciale derogans generali: ſimiliter cùm abſurditas, vel aliud malum euidens ſequitur generaliter ex obſeruantia legis vel canonis generalis, per eum qui poteſtatem habet ad hæc, conſuetit, & debet fieri ius generale totaliter arrogans. Primùm ſic ergo lator ſupremus canonum, ſtatuere de nouo poterit quæ petuntur, fauore Sanctæ Terræ totiuſque ſalutis Reipublicæ catholicorum. Statum autem *Prælatorum religioſorum*, ſimiliter expedit refor- XXXII.
mari: primò, vt Prælati omnes obedientias & officia rerum temporalium in ſuis manibus teneant, auferant à monachis, per idoneas ſeculares perſonas faciant adminiſtrari: quas eligant cum conſilio trium vel quatuor monachorum, præ cæteris prudentium & expertorum. Item petatur ſtatim quòd prælati religioſi ſua temporalia per quæ conſueuerunt interdum occupari circa forenſia, & in ſua contemplatione impediti, tradant in perpetuam emphiteoſim, ſicut & *ſeculares prælati*, etiam multo fortiori ratione. Ad quam traditionem in emphiteoſim perpetuam faciendum, ſeculares & religioſi prælati ſi dicant eſſe damnoſam, poterunt induci per Imperatores, Reges & Principes qui benè reſpici faciant, & oſtendant magnam partem ſuorum prouentuum, reddituum & exituum terrarum ſuarum, ſe impẽdere quolibet anno, ſuas terras regendo, defendendo, iuſtitias & ſua iudicia faciendo. Audiui quòd cùm *regni Nauarræ* redditus ac prouentus annui quinquaginta millia librarum Tur. paruarum annuatim valerent, Rex Francorũ, quia per alios regebat, deductis impenſis & honeribus regiminis & cuſtodiæ, vix inde quinquaginta millia ſolidorũ habebat. Si quis dicat Regibus & Principibus, quòd quilibet veſtrum, ius quod contra prælatos ſtatui requirit, ipſe eodem iure vtatur: vos ergo primò temporalia veſtra taliter tradatis, exemplum vt ſic faciant dantes Prælatis; aliàs ſuper hoc ſilentium habeatis: Reſponderi poteſt, quòd ſicut prælati ſe non poſſunt exonerare, regimen ſpiritualium aliis aſſignando: ſic eſt de Principibus reſpectu temporaliũ. Nam ſicut Eccleſiarum bona data ſunt & commiſſa *prælatis* propter regimen animarum omnimodè ſubportandum: ſic temporalia data ſunt & fuerunt *Principibus*, vt pacem vbique ſuorum locorum cuſtodiant, defendant, quibuſcunque malis reſiſtant, iudicium & iuſtitiam faciant, bonos vbique remunerando, malos puniendo, corrigendo: & cum Principes, maximè qui non recognoſcunt ſuperiores in terris, quo ad ſua temporalia, iuſtitiam habeant & conſueuerunt facere de ſuis iuſtitiariis delinquentibus ſeueriorem, quàm de aliis quibuſcunque; & cum expediat ob leues cauſas eos ab adminiſtrationibus amoueri ad inſtar monachorum, vt propter timorem amotionis & pœnarum quæ per correctores & inquiſitores ſummariè procedentes infliguntur, quæ non poſſet ſic de facili contra perpetuò poſſidentes, aliàs fieri: Idcircò talia committere magis expedit ad tempus modicum, quàm in perpetuum, vt faciliùs puniantur, & ob leuiores cauſas cum minori informatione, & frequentiùs amoueantur. Sed quantum attinet ad prelatos longè expedientiùs eſt, eos iudicare per alios, quàm per ſe ipſos, & alia quæ ad hæc pertinent facere. Nam facilius contra alium poſſidentem pro prælato fient probationes, quàm contra prælatum immediatè. *Prælati etiam multi in multis contendunt ſe propter ſua facta perſonalia non poſſe per temporalium Principes de felonia, nec non ſuper quibuſcunque factis perſonalibus puniri.* Item contra alios poſſidentes loco prælatorum, faciliùs inuenietur conſilium quàm contra ipſos prælatos: aliíque magis timebunt expenſas, pœnas, & emendas. Præterea Principes niſi circa regimen ſuorum ſubditorum eſſent occupati, remanerent otioſi: & ſic præſumitur quòd frequentiùs bellis & factis Venereis ocioſorum vacarent: quæ mali occaſio non eſt quærenda, eligenda, ſed vitanda. Item ſtatim petatur, quòd omnes *monachi* in locis & mo- XXXIII.
naſteriis non conuentualibus morantes, ad Abbatias reuocentur, vt ibi religioſè viuant; ſed ne minuatur cultus diuinus locorum, in earum capellis ſingulis, ſinguli Capellani conſtituantur, qui victum habentes modeſtum, ibidem officia diuina

singulis diebus celebrent. Item de bonis huiusmodi prioratuum trium vel quatuor, si Abbatia non habeat forensem prioratum conuentualem sufficientem, ad mutandum interdū habitationem monachorū ob aliquas causas locales in abbatia minus bene conuersantium, constituatur vnus prioratus conuentualis cū tenui victu monachorū, vt monachi timentes illuc mitti, melius conuersentur in abbatia sua, propter timorem habitationis tenuis prioratus. Si verò abbatia non egeat prioratu tali cōuentuali, tunc prior & monachi tam modicorum prioratuum, ad abbatiam mittantur in claustro Domino seruituri. De bonis prioratuum dimissorum assignetur abbatiis, quatinus verè tot monachi per annum impendent: sic diuinum seruitium augebitur, meliori modo fiet. Abbatiæ resumentes suos filios fluctuantes & vagantes extra claustrum, temporaliter non grauabuntur, maioremque sollicitudine spiritualium perditionum & longè pauciora pericula sustinebunt Abbates & alii Præpositi. Sic omnia bona monasteriorum, erunt in manibus & potestate vnius, videlicet præsidentis in eis, qui non timebit corrigere & compellere filios ad obseruantiam regularem, propter thesauros in eorū loculis, iuxta damnabilem ritum hactenus obseruatum, reconditos, per quos tendere & insurgere solebant ad Abbatum depositionem, contra ipsos prouocando, appellando; plurima bona monasteriorum in hæc consumendo; & plura in loculis extra monasteria recondita, cum animabus deponentium, & depositariorum frequenter perdēdo. Quæ grauia damna, spiritualia & temporalia, notoria, scribēcem hæc, qui plura magna salaria de talibus bonis receperat recepturusq; præsumitur, si actor vitæ longæuam ei vitam permittat, propter bonum commune mouerunt ad hoc cogitandum & scribendum.

XXXIV. Quid ergo præmissis deductis, fiet de residuis bonis huiusmodi prioratuum; Responderi potest, quòd secundùm statuta sanctorum Patrum, *clerici religiosi & seculares* nō sunt domini rerum ecclesiasticarū, sed solùm administratores: ex eis possunt ab institutione ecclesiæ percipere victum, vestitum, & alia necessaria ad procurationem vitæ: totum residuum pauperum est, & pauperibus debetur quicquid ab administratoribus, in præiudicium pauperū, retinetur, ad alios vsus applicatur, contractatur in præiudicium CHRISTI pauperumque suorum, qui sunt eius membra, furtum est, rapina est, sacrilegium est. Cōstat quòd isti *Priores forenses*, & ferè omnes clerici, de residuo isto bonorū ecclesiarum & monasteriorū, plurimùm abusi sunt; & idcirco finaliter debent amittere *priuilegium*, seu vetiùs loquendo *facultatem*, de bonis huiusmodi secundùm suas voluntates, saltem finaliter, ordinandi. Idcirco, vt nō tanta thesaurizent seculares, maximè in præiudicium pauperum, quos frequenter iuxta thesauros eorum vident, & non miserentur, fame & frigore pereuntes. Petatur per *concilium*, statim, quòd maior pars bonorum decedētium, prædictæ præuisioni Terræ Sanctæ, & sequenti quæ tendit ad reformationē & vnitatem veram totius Reipublicæ Catholicorum, misericorditer applicetur, vna cum residuo bonorum dictorum prioratuum: quod videtur fieri posse commodissimè per viam infra scriptam. Quod autem necessitas, & euidens vtilitas tantæ nouæ prouisionis, alias

XXXV. fortè minimè cogitatæ, sit, videtur declarari posse sic. Suprà tacta sunt ea, quæ ad esse recuperationis & conseruationis Terræ Sanctæ requiruntur, sed nō est prouisum nec tactum de iis quæ ad *bene esse* habitatorum eiusdem terræ requirentur. Si enim habitatores illius terræ malè viuant, iuxta id quod scriptum est, *loca non sanctificant homines, sed homines sanctificant loca*, quomodo durabit regnum & potestas malè conuersantium; si homines quasi ex omnibus mundi partibus ibi congregati malè viuere incipiant, & assuescant talem modum viuendi, *consuetudini* quæ est altera natura, quoniam naturam alterat, non emendationi deputādo? Ad hoc malum declinandum expediet, quòd quilibet de sua lingua peritum ibi & benè literatum reperiat *confessorem*, animæ medicum. Item & medicum corporis interioris & exterioris:

XXXVI. periti & experti in talibus, vix & rarò reperiuntur apud nos ad remanendum: tales apud nos citò ditarentur: non transirent illuc ad sufficientiam, quoniam nec nobis sufficiunt. Item præsidentibus regno Ierusalem expediret habere *secretarios* multos fideles, peritos, qui linguas Arabū, scripturas eorum, & alia mundi idiomata cognoscerent. Pertur quòd in partibus Orientis sunt quidā populi catholici, ecclesiæ Romanæ non obedientes, ab aliquibus articulis fidei quos tenet ecclesia Romana discordātes, quorū summus Episcopus, cui omnes sicut & nos Romano, obediunt,

vocatur

vocatur *Pentharcos*, qui nongentos habet sub se Episcopos: & sic dicitur plures habere sub se quàm dominus Papa: quos Episcopos, cum eorum populis, alios q; plures, ab obseruatia & obedientia ecclesiæ Romanæ dissonantes, expediret eidē ecclesiæ vniri & obedientes fieri, & cū ipsa communicare: quod non posset esse nisi ecclesia Romana, plures benè literatos in eorū idiomate haberet, per quos eis scriberet: nec Terra Sancta, & ei præsidentes succursum eorū & communionem quo ad res posset habere, nisi similiter haberent plures benè literatos in idiomatibus eorum. Ad hæc enim, vt ait Plato, *Vobis datus est sermo, vt per ipsum præsto fiant mutæ voluntatis iudicia.* Si enim voluit Dominus, & expedit Romanum Pontificem vicarium suum, Petri locum tenentem in terris, fore caput vniuersalis ecclesiæ, omnesque sibi obedire, prout sanctorum Patrum statuta declarant; per consequens voluit, & vult Dominus omnia ad hæc necessaria & conferentia prouideri; aliàs non esset sua voluntas perfectè ordinata: cuius contrarium, esset hæreticum dicere. Quomodo ergo Romanus Pontifex qui linguas horū non nouit, qui ipsos loquētes intelligere non potest, nec ipsi eum, eos attrahet ad vnitatem & obedientiam ecclesiæ Romanæ? Quomodo amouebit errores à cordibus eorum, nisi per aliquos interpretes prudētes, fideles, qui priùs vtriusque linguam intelligant, mutuas voluntates explicent; respondere tam rationabiliter sciant ad obiecta barbarorum, quòd eorum opiniones erroneas destruant; per inconuincibiles rationes eos moueant, & attrahant ad veritatē professionis Christianæ? Sunt etiam, & erunt multa alia ad hæc conferentia quæ in sequentibus apparebunt, & per sequentem prouisionem, agente Domino, finaliter, non subitò, poterunt obtineri. Romani enim Pontifices, quoniam ad tantæ dignitatis apicem vocātur ætate prouecti, propter curā tanti gregis sibi commissam plurimū occupati, nullo modo possent idiomata taliū addiscere: & si scirēt, nō irent ad illos; nec illi venirēt ad eū; nec tales interpretes patati sunt, nec inueniti possent pro omnibus mundi thesauris, nisi de longè prouisi: qui fortè temporaliter non proderunt prouisionē inchoanti, ad instar *Moysi*, qui Terram Promissionis non vidit, & tantùm, prout scriptum est, & vltrà, super eius cōquestu laborauit. Nō propter hoc obmittat summus Pontifex prouisionem salubrem inchoare. Si Dominus propter peccata morbos infert, & mortē præmittit, fortiori ratione pater misericordiæ propter bona desiderata & intenta, vitā prolongabit inchoantis. Nonne scriptū est: *discite, vt semper victuri; sed viuite, vt cras morituri.* Propter hæc autem, & alia bona innumerabilia obtinēda, quæ omnia præuideri & scribi non possent, velit statuere sanctissimus pater *dominus Pontifex Romanus Clemens quintus*, veram Christianæ Religionis, quæ per operas hominū subitò procurari nō posset, appetens vnitatē, ea quæ sequuntur, operāre DEI misericordiā feliciter augmētanda, perficienda, mutāda prout sibi suisq; prudentibus, statū mundi plenius cognoscētibus, visum fuerit opportunū. Videlicet quòd in qualibet prouincia, secundùm locorum facultates in hoc applicādas, populorū multitudines, in locis huiusmodi Prioratuum Templariorū, vel hospitalariorū, quæ ad hæc magis fuerint opportuna, statuantur duo vel plura *studia puerorum*, & ferè totidē puellarum, qui eligātur vt ibidē instruantur in ætate quatuor vel quinq; annorū: eligātur videl. per aliquem sapientē Philosophum, dispositionem naturalē verisimilem ad perficiendū, secundùm doctrinā philosophicā cognoscentē. Ad hæc, assumātur nobiles vtriusq; sexus, si & quatenus inuenientur, postmodum alii qui continuè doceantur, secundùm formam infrà scriptā, per prudentiores mutandam, perficiendam, & augendam. Qui sub tali lege assumentur, quòd nunquam de cætero parentibus suis reddentur, nisi omnes impensas propter eos factas præ manibus reddiderit. Alii de studio in studiū mittentur & demū in Terram Sanctam, & in alias regiones: prout sancta Romana ecclesia per deputatos ad hoc, duxerit ordinandū. Qui studēres & eorum doctores, viuēt de bonis dictorū prioratuum, & de bonis prædictæ prouisionis Terræ S. prout *Magistri prouisionis*, à metropoli locorū cum cōsilio peritorum suffraganeorū electi, melius viderint expedire. Isti omnes primò in *lingua Latina*, in tantum quòd eam sufficienter intelligant, vel ante paulatiuè instruantur: postmodumque plenius, quidam eorum in lingua *Græca*, alii in *Arabica*; & sic de aliis idiomatibus litterarum, maxime verò Catholicorum: vt demum per istos in loquendo & scribendo secundùm linguas omnium instructos, communicare possit per ipsos ecclesia Romana, ac etiam

XXXVII.

Principes Catholici, cum omnibus hominibus, ipsos ad fidem Catholicam & vnitatem eius capitis attrahendo. Ex nunc assumantur iuuenes in *Grammatica* instructi, in quo iuniores præferantur, si sint aliqui in *Logica* instructi, tanto meliores: quorum aliqui citò in articulis Fidei, & Sacramentis, *Veteri & Nouo Testamento* instruantur: vt instructi, quam primùm erunt apti, mittantur in dictam Terram propter curam animarum gerendam, vt ad sacerdotium promoueantur: de ipsis, Ecclesiis & populo prouideatur. Alii instruantur in *Medicina*, alii in *Chirurgia* tam hominum quàm equorum, per quos exercitui totique populo vtriusque sexus poterit subueniri.

XXXVIII. *Puellæ* in Medicina & Chirurgia, cum antecedentibus ad hoc necessariis, instruantur: istæ sic instructæ, scribere scientes, adoptabuntur in filias & neptes, videlicet nobiles, & aliæ prudentiores, aptæ corporibus & formis maiorum principum Regionum suarum, Terræ Sanctæ, & aliarum proximarum, vt conuenienter possint maioribus Principibus, clericis, & aliis ditioribus Orientalibus in vxores dari: sic ornatæ ad impensas dictæ prouisionis, quod credantur Principum filiæ: quas impensas maritatæ maioribus, etiam omnibus, promittant reddere viuentes, si poterunt, prouisioni prædictæ; & si non vel quatinus non morientes, vt prouisio sine mensura taliter augeatur. Expediret multum prælatos & *clericos Orientales qui vxores habent*, & qui beneficio matrimoniorum cum Romanis & aliis Occidentalibus renuntiare minimè voluerunt, tales vxores habere; per quas sic literatas, articulos & sacramenta more Romano credentes, liberos suos & maritos ad sic tenendum, credendum, & sacrificandum contingeret informari longè fortioribus rationibus & occasionibus illis, quę per consilium mulierum induxerunt *Salomonem*, summum sapientem, ad idolatrandum. Istæ propter terræ natalis affectionē procurarent multas puellas de huiusmodi prouisione studiorum, cum filiis suis, & aliis terræ maioribus maritari, præsertim cum clericis ad prælationes assumendis: istæ *capellanos* haberent, secundum ritum Romanum celebrantes & cantantes; incolas illorum locorum ad ritum Romanum per hæc inducentes paulatim, præsertim mulieres quibus istæ per exercitium medicinæ, & chirurgiæ subuenirent, præsertim in secretis infirmitatibus & necessitatibus earum: contingere non posset verisimiliter, quin iste nobiliores & ditiores aliis matronis, medicinæ & chirurgiæ ac experimentorū quæ sciri possent vbique notitiam habentes, matronas earum consiliis indigentes, prudentias earum sibi profuturas admirātes, propter hæc eas diligēres, fortiter attraherent ad communicandum cum ipsis, delectandum & conueniēdum in articulis &

XXXIX. sacramentis. Item quicunque Papa futurus pro tempore, cum tales in idiomatibus Catholicorum Orientalium esse possent instructi, prope curiam haberet eos tales eleganter literatos, per quos scriberet prælatis, & aliis maioribus illarum regionum: qui sapientes Græci de facili sic possent haberi. Quoniam cùm in studiis remotioribus essent plures in Græco & Latino bene fundati, illi qui præ ceteris ad proficiendum viderentur bene dispositi magisq; dociles, eligerentur ad studendum, audiendum, & postmodum legendum, quidam in *iure ciuili & canonico*, alii in *Astronomia*, aliisque scientiis *Mathematicis & naturalibus*, alii in *Theologia*, alii in *Medicina*: quarum scientiarum essent studia feruentia ab inuicem separata, ne se inuicem impedirent per inuidiam, aut aliàs. Nam vt ait Philosophus in sua Rhetorica, *Philosophi naturaliter sunt inuidiosi*. Tunc si Papa, propter causas arduas, ad terrā Græcorum, & idem intelligo de aliis idiomatibus & terris, mitteret aliquem *Legatum*, simul mitteret cum ipso peritissimos in qualibet scientia duos vel plures, qui peritiores de illa terra, disputando, consulendō, conferendo, & modis omnibus superarēt. vt non esset qui posset sapientiæ Romanæ ecclesiæ resistere. Ab vtentibus ratione, commendaretur & timeretur in partibus Orientalibus, Romanorum sapientia, sic-

XL. ut Regina Austriæ commendauit sapientiam Salomonis. Per huiusmodi studiorum prouisionem, instructorum vtriusque sexus ad partes Orientales transmissionem, contingeret nobis Occidentalibus communicari res preciosas, in partibus illis abundantes, nobis deficientes, & apud nos carissimas, satis pro modico nobis communicari, mundo Catholicorum ordinato. Quæcunque siquidem res mundi, licet quo ad nos rarò inueniantur, preciosæ & caræ reputantur, in aliquibus locis multùm abundant, & viles in eis reputantur. Si quęratur huius rei causa, responderi potest, sicut respondet *Philosophus*, de causa situationis quatuor elementorum:

quod

quòd ita res suas disposuit in hoc mundo, non sine causa, DEVS glorioſus & sublimis, qui omnia in mundo inferiori existētia fecit propter hominem, & nihil frustra ordinauit. Si enim, homo in hoc mūdo omnia desiderata per ipsum haberet pro libito voluntatis superbiendi desiderandique, hūc inferiùs semper manere, nō ad superiorem patriam conuolandi desiderium haberet, suum appetitū in rebus infimis figendo: & sic homo nō esset ordinatus, quia se non ordinaret ad suum creatorem. Nonne benè dixit *Boëtius: solum illud est, & debet reputari esse in mundo quod tenet ordinem, seruatq; naturam.* Idcircò dixit quòd mali homines non sunt, & quòd peccatum nihil est: ex quo concludebat ille prudentissimus frater *Thomas de Aquino*, vt audiui in quodam suo sermone, sic: *Quicunque peccatum faciens, seruus est peccati: sed quicunque seruus, minor est quàm dominus, & peccatum nihil est: Ergo quicunque peccatorum, minus est quàm nihil.* Sic autem *Philosophus* ait: mundus est vnus vnitate ordinationis sicut exercitus: Exercitum autem vnum facere per vnitatem finis ad quem tendit, qui est victoria, principaliter pertinet ad Ducem & Principem exercitus: Similiter totum mundum vnum facere, principaliter pertinet ad eius Monarcham.

Modò non est homo sanæ mentis, vt credo, qui æstimare verisimiliter posset in hoc fine seculorum fieri posse quòd esset totus mundi, quo ad temporalia, solus vnus Monarcha, qui omnia regeret, cui tanquam superiori omnes obedirent: quia si ad hæc tenderetur, essent guerræ, seditiones & dissensiones infinitæ; nec esset qui posset eas sedare propter multitudinem populorum, remotionem & diuersitatem locorum, naturalem inclinationem hominum ad dissentiendum: licet aliqui vulgariter vocati fuerunt mundi Monarchæ, Tamen, postquam Regiones fuerunt de hominibus populatæ, non credo quemquam fuisse cui omnes obedirent. Non legitur vt credo, Occidentales citra Græciam habitantes, etiam Regi *Alexandro* subiectos fuisse, nec eius Imperio paruisse. Sed verisimile est quòd *in spiritualibus posset & debeat esse Princeps vnicus & Monarcha*, qui spiritualiter percutiat & distringat vsque ad Orientem, Occidentem, Austrum & Septentrionem quod non video posse contingere, nisi facta prouisione notionis linguarum, modo præscripto, seu meliori. Nam & ipse Dominus, qui omnia nouit & in figuris & parabolis ac similitudinibus aliis docuit, nobis relinquens exemplum, Apostolis suis & discipulis Euangelium omnibus populis prædicaturis notitiam dedit omnium linguarum & sapientiæ prædicandi, dicens: *Cum veneritis ante Reges & præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis.* Non fuit, nec est, nec erit alius ab ipso, qui tantum munus, tantam gratiam potuerit nec possit donare: ipsi soli taliter reseruatur potestas quæcunque miracula faciendi. Quoniam ei nihil est impossibile, quod esse possit secundùm rerum naturam: quoniam non potest facere quòd aliquid sit ens & non ens simul: hoc est, quòd duæ contradictoriæ propositiones sint simul veræ: idem in contrariis, quantum ad veritatem: nec non & quòd omnes creaturæ quæ sunt & fuerunt, per se non possent minimum facere miraculum. Si DEVS omnipotens miraculosè dedit prædicatoribus quos elegit & misit per vniuersum orbem, notitiam omnium linguarum, & potestatē loquendi secundùm eas, ac si nati fuissent de singulis Regionibus, ad hunc finem quòd procurarent omnes baptizari & credere, & Petro Principi Apostolorum obedire, omnium credentium vnam faciendo Rempublicam: quare successor Petri CHRISTI vicarius & præ omnibus imitator, qui non potest subitò miraculosè dare scientias, notitiam linguarum, & facultatem secundùm quamque loquendi, non prouidebit, ex quo ostenditur ei non solùm possibilis imò sibi facilis, non sumptuosus, parumque, quod ad ipsum, laboriosus modus faciendi de discipulis linguas omnium scientibus & intelligentibus ac loquentibus, vt mittantur ad prædicandum; & cætera subsidia illis quibus prædicabunt expedientia non solùm quo ad animas imò etiam quo ad corpora faciendum: ad quæ *Medicina*, & *Chirurgia* præcipuè expediunt: cuius prouisionis, & præuisionis actori, & ordinatori, creditur, licet non perficiat & attingat ad finem intentum perfectæ vnionis Christicolarum in fide & obedientia, summam remunerationem æternaliter faciendum: diuinâ misericordia principium, medium, & finem operis consummante. Propter quod imperrandum pro actoribus huius prouisionis & benefactoribus, in studio quolibet eiusdem diebus singulis, vnum legi *Psalterium*, à quolibet suam partem, quæ modica erit,

XLI.

Matth. 10, 18, 19.

ſtatuatur: item *Miſſam* vnam pro viuis, & aliam pro defunctis: vt actores & quicunque benefactores, viuentes & poſt mortem, diurnam remunerationem expe-
XLII. ctent. Huius verò prouiſionis erunt, & ab ipſa per eamque procedent commoda temporalia, quæ plus longè proderunt communitatibus Regionum, de quarum bonis fient impenſę, quam prodeſſent huiuſmodi bona, ſi etiam fideliter, quod vix aut nunquam contingeret, pauperibus erogarentur: communiter conſideratâ pauperum modernâ multitudine copioſâ, penuriaq; ſpecierum, & aliarum rerum Orientalium quam patimur, quæ cõmunicabuntur omnibus catholicis pro preciis moderatis: quod ſine cuiuſquã gra' amitie fieri poterit: quoniam ceſſabũt plurima ſolita pericula, & impedimenta maris & terrarum: ſedatóque per DEI gratiam incurſu hoſtium Terræ Sanctæ, præſidens eidem, cum eius nauibus de bonis ipſius, poterit præcipere & curare citra mare portari, comparari ſpecies, & alia bona, & illuc de bonis noſtris reportari, mandarique precia rerum emptarum, ſumptus portandi, vt taxentur precia rerum ſingula, propter obuiandum cupiditati creſcenti quotidie mercatorum. Item dominus Papa, Cardinales, & maiores prælati, nec non Reges & Principes regionum in quibus erunt ſtudia & Abbatiæ, de quarum bonis pro parte fundabuntur, per diſcipulos huiuſmodi prouiſionis habere poterunt non ſolùm ſpecies, ſed quaſcunque res caras & precioſas, quas de regionibus Orientis habere deſiderauerint, ſibique expedierit, quaſi pro nihilo, reſpectu ve-
XLIII. teris cariſtiæ. Quid plura ſcriberem commoditates huius prouiſionis, ſi benè velint vti, cum diſtributione debita, actores & diſcipuli eiuſdem? per vnum ſolum viuentem præuideri omnes, ſcribique non poſſent, ad inſtar eius quod ait *Philoſophus*: augentur autem dæmones non per media, ſed in poſt aſſumendo, & in latus. Fortè *maioribus Sarracenis*, quibus alij iniuriantur, guerras mouent, auferunt terras ſuas, alia bona rapiunt, poterunt dari *vxores* peritæ prouiſionis iſtius, ſaluâ fide, vt non communicent cum eorum idolatria: per quas cum auxilio DEI & diſcipulorum prædicantium, & vt ſubſidium habeant à catholicis, quia de Sarracenis non poſſunt confidere, poterunt ad fidem catholicam induci & perduci; paulatimque poterit apud ipſos noſtra Fides publicari: quod plurimùm appeterent eorum vxores, eò quòd quilibet ipſorum multas habet: vitam etenim, ducunt omnes diuites & potentes intra ipſos, luxurioſam, in præiudicium vxorum, quarum quælibet vellet vnum habere ſolum magis (nec eſt mirum) quàm quòd ſeptem vel plures vxores non haberent niſi vnum. Idcirco generaliter, prout à mercatoribus qui frequentant earum terras, audiui, quòd mulieres illius ſectæ de facili multùm mouerentur ad noſtram, vt quiliber vir haberet vxorem vnam tantùm.
XLIV. Per pacem enim & concordiam generalem omnium catholicorum eccleſiæ Romanæ parentium, modo præſcripto firmatam, nec non per guerrarũ & litium infra ſcribendam abbreuiationem, tanquam per cauſas ordinatas agente rerum omnium conditore, ſequitur Catholicos longè pluſquam hactenus fuerunt, futuros eſſe virtuoſos, literatos, locupletes, longæuos, ad ſubiugandum barbaras nationes potẽtiores; quia cùm inter ſe guerras non haberent, nec ſe timerent habituros, propter immenſitatem pœnarum amittendi *terras vacales* cum bonis, idcircò verisimile eſt, quòd ſe inuicem diligentes Principes Catholici, ſimul confluerent, ſeu ſaltem vndique mitterent contra infideles innumerabiles exercitus pugnatorum, in acquirendis terris manſurorum ad perpetuò ſeruandum eaſdem: ſic pluſquam paulatim Reſpublica Catholicorum obedientium eccleſiæ Romanæ fortiter augeretur, contra alios omnes Rempublicam vnam, & affectionem, amorem & charitatem ad DEVM & proximos non habentes: ad quod multum conferret ſi *Philoſophiæ ſtudium* in tota noſtra Republica fortiter augeretur. Nam ſi flos militiæ hactenus ſequuta eſt ſtudium de regno in regnum; vt de *Indis* ad *Aſſyrios*, & de *Aſſyriis* ad *Græcos*, de *Græcis* ad *Romanos*, de *Romanis* ad *Citramontanos*, prout legimus per hiſtorias antiquorum: ergo ſi ſecta Catholicorum vnam in omnibus regnis & locis faciat Rempublicam, & ſtudium ſuſcitet in omnibus locis ad hæc aptis, ſequi deberet hic effectus, quòd hæc reſpublica mundi Monarchiam, ex nunc in poſterum augendo, proceſſu temporis obtineret: quod quo ad ſpiritualem obedientiam, non temporalem ſpe-
XLV. ratur & apparet veriſimiliter obuenturum. Quòd autem in modico tempore poſſint & debeant ſcholares huius prouiſionis valdè plus cæteris, & expediat proficere,

ficere, potest sic declarari, concitando peritos & expertos *prouisionis doctores*, ad proficiendi modum, artem, experientiam & studium augmentandum. Eligantur pueri quatuor quinque vel sex ad plus annos habētes, ad proficiendum capita benè figurata & disposita, nunquam ad suos parentes nisi de licentia prouisionis reuersuri: quorum centum vel plures instruantur in vno loco ad hęc benè dispositio, primò in lectura *Psalterii*; postmodum in tertia parte diei *in cantu*, & pertinentibus ad hoc; in aliis diei partibus successiuè, in *Donato*, more Romano confecto, in accidentibus, declinationibus, & successiuè in aliis Grammaticalibus, puer cùm audiet librū *Catonis* & alios minutos actores, quatuor lectiones habeat in die magnas, prout ingenium poterit sustinere, super quibus non supiner. Audiat primò doctore legentem, post alium repetentem, post quem latim toties repetat quòd scire videatur. declinationes & regimina vocum dicantur eidem primo, postmodum repetat citò super quolibet interrogatus, regimina dicātur eidem in hyeme solùm de nocte Latinum faciat: quod cùm aliquantulū facere cœperint, semper loquantur Latinū, se in hoc omni loco & tempore assuefacientes. Post aliquos actores minutos audiant *Biblia* puerilitèr ter vel quater in die, de historiis eius & poetriarū tantum per ordinē Latinum faciant, quod non scribant nisi rudes. Cùm incipient diebus primò cōstruere solēnibus construatur eis *Gradiale*, post ea *Breuiarium*, non *Missale* nisi in Biblia: constructo Breuiario, cōstruatur eis *Aurea Legenda* Sanctorum, & historiæ poetarū prosaicè & breuiter extractæ: super iis historiis quæ proderunt eis in futurū non supertrusis solitis materias faciant, seu quod propriùs est latinizent: tunc nihil amittent de tempore otioso, prout hactenus factū est: omnes materiæ quas facient perpetuò sibi proderunt. Cùm totā Bibliam audierint, repetant eam quilibet in die ad minus sexternum vnum; similiter de historia Sanctorū: & Poetarum versus planos tātum modico tempore faciant: demum cum debebunt audire *Logicam*, in tribus mēsibus æstatis omnes Poetas audiant. Videlicet primā die *Catanem*, secundā *Theodolum*, tribus sequētibus *Tobiam*, & sic de aliis; qualibet die, per duos doctores sex audiant lectiones, quas fere totas per se possent videre, præstitis historiis, & figuratis vocabulorū communiū. De talibus scripturis, vbi nō queritur nisi ordinatio & notio figuratorum, potest quilibet iuuenis statim cùm incipit proficere tantùm, videre, & legere sicut de vno *Romantio*. Quolibet tempore anni de die & de nocte deductâ partitione somno dedita, circa hæc continuè laborātes, benè dispositi ad proficiendum, infra decimū ætatis suæ, vel saltē vndecimum annū, alii infra duodecimum ad minus, hæc, dante Domino, scientiarum omnium, poterunt peregisse. Inter quæ præmissa, pueri, prout eorum Doctores viderint expedire, *Doctrinale* audiant, quatinus attinet ad declinationes nominum & verborum, & vltimò *Græcissimum*. ita quòd sensum literalem breuiter cōprehendant, in solemnitatibus aliis nullatenus insistētes.

Quibus sic peractis pueri mutent locum, & in alio studio, *in Logicalibus* incipiant doceri, simulq; in *Græco*, *Arabico*, vel alio idiomate, quod prouisores duxerint eligendū: in lectura cuius idiomatis noui, in figuratis vocabulorum, & ordinatione illorū, quo ad Grammaticalia, primo doceantur: in *Logica* tractatus audiant, & summulas ob eorum expositionē confectas: procuretur quòd per aliquē in hac arte sapientē extrahātur eis breuiter, & planè ars in quolibet libro logicali per *Philosophum* obscurè tradita & subcinctè, vt post tractatus, illā artem breuem, scriptorum expositione non egentē, audiant bis vel ter in modico tēpore: postmodū libros audiant semel solemniter. Quod sic perfici deberet infra quatuordecimum annū: tunc incipiant audire *Naturalem scientiam*: propter cuius prolixitatem & profunditatem, expedit naturalia *fratris Alberti*, continentia prolixè totam intentionē Philosophi, cum multis additionibus & digressionibus, quantum magis fieri posset, abbreuiari, tam planè quod intelligētes legere possent hoc extractum sufficienter sine scriptis. Hoc extractum, audirent iuuenes totum primo anno quatuor lectiones in die sine quæstionibus: hoc idem audirent secundā vice cum quæstionibus: postmodū audirent semel libros prout leguntur in scholis. Item expediret quod quæstiones naturales haberent extractas de scriptis tam fratris *Thomæ*, quam *Segeri*, & aliorum Doctorum ordinatas omnes de vna materia: vt, de materia prima, de forma, cōposito eius, generatione, corruptione, de quolibet sensu, eius obiectis, de qualibet potētia animæ, operationibus & naturis earū, de elemētis naturis & operationibus eorum, de cor-

XLVI.

poribus cœleſtibus, naturis, influentiis & motibus eorum: ad talem ordinem tendẽdo, quod materiæ de facili poſſent inueniri, & propter ordinẽ faciliùs ſciri: quod eſſet multum difficile taliter ordinare, licet multùm proficuum in via doctrinæ, quæ de facili modico tẽpore per hunc modum adquireretur, acquiſita conſeruaretur, & ad memoriam reduceretur. Quibus ſic factis audirent Morales ſcientias, videl. monaſticam, ethicam, rhetoricam & politicam ſic extractas & abbreuiatas. Ethicam vidi per decem libros abbreuiatã per magiſtrum *Hermannum Alemannum*; quâ præcognitione habitâ, ſemel audirent libros ſolemniter cum quæſtionibus, vt in naturalibus ordinatis, cũ paucis argumentis in quacunque ſcientia ſcriptis: quoniam argumentorum multitudo magis confuſionem intellectus & iudicii rationis, quàm ſcientiam inducit. Quibus ſic factis in anno vno, quia bis in die *Bibliam* audirent Biblicè, & librum ſĩnum in manè, cum quæſtionibus in Naturalibus obmiſſis, qui debent eſſe prædicatores per duos vel tres annos ſic audirent: quorum ſi aliqui ſic facerent, aliis ſufficeret ſemel audire anno vno ſeu minori tẽpore. Poſtmodum expediret quoſdã per bienniũ *Leges* audire: & perfectè quinque volumina poſſent audire. Poſtmodumq; *Decretum & Decretales*; bis decretũ in die, & decretales ſemel. Clericaliter in eccleſia DEI victuri poſſent obmittere leges, ſed non Decretales & Decretũ: ſeculariter victuri, poſſent obmittere Naturalia, Moralibus, in Iure ciuili & canonico longiùs inſiſtendo. Qui verò vellent audire *Medicinam*, poſt naturalia poſſent hoc facere quãuis expediret Bibliam & ſĩnas non ignorare: quoniam in eis tanguntur principia quæ ſunt fundamenta omnium ſcientiarũ: iuxta id quod dicit Philoſophus, *communicant autem omnes ſcientiæ*: & valde magnũ eſt, omniũ ſcientiarũ principia cognoſcere, vel ſaltẽ non ignorare. Qui verò in addiſcẽdo fuerint rudiores, cognitâ Logicâ paululũ, & magis cùm erit poſſibile Naturali ſcientiâ, *chirurgiam hominum & equorũ* audiant; & cũ hoc ſi fuerit poſſibile *Medicinam* videl. illi qui meliùs fuerint capaces, vt profectiùs artẽ chirurgię poſſint apprehendere, artẽ Medicinæ cooperante. Iſti Medici & Chirurgi vxores habeant ſimiliter inſtructas, cũ quarum auxiliis ægrotantibus pleniùs ſubueniant. XLVII. Aliquis poterit opponere, argumento eorum quæ vidimus: quid proderit eis qui ſecum tot volumina portare non poterunt, per bienniũ Leges audire? Reſpondeo, ſi *libros* non habent cùm vti debebũt, parùm proderit: tamen propter iura canonica proficiet eis, & ne totaliter ignorent; ſi tamẽ libros ſecũ portarent, longè magis proficeret. Supponere debemus aliquos ſic audituros, qui libros ſecũ portabunt, & aliquos non portantes, acquiſituros libros; & propter bonum ſcientiarũ fundamentum profecturos etiã per libros, per ſolũ ſtudium notos, ſcolis deſertis. Iſtos autẽ ſcolares modici tẽporis, magnas ciuitates & populos gubernaturos, & iudicaturos, expediret habere *Leges* in vno volumine, planas, breuiter, & clarè, ſemel tantum, ablq; ſimilium repetitione ſcriptas, perfectas ſententias cõtinentes, vt intelligi poſſent & legi ſine gloſis & ſcriptis: omnes leges vnius materiæ, ſub vno titulo comprehendendo taliter, quod aliàs benè literati poſſent intelligere & capere ſine doctore; ſimiliter expediret habere *Decretum abbreuiatum*, & Decretales, vt ſcolares pauci temporis, ex iuribus cõfuſis & prolixis, ſub breuitate generalia & ſpecialia iura cuiuslibet materiæ, retinere, ſecumq; portare poſſent: quibus mediantibus cum experientia, ſe & alios ciuiliter regerẽt his generalibus & ſpãlibus viribus pro aſſuefactione habituatis, experientiâ cooperante, libris acquiſitis perfectiùs in eis ſtuderẽt. Hæc abbreuiata & extracta, forent libri portatiui pauperum, & etiã eorum qui circa alias ſcientias occupati, vt circa Philoſophiam, & Theologiam, ſolitum & neceſſarium ſtudium ad notitiam magnorum voluminum non apponerent: eò quòd *breuitas vitæ hominum, & occupatio ſpiritualium & ſeculariorum negotiorum*, tarò permittunt homines perfectè ſtudere & cognoſcere iura ciuilia, & canonica tam prolixa, cum Philoſophia & Theologia. Tamen benè dociles modo præſcripto ſtudium cõtinuantes, infra triginta annos ætatis ſuæ, fieri poterunt in philoſophia, iure ciuili, canonico & diuino valde periti, & in modo prędicãdi experti. Nã ſcriptura *Veteris & Noui Teſtamenti*, cũ *Legenda Sanctorũ* in pueritia cognita, repetita ſolemniter cum *libro Smãrum*, vt præſcribitur anno vno poſt adeptionem Philoſophiæ, ſufficienter extunc à pueritia diſponet eos ad intelligẽdum, reportandũ, ac memoriæ commendandum, ſingulis diebus feſtiuis prædicationes, ſic quod prædicandi modus ſic aſſuefactus erit eis quaſi naturalis: iuxta id q̃ recitat

Philoſophus

Philoſophus Platonem docuiſſe pueros aſſuefieri in operibus virtutum, vt proceſſu temporis ſint in eis quaſi naturalia, & ad ea tãquam ad naturalia moueantur. Nam, vt dicit ibi, *conſuetudo, altera natura eſt*: id eſt, alterat naturam. Quòd ſic expediat prælatos, eccleſiæ rectores, edoctos eſſe in Philoſophia, Theologia, & in vtroque Iure, vſu & experientia ſcientiarum huiuſmodi, ſatis docuit experientia, ſuprema rerum magiſtra, prout clamant multi ſacri Canones, conſiderantibus defectus illorum prælatorum, qui ſolũ *Ius Ciuile* ſine Canonico & Diuino, licet multùm profundè, didicerunt: Item & eorum, qui ſolum *Ius Canonicum*, vt ſunt aliqui canonici regulares & monachi: Item & eorum, qui Philoſophiam & Theologiam nouerũt. XLVIII.

Nam prælatus non ſolùm per alios, ſed etiam, vt magis moueat & ædificet, ac timeatur, per ſe ipſum facere debet ea quæ pertinent ad felicitatem contemplatiuam & actiuam: iuxta illud verbum Euangelii, *cœpit IESVS facere & docere*. Licet ſcriptum eſt, per ſupremum aduocatum, *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: tamen hoc non ſufficit prælatis quo ad ſubditos. Si prælatus velit totaliter ad inſtar *Mariæ* contemplationi vacare, debet religionem vel heremum intrare, prælationis virgam alteri dimittendo. Et ſi prælati vitam vtramque gerere, & ſecundùm eas beatificari tenentur, debent inſtrui in pertinentibus ad vtramque, in tantum quòd ſit veriſimile ſibi ſufficere poſſe, prout humana fragilitas poteſt comprehendere & acquirere ſcientiæ notionem: in qua acquiſitione & ſufficientia ſcientiarum, nullus debet finem & perfectionem ſupremam apponere, vt quieſcat, tanquam ſufficienter inſtructus: quoniam non poteſt eſſe in hoc mundo quiſquam tam perfectus, quin ipſum inſtrui perfectiùs expediret: ſolus DEVS in fine & termino perfectionis eſſe poteſt. Luc. 10, 42.

In *Mathematicis* verò ſcientiis propter plures earum vtilitates, præcipuè tactas in libello ſuper vtilitatibus huiuſmodi confecto per fratrem *Rogerum Bacon* de ordine Minorum, expediet aliquos huius prouiſionis diſcipulos inſtrui, prout in illis ſapientes commodiùs & breuiùs viderint expedire: in illis quæ prodeſſe poterunt ad acquiſitionem & conſeruationem Terræ Sanctæ potiùs inſiſtendo. Quemlibet catholicum præſertim literatos expedit cognoſcere figuras, ſitus & loca eorum, eorum magnitudines, figuras; orbium cœleſtiũ ſpiſſitudinẽ, eorum magnitudinem; Solis, Lunæ, & aliarum ſtellarum velocitatem, motus & influẽtias; & quantũ terra reſpectu eorũ minima, & reſpectu hominis maxima: vt his admiratis, laudetur actor eorũ; & repulſa concupiſcẽtia mundanorum, non ſuperbiat homo propter ea quæ in mundo qui omnia cõtinet, & eius reſpectu nihil ſunt hæc omnia inferiora, quia quaſi nihil debent reputari. XLIX.

Sic prout fiet à multis, aliquis opponat, *ſufficere poſſunt, & hactenus ſufficerunt addiſcendi modi quos tenuerunt Patres noſtri*, quorum ſcriptor huius operis non eſſet dignus ſoluere corrigiam calciamenti. Reſponderi poteſt quòd ſuper hoc dignus non eſſet concedendo, tamẽ ſcriptor operis huius, naturali deſiderio recuperationis & cõſeruationis Terræ Sanctæ motus, conſiderauit pluries & reſpexit nociua & conferentia: ad inſtar ortolani qui primò tollit vrticas, ſpinas, & tribulos, antequam ſerat frumentum aut alia, quę propera colligere proponit. Idcirco de iis tetigit, nec non de modis addiſcendi prædictis, conferentibus ad benè eſſe conſeruationis, ac etiam acquiſitionis dictæ Terræ: in qua quouſque benè fuerit ſedata & à guerris ſemota, ſcolares non poſſent benè proficere, nec vnde proficerent habere; nec fortè reperirent doctores, qui ipſos ad proficiendum in ſcientiis conferentibus ordinarent. Nam doctor quilibet vellet in ſua doctrina, & ſub ea diu tenere ſcolares: credit communiter enim quilibet ſuam ſcientiam meliorem, & vtiliorẽ aliis omnibus: & quod plus eſt, plerumque credit quilibet ſcientiam quam nouit, & quam deſiderat cũ poſſibilitate ſcire, ad ſui mundique regimen ſufficere: cùm nõ ſolùm ſumma ſapientia, ſed etiam cum ipſa experientia agibilium, ad mundi regimen requiratur. Nec benè ſufficit ſcientia in vno, cum experientia alterius, niſi iſta duo coniungãtur: quòd cõtingere non poſſet, niſi ſtudendi modus & tempus abbreuientur, vt periti ſcientiarum, ita citò veniant ad experientiam quòd ipſam longo tempore poſſint acquirere & vti, antequam deſipiant per *ſenium* organorum animæ rationali & eius iudiciis deſeruientium: iuxta id quod ait Philoſophus, *Organa ſenſuum ſeneſcunt, non virtutes*. & ſimul cum intelligimus neceſſe eſt, fantaſmata ſpeculari. Et licet intellectus non ſit virtus organica, tamen organis indiget: quæ organa propter humiditatem, & frigiditatem citiùs ſe-

neſcunt, & debilitantur, in terris frigidis quàm in calidis. Idcirco decrepiti calidarum regionum prudentiores ſunt, & melioris memoriæ ac reminiſcentiæ, quàm decrepiti frigidarum regionum: inter quas regiones temperatæ magis eligendæ ſunt: quoniam excellentiæ ſenſibilium corrumpunt ſenſus. Propter dictas cauſas, expedit quòd iuuenes ita citò proficiant in ſcientiis quòd ad experientiam agibilium veniant robuſti, diuque præſumptione iuris & naturæ victuri: vt acquiſitis primò ſcientiis, & poſtmodum eis conuenientibus experientiis, aliorum animas & corpora poſſint diu regere, taliter ad hæc diſpoſiti. Nam, vt ſcriptum eſt, *nemo repentè fit ſummus*. Non ſtudeant ergo proterui, tantorum bonorum initium reprobare; immò per DEI gratiam, imperfectum opus ſalubriter perficere, emendare; vel eo- 10
dem obmiſſo, totaliter expedientiùs & probabiliùs inuenire, prout ſubiecta materia pati poterit, rhetoricè ſuadendo; vt ait Philoſophus, cùm ipſe artificialiter ſophiſticandi, & ſophiſticos ſyllogiſmos diſſoluendi principia inueniſſet, *difficile eſt principia inuenire, ſed ipſis inuentis facile eſt addere*: cui communicans Legislator, ait: *qui*
11. *ab aliis inuenta ſubtiliter emendat, non minus laudabilis eſt, eo qui primus inuenit.* In quolibet verò ſtudio prouiſionis huius, expediet retinere aliquos qui debiles eſſent ad transfretandũ: qui, prout perfectiùs fieri poterit, vltrà modum præſcriptum edocti, alios doceant, & demum fiant capellani ſtudiorum. *Multos doctores Græcos, Arabicos, Chaldæos, & ſic de aliis idiomatibus, prout magis conferentes credentur, expediet quærere, pro inſtruendo in linguis eorum literatis tantum ſapientio-* 20
res noſtros, & alios quibus ſufficiet minus ſtudere in literatis & maternis: vt quantum ad *non literatos, fore poſſint interpretes ſermonum.* Æſtimo, ſicut apud nos Latinos videmus ſub quolibet literarum idiomate contineri diuerſa materna langagia, quorum communius, prout apud Latinos eſt *Gallicum*, addiſcere expediret
LII. eis qui ad diuerſa diſcendum ſufficere non creduntur. Expediet ſcolares huius prouiſionis, videlicet robuſtiores, inſtrui in *arte militari*: & alios qui rudes proceſſu temporis reperientur in doctrina literarum, in *artibus mechanicis*, præ cæteris deſeruientibus arti militari: ſicut eſt *ars fabrilis & carpentaria*. vt ait Philoſophus, *ars militaris omnibus mechanicis artibus eſt nobilior, propter nobilitatem finis, qui eſt pax ad quem tendit*: cui arti militari præ aliis deſeruit ars fabrilis armorum factiua; & ſimiliter, 30
vt videtur carpentaria: quoniam ipſe præcipuè eget iſtis duabus artibus. Expediet etiam aliquos iſtorum inſtrui, ſecundùm documenta libelli prædicti de vtilitatibus Mathematicarum confecti, in *factionibus variorum inſtrumentorum*, vt ſpeculorum ardentium, & aliquorum inſtrumentorum ad guerras vtilium: prout ſecundùm perſpectiuas Mathematicarum & naturalium ſcientiarum fieri poterit: ſecundùm quas artes multa ſunt poſſibilia fieri, quæ non ſunt nota in his regionibus Occidentis. Poterunt etiam inſtrui in pluribus aliis artificiis ad Terræ Sanctæ recuperationem & circumadiacentium acquiſitionem conferentibus, prout plures in talibus prudentes, & experti viderint expedire: quæ artificia per vnum cognoſci & explicari non poſſent, argumento eorum quæ nos & patres noſtri ſemper vidi- 40
mus euenire. Certum eſt, & conſtat occulatâ fide, quâ cuilibet de populo videtur falli non poſſe, quòd in duobus vix, & nunquam in tribus artificiis aliquis reperitur excellens: quomodo ergo poſſet aliquis in omnibus artificiis, quæ quoad nos ſunt infinita, excellens reperiri? ſi non in artificiis, ergo nec in eorum determinatione cauſis & diuerſitate. Ex quibus ſequitur, horum perfectam doctrinam per vnum actorem tradi non poſſe: cuius ratio eſt, vt videtur, quoniam actor naturæ, ſuperbiendi tollere volens occaſionem quamcunque, ac etiam mundi res concupiſcendi; nec non & dare colorem, cauſam & occaſionem cuilibet ſecum poſſeſſores rerum & artificiorum actores tolerandi, non plus debito concupiſcendi & inuidendi, ſic omnia quo ad homines fecit infinita, videlicet idiomata tam literata 50
quàm materna, loca, regiones; artificia etiã in tantum multiplicauit, quòd nec vnus homo, nec centum, nec mille, nec centum millia, nec centies millena millia ſibi ſufficere poſſent ad benè viuendum, & quod adſit benè viuendum, prout eſt ſolitum, ſibi inuicem non ſufficerent homines vnius prouinciæ, nec vnius regni, nec trium, nec decem. Quod in tantum verum eſt, quòd omnes homines huius mundi regulariter apparet eſſe futuros ad benè viuendum ſibi inuicem

conferen-

conferentes: ex quo ſequitur, quòd ſine concupiſcentia & inuidia, proſperitatis naturalis fortunæ cuiuslibet, debent homines ſe inuicem tolerare ad inſtar gregalium animalium, quæ ſe inuicem tolerant. Sic Saluator omnium animarum, voluntatem ſuam expreſſit magis in his ſuis factis quàm verbis: ſic nos verbis & factis docens, vt accedat quod ait Apoſtolus, *Omnis CHRISTI actio, noſtra debet eſſe inſtructio*: & propter doctrinæ miſterium ſcriptum eſt, *cæpit IESVS facere & docere*. Sic in Lege ciuili, cautum eſt, *non refert vtrum populus Romanus voluntatem ſuam exprimat verbis, vel rebus ipſis & factis*. Sic ergo inſtruentur ſcolares prouiſionis in artificiis diuerſis, conferentibus ad recuperationem & conſeruationem, & benè eſſe habitatorum Terræ Sanctæ, prout iuxta neceſſitates eminentes prouiſores viderint expedire. Sic de longè prouideri & procurari poterunt per mare res multum cõferentes ad Terram illam quæ vix aut vnquam poſſent in ea reperiri. Dicitur communiter quòd *omne rarum precioſum reputatur*: & omnes res homini tam nociuæ quàm vtiles ad viuendum & benè viuendum, in aliquibus locis abundant multum, & in aliis deficiunt: quæ ſic diſpoſuit DEVS glorioſus & ſublimis, qui fecit hæc omnia, propter hominem: vt obſtantibus defectibus non ponat homo finem & deſiderium ſuum ſemper hîc inferiùs habitandi. Puellas verò prouiſionis omnes expediet, vt mares, in *Grammatica* Latinè inſtrui, poſtmodumq; in *Logicalibus*, & alio idiomate vno; poſtmodum in *principiis Naturalibus*, vltimò in *Chirurgia & Medicina*; quod intelligo, vltra Grammaticam & Chirurgiam, de illis quæ præ aliis dociles & diſpoſitæ ad hæc reperientur: quæ etiam in ſolum cõferentibus ad Medicinam, & Chirurgiam inſtruentur in qualibet ſcientia, modo quo fieri poterit ſenſibiliori, plantori, & faciliori propter ſexus fragilitatem; & quia citiùs diſcurrũt per ſuas ætates quàm mares, citiùs perueniunt ad perfectionem eis poſſibilem, quod eſt ſignum debilitatis, virtutis naturalis earum. Simile videmus, vt dicit *Philoſophus*, de hoc loquẽs in libro *de Animalibus*, in arboribus & aliis plantis, quæ minus durant, citiùs creſcunt. Inter eas de quibus puellis, aliquæ prudentiores quæ videbuntur debiles ad transfretandum, apud nos poterunt pro aliis cuſtodiendis & erudiendis perpetuò remanere, quarum ſubſidio cæteræ ſecuriùs ſeruabuntur & pleniùs inſtruentur, tam in ſcientia quàm in experientia Chirurgiæ, ac etiam Medicinæ, & eorum quæ ad artem & artificium Apothecariorum pertinere noſcuntur. Puellas verò quæ diſponentur coniugandæ cum illis qui non tenent articulos fidei noſtræ, prout eos tenet, docet & obſeruat eccleſia Romana, expediet in articulis prout tenet eos eccleſia Romana doceri, vt ſecum breuiter & planè ſcriptos pcent articulos, omnes ita quod ipſos ſufficienter intelligant: quod ſimiliter ſcire non noceret, imò prodeſſet, ſingulis *diſcipulis prouiſionis* prædictæ, quos in Theologia contingat pleniùs non doceri. Præterea in ſingulis ſtudiis Medicinæ & Chirurgiæ, pro puellis ſtatuendis, expediet remanere duas puellas, quo adiuuent præ cæteris edoctas in Medicina & Chirurgia ac earum experientiis, quæ alias docebunt, tam in Theorica quam Practica: vt puellæ cùm de ſtudiis recedent, cum ſcientiis peritiam habeant practicandi in ſtudio magis quàm poſtmodum, faciliusque diſcere poterunt, & capere ſummã experientiam, ſine qua tales ſcientiæ parum prodeſſent, reſtante *Philoſopho*, qui ait, *in agibilibus humanis longè magis proficere videmus habentes ſine arte experientiam, quàm habentes ſine experientia, ſcientiæ notionem*. Similiter autem maſculos auditores huiuſmodi ſcientiarum, in earum experientia dum erunt in ſtudiis, proderit eruditi, & in eis apothecariam teneri, confectiones fieri; vt herbas, & alia Medicinalia diſcant cognoſcere; nec non vnguenta, & decoctiones cum aliis ſolitis facere: vt de ſtudiis recedentes ſufficienter ſciant & valeant practicare. *In ſcientia Diuina*, præcipuè ſtudentes, in eius practica ſe frequenter exercitent, prouiſionis huius ſcolaribus prædicando, maiorum prædicationes repetendo, collationes breues frequentiùs faciendo. Quæri poſſet, qualiter *Iurium ſcolares* in experientia iudicandi & poſtulãdi, modico tempore poterunt eruditi. Ad quam experientiam acquirẽdam quæ longo indiget tempore, prout nouerunt per ſe ipſos illi quicunque in talibus laborarunt; & non laborantes, qui labores aliorum conſiderauerunt, & vt addiſcerent diligentiùs reſpexerunt, iuxta commune dictum *Hugo. Magni* iurium Doctoris, cùm ait: *Felix quem faciunt aliena pericula cautum*: per quam difficile videtur competens & probabile remedium, quod admittatur, & ſit tolerabile, reperire: tamen

LIII. LIV. LV.

hoc fieri est possibile, licet difficile. Sicut enim ait *Philosophus*, materia prima de se nullam habet formam, imò est in potentia ad omnes formas: & idcirco dicit *Philosophus*, Materia id quod est, potentiâ est: forma verò est actus & perfectio cuiuslibet compositi. Videmus, quòd globus cere, tanquam materia, respicit æqualiter omnes formas, de potentia materiæ per industriam artificum, & non aliàs inducendas. Sic ergo experientiam agibilium negotiorum, & causarum spiritualium & temporalium breuem & breui tempore quæri possibilem, in potetia rerum ordinauit actor earum: sicut & multa alia, quæ per defectum artificum, fortè nunquam producentur in esse. Hæc acquisitio breuis experientiæ tam postulandi quàm iudicandi, respicit benè esse Reipublicæ Terræ Sanctæ & habitatorũ eiusdem. Cùm huius modi terram expediat, & oporteat publicari per habitatores diuersarum regionum, si quilibet vellet & niteretur vti consuetudinibus & statutis suæ terræ natalis, & modum causidicum huiusmodi terræ tenere, ex hac sequeretur confusio valdè magna habitãtium, & occasiones infinitæ discordiarum: quoniam communiter videmus, quòd cuilibet plus placet lex vel consuetudo seu statutum terræ suæ natalis, licet sit minus expediens, quàm alterius: iuxta id quod scripsit *Ouidius*:

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Philosophus etiam scripsit, Quòd *omne inassuetum est dolorosum*: & quia pro malo haberent Anglici, Alemanni, & Hispani, si consuetudines Gallicorum & modus litigandi eorum teneretur: & quia propter diuersitates consuetudinum & modorum procedendi infinitæ discordiæ orirentur, & demum guerræ mouerentur inter fratres, qui in CHRISTO deberent vnum esse, iuxta illud Apostoli, *multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quocirca propter vitandum seditionum & guerrarum occasiones, expediens videtur proprias cuiuslibet populorum de nouo superuenientium consuetudines, & ritus viuendi reiicere, verisimiliter modum procedendi super omnes facilem minus laboriosum, & minus damnosum, & breuiorem eligendo, quem super omnes, magis de facili concipere, retinere, & in eo se exercitare, per ipsum citiùs experientiam acquirere valeant Terram Sanctam inter inimicos pacis positam, habitantes: ita quòd idem sit procedendi modus in foro seculari, & ecclesiastico, vt quæstiones secundum Leges scriptas & Canones decidantur, dilationibus, subterfugiis, litiumque prolongationibus, alibi solitis, quo ad modum procedendi totaliter amputatis. Per quem modum infrà pleniùs explicandum, scolares huius prouisionis iurisperitiam, vt prætactum est, habentes, statim sufficienter esse poterũt experti causarum vtriusque fori, quod est aliàs inauditum, iudices & patroni. Secundùm quem modum, clerici beneficiati in ecclesiis suis, & domibus commorantes, licet loca iudiciorum non intrantes, poterunt esse causarum consultores & patroni: nec publici patroni, prout est aliàs vbique solitũ, bursas litigantium nimiùm vacuabunt, nec lites diu durabunt, nec vitas hominum excedent, nec diu contemplationem scientiarum & virtutum, & alia pacis opera poterunt impedire.

Act. 4.

LVI. Quem *modum litigandi breuissimum*, sic declaro: Actor quilibet in maioribus causis procurans reum ad iudicium euocari, factum quod intendit probare per modum articulorum afferat iudici, & idem in modicis causis, vocatis reis & præsentibus. *Sic proponit & intendit probare B. contra T. petens ipsum T. quatenus probare poterit, per vos sibi condemnari. Videlicet quòd idem B. dicto T. mutuauit, numerauit, & tradidit centum marchas argenti in Stellinguis. Item, & quòd dictus T. eodem B. præsente, & aliàs, præmissa recognouit esse vera. Item, & idem T. se obligauit ad reddendum ipsi B. centum marchas bonorum stellinguorum, ex causa prædicta. Item, & quòd ipse T. eandem pecuniam postmodum reddere voluit, pluries requisitus.* Hæc est materia libelli perfecti de necessitate concludentis: quos articulos mittat Iudex Reo, vt veniat habitâ deliberatione, respondendi certus an cedere seu contendere, & per quem modum velit, quia si fim proponitur eò quòd nunquam fuit pecunia numerata & tradita, omnia proposita statim neget reus, actoris probationem expectans. Si verò pecunia fuit mutuata, tradita, sed soluta, quitata, remissa, seu delegatio alterius personę animo nouandi facta, dicat sic: *T. confessus est, centum marchas argenti mutuatas, & traditas, anno iam elapso, aliàs negans petita vera esse: proponens & intendens probare contra B. quòd ipse postmodum ipsi B. super huius mutuo satisfecit*: vel, *quòd B. debitum sibi remisit, animo donandi:*

donandi: vel, *quòd eum quitauit super omnibus, pro tempore præterito*: vel, *quòd talem ei delegauit, qui animo nouandi ad soluendum dictum mutuum, se obligauit*: & sic de aliis peremptoriis, defensionibus prout factorum qualitas postulabit. *Si verò* actor aliquid voluerit replicando proponere, traditis sibi responsione, & exceptione rei, superaddat, actor ad suam intentionem; & hoc quod superaddet, reo tradat: qui reus similiter tradat postmodum actori quicquid duplicando, vel alias proponere voluerit: demumque videat iudex quòd non refricetur pluries idem factum, & quòd impertinentia & superflua non admittat; & quæ reperiet talia, reiiciet cum scandalo, & inproperio patronorum. Postmodum similes hinc inde veniant probationes, primò iurando, ponendo, respondendo; deinde testes & instrumenta producendo: quibus instrumentis & attestationibus publicatis si reprobare voluerint admittantur vsque ad secundam reprobationem, quæ erit tertia testium productio hinc & inde: his factis ius reddatur. Dicet aliquis, *planum est, quòd iste modus procedendi longè brevior est, solito modo communi antiquo; sed non videtur quòd cito possit experientia sic procedendi acquiri*. Respondeo, quòd imò poterit: parcetur in hoc & per hoc multum laboribus & rixis aduocatorum: quoniam, vt pater, per se modus hic vnus scribendi scripturâ etiam vnicâ, sufficiat pro libello, positionibus, & testibus examinandis. Licet inueniatur modus artificialis libellos formandi; non tamen positiones, & articulos, pro testibus examinandis dictandi: longeq; faciliùs & citiùs, scire conuenerunt scholares libellos, quàm positiones & articulos dictare: quæ omnia scientur similiter isto modo. Præterea, pro vtraque parte poterunt hæc scribi *in libris annualibus* iudicij: quorum vnus, scribetur & seruabitur pro actoribus in quo demum scribentur suæ; alter verò pro reis: sic duos libros faciendo propter testium depositiones, vt testes vtriusque partis, eodem tempore possint examinari, eorumque depositiones scribi. Sed, quod summè expediet iuuenibus ad experientiam modico tempore, quasi sine labore perquirendam, si Sanctissimo domino Romano Pontifici facere placuerit hunc procedendi modum seruari, paratus erit *scriptor huius operis* in omnibus actionibus per dominum *Rainfredum* in suis vtriusq; iuris libellis factis, similem modum articulorum, & defensionum etiam in omnibus attemptatis quæstionibus emergentibus & incidentibus tradere, sub correptione prudentum: per quod opus, si fieret, & vti placeret, Terra Sancta consequeretur hoc commodum, quòd omnes sui habitatores, iuris periti experti in officiis postulandi, iudicandi, prædicandi, sapientiaque diuinâ fulgentes esse possent; & in tali statu diu videlicet per maiorem longè partem suæ vitæ durare, non citò deficiendo cùm inciperent proficere, prout contingere plerumque vidimus hactenus, & videmus. Sic prædicta, prouisio scientias addiscendi, & eis vtendi, alias quam hactenus fuit solitum, magnos imò maximos haberet effectus ad Rempublicam Terræ Sanctæ feliciter gubernandum. Cuius prouisionis effectibus, exercitiis, & experientiis ac vtilitatibus consideratis diligenter, & attentis longè maioribus quàm modo credi posset, verisimiliter æstimo quòd talem modum lites abbreuiandi per maiores prudentes emendandum, completetur, fauente Domino, tota Respublica Romanorum, videlicet singularem Ecclesiæ Romanæ obedientium. Multùm autem apparenter, apparentiam fortificante malorum omnium callidissimo suasore cum suis coadiutoribus infinitis, poterit opponi: *per hunc modum breuem, quem dicis & probabiliter suades, compendiosum modum lites abbreuiandi, tu tollis multorum Iurium cum multis vigiliis excogitatorum effectus & prouisiones, quæ de nullo seruient, & frustrà membranas occupabunt*. Ad hoc potest multifariam responderi, quòd quædam Iura docent lites decidere: & hæc non mutantur, nec eorum potestas & vtilitas tollitur per hanc prouisionem. Sed alia Iura, quæ tendunt ad litium ordinationem quæ sunt propter alia ad tollendum absurditates mala innata, & inconuenientia quæ ex eorum obseruantia sequuntur temporibus nostris, & plus in futuris secutura verisimiliter præsumitur, hominum malitiâ semper crescente, tolluntur per hanc prouisionem, si teneatur. Nec etiam illa Iura *de Corpore Iuris* propter hoc debebuntur: ex eis argui poterit magis quàm ex legibus totaliter rogatis: nam in multis locum habebunt: nec est inconueniens ob causas prædictas, si a solemnitate & prouisione Legum huiusmodi & Canonum etiam recedatur. Per hanc prouisionem in Terra Sancta creseeret multùm Canonum auctoritas. Nam eis per consuetudines non derogabitur in foro seculari: adeo sicut leges, & magis-

quia eas vincent, locum habebunt. Eodem modo procedetur in vtroque foro Ecclesiastico & ciuili; vnicus erit in tota illa terra modus lites ordinandi, decisione litium & iuribus super ea factis non mutatis: rigor iuris seruabitur illæsus. Nam articuli ex quibus conclusio inferetur, non concludent: nec procedere dicentur, nisi ex eis & eorum probatione necessariò sequatur conclusio, & probatio eiusdem, sicut de Syllogismo dicunt Dialectici, regulam ponentes infallibilem, quòd *consequentia non tenet, quotiens oppositum consequentis stare potest cum antecedente.* Hoc est quod dicunt Legistæ, vt *C. de probationibus. L. neque natales.* per alia verba, quæ vulgariter sunt: *hoc non probat hoc esse, quod hoc contingit abesse.* Hanc regulam, quotiens iudicari debet an procedit libellus, & an probata est intentio agentis, vel excipientis, diligenter oportet inspicere, vel aliàs iudicans, casualiter iudicabit, sic peccans in forma iudicandi: quod peccatum si esset expressum redderet sententiam nullam ipso iure: sicut enim ait Philosophus, *in paucioribus apparet via magis & facilior consideratio, & per consequens, iudicium rationis.* Quod etiam patet ex hoc quòd omnis argumentatio tenet & probatur valida per virtutem Syllogismi, qui est argumentatio perfecta, super omnes breuissima, necessarioque concludens, omnibus argumentationibus formam & esse præstãs. Idcirco suprà dictum est, quòd omnes huius prouisionis scolares in Dialectica, & aliquantulum in Philosophia instruantur: vt modum arguendi, & comparandi, causas petendi ad effectum earum, videlicet conclusionem petitionum comparantes, iudicare sciant vtrum præmissæ sint veræ, & vtrum ex earum veritate necessariò sequatur veritas conclusionis, secundùm regulas supradictas. Hoc modo iudices iuris periti, multos processus videre non potentes, per alios minus peritos, expertos, processus videri facere consueuerunt: sibique factâ relatione, sub breuiloquio propositorum, & probatorum, iudicare, quatinus probatum est condemnando. Intellectus enim humanus, vt ait Philosophus, simplex est, & indiuisibilis, & vbi se conuertit, totaliter se conuertit: & idcirco tantùm vnum simile, videlicet eodem tempore, intelligit. Primò ergo considerare debet causam petendi, vtrum legitima est, id est, iuri consona; item & vtrum vera; & post modum, vtrum eâ positâ verâ, necessariò sequitur veritas conclusionis petitæ & illatæ. Sic ratiocinando & conferendo, non fallitur intellectus iudicando sic factâ relatione propositorum & probatorum, ac petitorum in conclusione. Fertur, quòd Sanctissimi *Romani Pontifices*, non visis aliàs processibus, iudicare cum summa ratione & arte Philosophica, per eum qui sic primò facere cepit acquisita, vel innata siue diuinitus gratis data, consueuerunt. Licet enim *Logica* tradat, & doceat artificialem modum omnes scientias addiscendi, intelligendi, sciendi, & docendi; tamen possibile est, (licet rarissimè contigerit) quòd aliquis ex sua naturali complexione, tam elegans habeat iudicium rationis naturalis, quòd huius iudicium artem & modum sciendi logicalem in aliis acquisitum, superat & transcendit, vel æquiparare facit: argumento eius quod fertur scripsisse *Galenus* loquens de *Hipocrate* sic: *non enim aliquis homo artem Medicinæ completæ scire potest nec potuit, nisi priùs Logicam nouerit, excepto excellentissimo intellectu solius Hippocratis.* Sic artificialiter iudicare deberent Reges, & alii maiores Principes ac iudices; non lites prolixas audire, per quarum prolixitates, variosque colores postulantium, per dulcorem albedinem & acuitatem vocum suarum, ac *trufarum* interpositionem, cum modo dicendi, ridendi, nutus & signa quæ scribi non possent faciendi, sermones suos, qui si scriberentur nihil essent, in effectum decorantium, taliter quòd transit eorum color, sicut aër per grauem ventorum turbinem agitatus. Idcirco contra tales longè melius est per scripturam permanentem, quàm per verba subitò transeuntia disputare: vt super certis certa responsio, non cadens & trãsiens statim verborum prolatio, præbeatur.

LVIII. Cum enim Terram Sanctam præcioso sanguine operibus & corporali contactu Domini nostri IESV CHRISTI sanctificatam & dedicatam, præ cæteris omnibus deceat esse pacificam, quoniam Regi pacifico, qui solùm pacem suis discipulis & fratribus fertur reliquisse, magis proximam magisque dilectam, summè videtur expediens, quòd cùm per ipsius Saluatoris gratiam & misericordiam cessabit in eadem terra summa guerrarum discordia, & etiam guerrâ durante, Catholicorum ipsam habitantium discordiæ, modo prædicto, seu alio minus honeroso & damnoso breuioriq; , tollantur, operante Rege pacis, à quo bona cuncta pro-

cta procedunt,& ad ipſum,tanquam finem vltimum & optimum ordinãtur. Cùm enim omnes diſcordiæ,& ipſarum duratio ſint malæ,& de duobus ſeu pluribus malis, quorum vnum vitari non poteſt, minus malum ſit potiùs eligendum, patet quòd exercitium litium planiùs & breuiùs, cum minoribus expenſis, laboribus & damnis filiorum,eſt à ſummo patre potius cogitandum, eligendum & tenendum. Idcirco hoc conſiderans Sanctiſſimus *Romanus Pontifex*, pater ſpiritualis omnium Catholicorum,nouis habitatoribus Sanctæ Terræ, leges proprias, conſuetudines, & ſtatuta non habentibus prædictum modum vel alium commodiorem ſuas lites decidendi,miſericorditer prout magis poterit ſedãdo diſcordias,quo ad vtrumq; forum,deſtinare dignetur. Ac ex præmiſſis,& per ea ſumptâ occaſione, velit ſtatum Reipublicæ Chriſticolarum ſpiritualiter & temporaliter,prout Pater luminum inſpirauerit,generaliter reformare, tali modo quòd reformationem ſuam ſit veriſimile fore perpetuò duraturam. Nam,ſi expediat laborare ad ſopiẽdum diſcordias, pacemq; firmandum vnius ciuitatis & dioceſis, magis etiam vnius Prouinciæ, magis vnius regni, magisq; decem, quantò magis expedit, laborare ad pacem temporalem & ſpiritualem perpetuam omnium Catholicorum? Hic finis tam magnus, tam glorioſus,non niſi per vicarium Regis pacifici poſſet in eſſe produci, tanquam à ſummo DEO procedens, illo mediante,cui ſoli plenitudinem ſuæ poteſtatis commiſit in terris: ad quod ſe referens inclitus Legiſlator ciuilis, ait: *occupatis nobis circa totius Reipublicæ curas & nihil parum eligentibus cogitare*. Ad præmiſſa verò omnia, præſertim ſtudia ſcolarium prouiſionis huius diſponenda, paratus eſt & erit *ſcriptor huius opuſculi*, dimiſſo magno quæſtu publici aduocationis officii cauſarum *Illuſtriſſimorum dominorum* Regum Francorum & Anglorum & aliarum Eccleſiaſticarum,terræq; ſuæ natalis habitatione, coadiuuet pro totis viribus fauente Domino laborante,vt tam optimi finis particeps efficiatur,cum Pſalmiſta canendo, *Particeps ego ſum*,&c. & cum Apoſtolo conueniendo, cùm ait: *operemur bonum ad omnes,quatinus in nobis eſt*: nec non cum latore Canonis cùm ait:*faciat homo etiam pro temporali hominis vita ſaluanda quod poteſt,ſine detrimento ſalutis æternæ*. Si verò pacis vniuerſalis fœdera modò præſcripta firmare placuerit, de conſenſu conſilii Prælatorum & Principum ſtatuatur quòd omnes Prælati cuiuſcunque ſtatus, nec non ſeculi milites in ſuis creationibus,firmiter iurabunt,quòd ipſi pro totis ſuis viribus pacis huiuſmodi fœdera cum pœnis eiuſdem firmiter ſeruabunt, & ſeruari modis omnibus quibus poterunt procurabunt.Ita quòd quicunq; iuramentum hoc præſtare contempſerit ſeu neglexerit, ob hoc, auctoritate Apoſtolicâ ſacriq; Concilii ſententiam ipſo facto maioris excõmunicationis incurrat ita, quòd quilibet impugnans in poſterũ huius pacis fœdera,per quoſcunq; milites ſpiritualis & temporalis militiæ pro totis eorum viribus, ita quòd reſiſtere non poſſit; fortiter impugnetur. Poſt quæ ſic finita, fortiter occurrit ſcribenti conuerſatio *Monialium ordinis S. Benedicti*, quæ prædictam ſtatus Eccleſiæ reformationẽ euadat. Idcirco conſideratis ſolitis periculis,& ſalutis animarũ diſpendiis,cum bonis quæ plus ſolito fieri poterũt,videtur expedire,quòd ſummus Pontifex in Concilio ſtatuat ad petitionem Principũ qui plerumq; Sanctimonialium Monaſteria fundarunt & dotarunt, quòd ſaluo victu cõpetenti in talibus monaſteriis profeſſarum virginũ,decreſcat earũ numerus: ita quòd non ſint in poſterum in quolibet monaſterio plures quàm tredecim,ſic conuentum facientes: & impendãtur dotes huiuſmodi monaſteriorum in vſu puellarum præſcripto modo inſtruendarum,quarum cum monialibus tantus ſit numerus, legere & cantare ſcientium,quòd diuinum ſeruitium nullatenus minuatur,niſi per abbreuiationem ad inſtar ordinis prædicatorũ. Dotes huius monaſterii per Magiſtros huius ſalubris prouiſionis cuſtodiantur,defendantur, ex eis victus competens,ſicut olim monialibus & earũ maioribus, ceſſantibus ineuitabilibus impenſis & ſuperuacuis, miniſtretur. Puellæ ſeculares, quæ Scholaſticis intẽdent diſciplinis ſecũdùm ordinationẽ magiſtrorum prouiſionis,matutinis *Horis canonicis & Miſſarum ſolemnitatibus*,quo ad hæc pcendo docilibus,interſint. Per hunc vltimum articulum prouiſionis, multa mala ceſſabunt quæ fieri conſueuerunt: præſertim moniales datis pecuniis ſeu redditibus per conuentionem recipiendo, per conuentiones illicitas Abbatiſſas & Prioriſſas eligendo, pluraq; delicta naturalia & aliquãdo nõ naturalia cõmittendo; fietq; ſeruitium diuinum ſicut olim in monaſteriis,& vltra per puellas à monaſte-

LIX.

Pſal.118,63.

Gal.6,10.

LX.

riis recedentes coadiuuent & pluſquam *trecenta millia librarum Tur.* applicabuntur prædicto ſubſidio ſalubriter annuatim: & ſi quid de ſumma tanta defecerit, ſuppleri poterit fructus & prouentus multarum pinguium Eccleſiarum, quarum patronæ ſunt, deductis vicariorum impenſis, eiſdem appropriando, poſt deceſſus tenentium in præſenti. Si quis verò, ſuadente Diabolo, prouiſionem hanc impugnare, tanquã malus nitatur, dicens ex illa mala plurima ſequerentur, ſic per impoſſibilem & abſurdam concluſionem non oſtenſiuam rationem demonſtrando: Reſponderi poteſt, concedendo quòd aliquod bonum plura mala ſequi videtur, nec propter hoc quin fiat debet omitti. Quoniam planum eſt, vt ſupra tactum fuit, ſecũdùm omniũ Philoſophorum ſuper hæc loquẽtium opiniones, quòd nullum perfectum bonum poteſt hic inferiùs reperiri in vrentibus à creatore conceſſâ liberi arbitrii poteſtate; & idcirco generale ſtatutum fieri non poteſt ex quo, licet iſi ſe bono, mala plurima
LXI. non ſequantur. Et idcirco artificialiter procedendo ac iudicando, quod iſtorum duorum ſit magis expediens & bonum maius, iudicare poſſumus. Sic ponamus quòd ſtent *domus Templariorum, Hoſpitalariorum, Sancti Lazari prioratus*, & quæcunque monaſteria puellarum, ſicut hactenus vidimus, ponderantes bona quæ ex iis ſequuntur, & mala quæ per abuſum concomittantur, ex vna parte; & ex altera, mala ſimiliter, & bona quæ ſequuntur ex prouiſione præſcripta, ſeu quæ ſequi veriſimile eſt: & faciamus collationem malorum ad mala; nec non bonorum ad bona: vt de duobus ſeu pluribus malis, quæcunque ſint, eligamus minora; & de pluribus bonis, plura & maiora. Sic quæſtionem hanc diſputando, & ad finem iudicii rationis veniendo, rectè, iuſtè, vereque ponderatis hinc inde bonis & malis, nonne iudicabimus partem meliorem quam pauciora mala, & plura bona ſequuntur? Non poteſt aliquis bonus, niſi declinet omne malum primò, & poſtmodum faciat bonum. Idcirco tangantur mala & bona, quæ veriſimile eſt hic inde ſequi; tradaturq; Prædicatoribus & Minoribus, qui præ cæteris viuẽtibus ſtatus ſingulorum cognouerunt, & eis committatur iudicandi & eligendi facultas. Per ipſos credo veriſimilius iudicium poſſe ſalubriter obtineri ſingulis vtriuſque partis rationibus exauditis, & omnibus aliis ſcriptis & ſuperadditis quas nouerunt. Sic haberi poſſe credo firmiſſimum iudicium rationis, prout humana fragilitas noſſe finit. Hunc procedendi modum tenendo, non videtur reperiri poſſe & induci quòd huius mutationis actoribus & approbatoribus valeat imputari. Certum eſt quòd diuinæ legis eligentes conſilia, & tenentes, ſunt in perfectiori ſtatu quàm eligentes, & tenentes ſola mandata: & quòd bonum ſufficiens eſt tenere competenter mandata; malum autem eſt, minus ſufficienter tenere conſilia: & ſic peccant, & à ſtatu magno cadũt, qui perfectè & ſufficienter eadem non tenent. Idcirco ſtatus perfectiſſimus eligi non debet, niſi veriſimiliter credatur poſſe ſufficienter teneri. Quocirca hominum noſtri temporis, præſertim fœminei ſexus communi fragilitate perſpectâ, via tutior eſt eligenda, ne abſentibus paſtore & eius virgâ, ponantur oues iuxta frm̃ ſi intrauerint à lupo deuorandæ; ſi abſtinuerint, laudandæ & remunerandæ, ſi non, deuorandæ: quis eſt homo prudens & expertus, filios habens, qui ſic ſub tali periculo, & pœna vellet eos tentare? Cùm, prout ait Philoſophus, *primi motus non ſunt in poteſtate noſtra*; vixq; poſſit aliquis obiecto præſente virtuti concupiſcibili reſiſtere quoquo modo: nec ad replendum cœleſtem patriam, tantùm veriſimile eſt prodeſſe reſiſtentiam aliquorum, quantùm nocet defectus reſiſtentiæ plurimorũ: quos laqueos voluntariè ſtatutos, & nũos per eos damnatorum, vtinam Sancti Patres, antequam eoſdem laqueos quod pro bono fecerunt tenderent, vltra Veteris & Noui Teſtamenti doctrinam peccata multiplicando, cognouiſſent infallibiliter, ſicut modò cognoſcunt. Idcirco quoniam humana natura prona eſt, & naturaliter labitur ac inclinatur ad delicta, vbicunque fieri poteſt & poterit, tolli debent occaſiones peccandi, & oues CHRISTI per peccata tollendi. Idcirco videretur expedire *Mendicantibus ordinibus*, licet non petunt, vt ſine multis quæ facient vrgente neceſſitate, contemplationi vacare poſſent, vt de cætero *queſtus* non facerent, de moderatis victualibus prouideri ſuper bonis Reipublicæ tam clericorum quàm etiam laicorum: ſicut prouideri præcepit Dominus *tribui Leui*, abſque hoc quod ſortem haberet, licet magis aliis metereturꝰ in hæreditate parentum. Si ex prouiſione Eccleſiæ haberent panem & vinum, cum veſtibus & calceamentis ſufficientibus, caſualia

ſufficerent

sufficerent quò ad cætera, vt videtur, consideratis eminentibus sapientiâ, prudentiâ & experientiâ aliquorum de ordinibus mendicantibus. Hæc tetigisse sufficiat, præstando solum occasionem ad hoc, & propter hoc efficaciter cogitandi. Vtinam prudentiores eorum, mala & bona quæ ex eorum paupertate sequuntur, ponderantes, tutiorem partem eligendo, ipsam in Concilio iuxta suas conscientias explicarent, vt super futuris incertis iudicans *sacrum Concilium*, quod foret salubrius ordinaret.

Sedatio verò guerræ iam pridè motæ inter hæredes *regni Castellæ* motæ si in Cõcilio omitteretur, Terræ Sanctæ recuperationem, & conseruationem posset valdè grauiter impedire: super quo, causam iniustam notoriè fertur habere qui regnũ detinet: quoniã matrimonium fuit contractum inter filium primogenitum Regis, qui in discordia fuit in Imperatorem electus, & filiam *Sancti Ludouici* Francorum Regis, concordatum fuit & actũ per ipsum Regem, regni sui Prælatos, & Barones, quòd si idem filius decederet ante patrem, liberi sui succederent in regno: contra quam cõuentionem, nec non contra ius commune, legem naturalem & diuinam, idem pater filio mortuo relictis duobus filiis, alius eorum, in ipsorum, suæ conuentionis & fidei præiudicium, alium filium superstitem coronauit in Regem: qui sic in regno ius non habet, ipsumque detinet in præiudicium salutis æternæ tam ipsius quam sibi adhærentium, in præiudicium veri hæredis: quod tam graue peccatum, per ipsius rei euidentiam notorium, omnibus fouentibus, partem detentoris taliter notum exeat quòd non possent ignorantiam prætendere quo quo modo. Quocirca Pater eorum spiritualis, qui præmissa non ignorat, remedium apponere tenetur, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur: quod fieri sine scandalo de facili posset, vt videtur, arguendo detentorem super mortali peccato detentionis & super tolerantia *Saracenorum regnum Guernadiæ* tenentium ab eo sub tributo, frequenter Christianos interficientium. Cui sic grauiter accusato & cõminato posset dominus Papa dicere, *fauore Terræ Sanctæ volumus modis omnibus inter vos pacificare*: quod de facili sic videtur fieri posse. Quòd nepos primogenitus *regnum Guernadiæ* habeat, & frater eius *regnum Portugaliæ*, vel aliud de multis à detentore occupatis, *regno Castellæ* detentori remanente: taliter quòd ipse detentor cum omni sua potestate equitum & peditum cum suis impensis, iuuet Regem Guernadiæ ad expellendum Saracenos, & resistendum expulsis quoties opus erit: ità quòd ad hæc teneatur sub periculo amissionis regni Castellæ. Expediret quòd ad faciendum subsidium nouo Guernadiæ Regi, inducerentur proximi terræ illius; videlicet *Reges Arragoniæ, Nauarræ, Maioricarum*, & alii in Hispania vbique existentes: vt Saraceni ex pluribus partibus obsessi & oppressi, citò possent expelli. Tunc enim Rege Guernadiæ prò sua terra defendenda remanente, alii Reges & Principes Hispaniæ possent, & vt alii tenerentur, in Terram Sanctam transferatæ, & magnum subsidium facere: ità quòd *Lingadoc* faceret vnum magnum exercitum, & regnum Sardiniæ, transcundo per ipsum, liberaret *Friderico de Aragonia*, vt ipse regnum Siciliæ dimitteret vero Regi. LXII.

Aduertendum videtur expedire quòd constituantur *quatuor exercitus*: quorum tres, *per mare* transeant; & quartus, maior cæteris per *terram siccam* ad instar *Karoli Magni*, & primi *Friderici* Imperatoris, & *Godefridi de Bullion*: vt inimici fidei in pluribus locis obsessi & oppressi, & sic diuisi, citius possint expelli. Erit verisimile quòd ipsi, cognoscentes præmissa pacis fœdera, in eorum præiudicium firmata, tot populos contra ipsos ire, & ituros esse, libenter dimittent sine bellis totam Terram Promissionis: quod si fecerint, non destructis fortalitiis & habitationibus aliis, reliquiis, & sacris vasis Ecclesiarum dimissis, videtur super violenta morte eis parcendum, sub interminatione, si contra venerint quoquo modo, quòd radicitus exstirpabuntur, loco sibi non relicto in terra. Et tunc videtur optimè facturos Principes si redirent, dimisso in Terra Sancta exercitu sufficienti prò eius tuitione, per Græciam, prò domino *Karolo* contra *Peryalogum* iniustum detentorem, nisi cedere vellet, cum cõsilio Ecclesiæ Romanæ fortiter pugnaturi: ex pacto, quod ipse dominus Karolus, habita victoria & possessione Imperii, ad defensionem Terræ Sanctæ tanquam ei cæteris proximior, quoties opus fuerit subsidiũ faciet opportunũ, remotiores Principes præter Alemaniæ Reges, super huiusmodi labore fortiter releuãdo: vt sic in pocis fieri omnia bella Christicolarũ, ad Terræ S. subsidiũ efficaciter ordinẽtur. Quibus

LXIII.

præmissis sic per DEI gratiam ordinatis, Catholici concordes possidebunt totam ripam maris Mediterranei, ab eius Occidente vsq; ad Orientem, versus Septentrionem, & meliorem partem tangentem Terram Promissionis versus Meridiem: ita quòd benè viuere etiam corporaliter non poterunt *Arabes* nisi communicent Catholicis commercia rerum suarum; & idem in Orientalibus populis, & de ipsis.

LXIV. Tanto ergo fine perspecto per Christicolarum legislatorẽ, Domini IESV CHRISTI vicarium in terris, beati Petri principis Apostolorum successorem, agente DEO & Domino exercituum, feliciter consummando, misericorditer placeat expertissimæ Regiæ Maiestati post suas guerras feliciter peractas hæc fieri postulare; & cum his supplementis, prout monstrabit Vitæ fons, à quo bona cuncta procedunt, perfici procurare: quod vt inchoetur ordinatè, videtur expediès supplicare domino Papæ, quòd ipse citra montes, super his vocatis Prælatis & Principibus Catholicis sibi obedientibus, præsertim Regibus, & aliis qui nõ recognoscunt superiores in terris, *Concilium* faciat generale, *Peryalogum* detentorem Imperii Constantinopolis, nec non detentorem *regni Castellæ*, & eius nepotes de illo contendentes, *Regem Alemanniæ* cum eius Electoribus nullatenus obmittendo, vt super recuperatione, & reformatione & conseruatione Terræ Sanctæ, nec non status vniuersalis totius Reipublicæ Christicolarum, cum eisdem, & per ipsos consilium & auxilium & remedium salubriter habeatur: ipsique domino Papæ, per sapientes, & in agilibus humanis expertos vt ad omnia respondere possint, & malorum angelorum persuasionibus obuiare, præsens opusculum correctum per prudentiores cum prouidentia ducis bellorum expertissimi, domino Papæ mittatur; & procuretur quòd non nisi iuratis secretariis domini Papæ consiliariis ostendatur. Quoniam certum est, quòd hoc tam pium opus, instigante Sathanâ cum suo nefario exercitu, plurimos habebit æmulos eidem nequiter aduersantes. Hanc maiorem confusionem, quam post * *incarnati Verbi* Passionis & Resurrectionis mysterium passus est, hactenus Sathanas tanquam eius fautores damnabiliter impugnantes: ad quas persuasiones toraliter deuincendas, non credo sufficere posse naturam humanam cuiuscunque viuentis, nisi ab æterno Patre luminum infinitæ potentiæ duratione vigoreque diuinitus roboratam. Quod cùm ex quo secundùm rerum naturam est possibile, prosperè succedet, si in appetitu finis & operis executione conueniant, per DEI gratiam, summus salutis Reipublicæ *Curatus* in terris, ac prudentissimus Princeps artis, vsus, & experientiæ militaris: pro quorum duorum in tam pio proposito subsidii Terræ Sanctæ, inter tot & tantas occupationes persistentium, statu longæuo non solùm spiritualis, sed etiam temporalis vitæ feliciter augmentando, suoque desiderio feliciter peragendo, Vitæ supremum Actorem, per cuius influentiam & conseruationem omnia viuunt, in suis naturis perdurant, per eius assimilationem participant quicquid habent bonitatis, continuè per omnes & singulos ad hunc finem gloriosum tendentes, expedit cum deuotis mentibus vnanimiter exorare.

LXV. Post hæc autem sic finita, vehementer occurrit homines fore malè contentos & communiter murmurantes super hoc, quòd eis non apparet, nec apparere solet, legata Terræ Sanctæ relicta & alia ob eius videlicet Terræ Sanctæ subsidium, sub nominibus Templariorum, Hospitalariorum & aliàs diuersimodè collata, subsidio prædicto prodesse patenter: & idcirco largitiones huiusmodi, damnabiliter fore plurimùm cessando munitas. Idcirco, vt cessent hæc, videtur expediens quòd in Ecclesia Cathedrali cuiuslibet Dyocesis, videlicet in eius *Thesauraria*, sit archiuum publicum, in quo pecuniæ modo quolibet ad huius subsidium pertinentes custodiantur: & cùm opus fuerit ob huiusmodi subsidium, cum consilio Dyocesani loci, & magistrorum prouisionis prædictæ, tradantur pugnatoribus eiusdem Terræ in terram ipsam transituris, videlicet de illa dioceſi, natis, vel aliis: transfretaturis, scientibus & consulentibus cum dioceſi, maioribus eiusdem dioceſis, prouinciæ, seu regni: propter quæ, si fiant, multò plures fient donationes, etiam longè maiores subsidio memorato; debitaque sibi manifestabuntur, quæ tacendo consueuerunt perire; mittendique pugnatores, cùm opus fuerit, ob hoc longè facilius reperientur vbique. Propter quòd commodius faciendum, expedit in Concilio statui, quòd Dioceſis locorum, aliique Prælati, prædicatores & Minores, exhortentur & inducant omnes personas cuiuscunque conditionis, ad procurandum personas habiles vtriusque

uſque ſexus, Terræ ſanctæ vtiles, benè paratas cum expenſis procurantium, & alias cum expenſis legatorum & aliorum conqueſtuum, vſque ad mare vndecunque mittendas, & vltra cum impenſis prædictæ prouiſionis tranſituras: mittendas videlicet ſingulos centum viros, ſimilibus *robis* indutos, cum *banerijs*, & inſtrumentorum ſonis, vt lætantes fortiùs vadant, & alii multi moueantur ad ſequendum eoſdem, conueniantque ſimul omnes de quàcunque ciuitate & dioceſi in vno loco, die vnâ; alio loco, dieque poſtmodum omnes de vna prouincia. Ducentes vxores, faciant vnam cohortem; & non ducentes, aliam: quælibet cohors habeat vnum *ſuperiorem Iuſtitiarium*, cui omnes in omnibus obediant. Si verò tranſire volentes, liberos paruulos habeant dociles, dimittant ipſos iuxta prouiſionem prædictam ad eius impenſas inſtruendos; vt cùm inſtructi, & nutriti fuerint, ſequantur parentes. Sic veriſimile eſt, quòd ſingulæ prouinciæ, ciuitates, & loca ſibi deputanda in Terra Sancta publicanda nitentur, totque mittent incolas, quòd erunt citò publicatæ; nec non quòd ſufficient ad publicationem, & tuitionem: mittenturque ſinguli ſic periti, quòd vt pedites pugnare ſtatim poterunt competenter. LXVI. In aſſignatione verò ciuitatum & locorum, videtur hoc nullatenus omittendum propter bonum commune; videlicet quòd ex nunc ſtatuatur in conſilio quòd hominibus magis agibilibus, & ſolitis in ſuis terris natalibus pugnare, prout ſunt *Hiſpani*, & multi alii, aſſignentur ciuitates & caſtra in finibus dictæ Terræ ſita, vt *paletando* contra hoſtes, quoties neceſſe fuerit, fines ipſos, ciuitates & caſtra defendant, ſuccurſum aliorum cùm opus fuerit petituri: vt ſic Terra Sancta muris bonis pugnatorum circumdata, finibus ſuis vigoroſè defenſis, interiori parte proſperatâ, ſanctè religioſéque fauente Domino, valeat gubernari, quatinus ad vtrumque, ſpiritualem videlicet & temporalem gladium pertinebit: ſic Sancta loca venerando, diuina in eiſdem officia continuè taliter exercendo, quòd meritò placari valeat ira noſtri Redemptoris, qui pro humani ſalute generis, per ſuam ineffabilem miſericordiam mortem ibi ſubire voluit temporalem. LXVII. Quod autem reformatio ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ Chriſticolarum, quo ad virtutes, ſit neceſſaria ad hæc quòd ceſſent prælia, & quòd Terra Sancta à Chriſticolis, cum ſua quam Scripturæ teſtantur dulcedine habitetur & habitanda recuperetur, liquet & probari poteſt Sacrarum Scripturarum exemplis, & inconuincibilibus rationibus. Nam ſi peccatum vnius hominis, cauſa eſt infirmitatis, & demum per iterationem mortis committentis; quod probatur per verbum Domini, cùm ait ad languidum, quem ſanauerat: *Vade & noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat*: & per Decretalem inde ſumptam: eadem ratione peccatum ciuitatis, ſeu maiorum eius, cauſa eſt diſſenſionis, & bellorum, ac mortis: eadem ratione in peccatis regionis, Regnorum, & Imperiorum. Nam quæ eſt ratio partis ad partem; eadem eſt totius ad totum: & è contra: & vbi eadem ratio, idem ius; vbi eadem cauſa, idem effectus, prout iura clamãt & ratio Philoſophica arguit; & cùm Apoſtolus dicat, *omnia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, Quare videntes *Scripturam*, cuius modus ſciendi fides eſt, in libris Machabeorum continentem in ſeptuaginta annis tot mala, tot mortes, tot dolores, etiam bonis propter peccata malorum eueniſſe, quomodo *ſummus ſacerdotum*, Princeps Eccleſiæ totius, Petri locum tenens, Domini IESV CHRISTI Vicarius in terris, omnium Chriſticolarum curam & ſalutem ardenter ſitiens, æſtimabit per peccatores recuperari & habitari poſſe Terram Sanctam, cùm ſit ſcriptum per Prophetam, *loca non ſanctificant homines, ſed homines ſanctificant loca?* Nonne videns quòd Scripturæ Sanctæ, bella deteſtantes, & prædicatores hæc publicè clamantes, non ſufficiunt nec ſuffecerunt, temporibus retroactis, & licet ſuffecerint in aliquibus locis, & temporibus; tamen in pauciſſimis reſpectu mundi totius ei ſubiecti? Nonne innumerabilia tranſacti temporis ab origine mundi exempla, & experimenta oſtendunt, & probant defectum prouiſionis & ordinationis in ſummo capite tot membrorum, quod abſit, niſi ipſe occaſione tam coloratè ſibi datâ, per modum præſcriptum imperfectè tactum, per ipſum perficiendum, aut alium meliorem eidem diuinitus infundendum, quærat & ſtatuat, prout firmiùs poterit, reformationem & pacem perfectam perpetuam ac ſtabilem ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ totiusque Reipublicæ Chriſticolarum ſibi tanquam ſummo patri ſubiectorum? LXVIII. Quòd autem hic ſummus ſacerdos, *curatus* omnium, teneatur, inter omnes filios pacis perfe-

Ioh. 5. 14.

Rom. 15. 4.

ctæ vincula quæcunque poterit ſtabilire, colligere & multiplicare, vt pax ſequatur generalis, & perpetua, poteſt inconuincibiliter non ſolùm probari Theologicè, ſed etiam Philoſophicè loquendo demonſtrari. Quia verum eſt quod Philoſophi, ſolâ lege naturali vtentes, legem Moſaycam ſpiritualiter filiis Iſrael datam, eis dimittentes, ratiocinando neceſſariò, finem ponentes in cauſis & cauſatis mouẽtibus & motis, irrefragabiliter concluſerunt vnum fore primum principium mouens omnia, à nullo motum omnium tamen, non cauſatum, ſolùm per ſe & de ſe ens, & bonum: per bonitatis cuius participationem, & non aliàs, omnia cauſata recipiunt & participant bonitatem: in quo eſt veritas, & bonitas omnium rerum per eſſentiam, & idem de omnibus virtutibus in abſtractione deſignatis: quod principium & cauſam primam, DEVM appellamus: de quo loquens *Philoſophus* circa principium libri *Metheororum*, ait, cauſam reddens ſitus elementorum: quòd *ita ea diſpoſuit DEVS glorioſus & ſublimis*: & in libro *Cæli & Mundi*, ait: *Vltra cælum primum nihil eſt, niſi locus DEI & ſpirituum, & virtus & gloria in ſecula ſeculorum*: & *Iacobus* Apoſtolus vt credo, de ipſo loquens ait: *apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio.* Si ergo ipſe eſt Rex & actor pacis ac pater, & Diabolus pater & actor diſſenſionis, ſeditionis, & mendacii, neceſſariò ſequitur, quòd omnes pacifici, & quacunque virtute tam naturali & morali acquiſitâ vel infuſâ virtuoſi, per participationem virtutis ipſius DEI virtuoſi dicuntur; & magis finem & minus, ſecundùm quod plus vel minus aſſimilantur eidem, & eius participant naturam, quæ eſt vna ſimpliciſſima, tamen omnia complectens & continens, quoniam non ſolùm perfecta, imò perfectiſſima: & ſi perfectum eſt cui nihil deeſt, de ratione nominis; ſic ergo multò fortiori ratione, perfectiſſimum quod eſt vnicum: quia quod per ſuperabundantiam dicitur, vni ſoli conuenit, (*in quinto me.*) omnem ſine defectu continet perfectionem. Sic ergo, vt ſenſerunt Philoſophi, omnes virtutes ſunt in DEO per eſſentiam; & idem ſunt cum ipſo, & ab ipſo procedunt; ab aliis participantur, per aſſimilationem. Sed, vt ait *Philoſophus: Virtus eſt habitus de difficili mobilis*: & *Sacra Scriptura* teſtatur, cùm omnes virtutes tendant ad brauium, ſola perſeuerantia coronatur; parumque prodeſt cadenti, bona feciſſe: quoniam qui offendit in vno factus eſt omnium reus. Sic ergo pater omnium animarum, *ſummus Apoſtolicus*, legens ab origine mundi vſque nunc, homines valdè de facili fuiſſe continuè motos ad ſeditiones & bella, facere volens omnes Catholicos pacificos, & per hoc DEI filios, à ſubiectione dæmonum remotos, conſiderans Scripturas, prædicationes, & pœnas ſolitas ad hoc non ſufficere, quærere tenetur ex officii ſibi cõmiſſi neceſſitate, cauſas generales ſtabiles & firmas pacis vbique terrarum, veriſimiliter perpetuò duraturas, permanſuras, & timendas cum pœnis fractionis vtilibus, parum nociuis, recuperationi & conſeruationi Terræ Sanctæ proficuis, cum perpetua timoris memoria.

Matth. 24. 13.

LXIX. Si prædicti exilii perpetui, & amiſſionis omnium bonorum pœna, non ſolùm bellicorum virorum, ſed etiam parẽtum liberorum & vxorum ſuarum, præ omnibus aliis timeatur, & proſit intentioni & deſiderio ſubſidii Terræ Sanctæ, ergo hoc vinculum pacis, tanquam melius, præ omnibus eſt aliis eligendum: ſi verò aliud vinculum melius inueniatur, potiùs eligatur: iuxta id quòd ait *Priſcianus*: *nihil in humanis inuentionibus fore rear omni parte perfectum.* Quòd ſic fieri debeat & expediat expreſſè docuit ſummus *Philoſophus* in ſua *Politica*, cùm ait: *propter homines, quibus non ſufficiebat cognitio & perſuaſio boni & æqui, ad hoc quod operarentur quod bonum erat & æquum ad proximos & coniunctos, fuit neceſſariò inuenta in ciuitatibus, vis coactiua iudicum.* Concordat ad hæc quod ait idem *Philoſophus* in *Ethica*: *ſi enim omnes eſſemus iuſti*, (gloſa, videlicet *iuſtitia interiori*, quæ eſt habitus & perfectio animæ rationalis) *non indigeremus iuſtitia*: videlicet *exteriori*, compulſiua per manum militarem. Quoniam ergo non ſuffecerunt hactenus Scripturæ quæcunque, & prædicationes ex ſcripturis collectæ, nec non etiam elegantes, prædicantium luctus & clamores, ad hoc vt frequentia Catholicorum bella, nec non mortes temporales & ſpuales tot & tantorum hominum exinde ſecutæ, ceſſarent, quare non inueniatur in vltimum ſubſidium nouum remedium manus militaris, tanquam iuſtitia neceſſariò compulſiua, ſuppoſitis exemplis quæ vidimus, & quæ Scripturæ ab origine mundi teſtantur? Hæc eſt demonſtratio cui reſpondere eſt impoſſibile, moraliter & politicè loquendo: cùm *ſermones ſint ſecundùm materiam inquirendi*, ſicut ait *Philoſophus*,

plus, & vt in *Lege Ciuili* recitatur: & idcirco ait *Philosophus: peccat qui à Rethore petit demonstrationem; & qui à Geometra argumentum à signo*: & intelligit de demonstratione, quæ per causas necessariò concludentes & inferentes conclusionem, procedit: sed politicè loquendo, per præsumptiones verisimiles, coniecturamus de præterito & præsenti in futurum: iuxta id quod ait *Philosophus: tunc pulcherrimè diffinitur vnumquodque, cum diffinitio data de re, concordat apparentibus ad sensum de eadem*; & in *Lege Ciuili*; *in incertis locus est coniecturis*; videlicet non quibuscunque, sed verisimilibus, & probabilibus. Euenire iuxta solitum hactenus cursum naturæ videmus, quòd malitia hominum, & inclinatio ad malum, cupiditatem, & auaritiam, semper crescit; non autem sanctitas, orationes, affectiones, & scientiæ prædicantium bella detestantium. Idcirco si sanctitas, doctrina, & orationes sanctorum Patrum, bella Catholicorum & eorum pericula cessare non fecerunt, quomodo præsumet Apostolicus, quòd orationes & doctrinæ modernorum ac futurorum Ecclesiæ ministrorum, bella, cupiditates, & auaritias ex quibus procedunt, cessare faciant in futurum? Si ergo alia pœna verisimiliter magis timenda & proficua non inueniatur, hæc fortificetur & perficiatur, secundùm quod Rex pacis, prudentibus & expertis per suam gratiam, & misericordiam ministrabit, assiduarum orationum vniuersalis Ecclesiæ deuoto ministerio suffragante: super quorum deliberatione, perfectione, emendatione, & mutatione, præ cæteris locis videtur expediens, apud *Tholosam*, Prælatorum & Principum *generale Concilium* salubriter conuocari. Præmissis autem his scriptis, & sic transmissis domino Regi Angliæ, cum literis clausis ipsum exhortantibus, tactis breuiter vtilitatibus spualibus rei missæ; ad faciendum inspici transmissa citò, secretò, per sapientes, sibi Deoque fideles Prædicatores aut Minores, vt detractis si quæ viderentur detrahenda, & superadditis expedientibus, secundùm experientiam & prudentiam Regiæ Maiestatis, ac sapientiam consultorum, quibus examinationem, correctionem, & emendationem fauente Domino, salubriter duxerit committendum; per fideles prudentes & expertos secretarios nuncios, Domino Papæ, cessante dispendiosâ mora, negotium & consilium salubre transmittat propter Concilium taliter conuocandum; quòd de præmissis possit sufficiens tractatus haberi. Occurrit scribenti naturale desiderium, prout dedit Dominus, vtendo solertiâ, quæ est secundùm *Philosophum* subtilitas inueniendi medium, id est causas rerum quas videmus in non perspecto tempore videlicet expressè tangendo commoditates temporales quæ ex præmissis sequi deberent, & peruenire ad eorum principales actores, videlicet dominos *Papam* & *Regem Francorum*, eius fratres & liberos, *Reges Siciliæ & Alemanniæ*, *Ferrandum de Hispania*, & eius fratrem. Verisimile plurimum est, quòd dominus Papa, guerris sedatis secundùm modos præscriptos, & regimine suorum temporalium, possessione, & districtione, pro certa annua pensione, perpetuò domino Regi Francorum commissis, per fratres suos & filios, prout expedire viderit gubernandis, poterit cessantibus Romanorum & Lombardorum insidiis venenosis, in sua terra natali Regni Francorum, soli regimini animarum vacando diu & sanè viuere; Romani aëris sibi non natalem intemperiem euitando, quo omnibus eiusdem domini Papæ amicis, proximis, & coniunctis, præsertim toti regno Francorum, esset in perpetuum, plusquam nunc credi posset, salutare: quoniam *Vltramontani* beneficiorum pinguium Citramontanarum Ecclesiarum diuitias, prout soliti sunt facere, pro suis & suorum turribus eleuandis, fraudatis Ecclesiis diuinis officiis non percarent, & pinguia beneficia non haberent: summa etiam prælatio, manus non effugeret Gallicorum, prout iampridem fieri solitum est, per astutias & naturales versutias Romanorum, qui calcare sub pedibus nitentes per superbiam suam, humilitatem Gallicorum, *tentare præsumpserunt*, quod aliàs fuerat inauditum, *super regnum Francorum & eius supremum Principem, temporale dominium vendicare*, summæ pacis & concordiæ Regnum ad seditionem perpetuam damnabiliter incitando: cuius tempestatis præsumptuosum initium, Rege pacis summam inter suos vicarios largiente concordiam, salubriter conquieuit. Et quoniam *Papa Romanus* abusus est potestate, & hoc fecit in quantum Romanus, expedit & dignum est, iuxta rationem *statuti Sanctorum Patrum*, quòd Romani, saluo, & in omnibus augmentando Papatus honore, longissimo tempore permittant, inuiti, tantum honorem per tales exerceri qui summum

LXX.

honorem Christianissimi Principis rapere non nitantur; qui non transcendant terminos, quos posuerunt Sancti Patres; qui quemliber Cæsarem, in loco suo regnare, regere, suisque bonis gaudere permittant: prout fieri debere præcepit *Saluator noster*, sicut *Euangelica veritas* hoc testatur, cùm propter vitandum scandalum, pro se & *Petro* vectigal indebitum solui præcepit, dicens, & Petro ac successoribus eius reliquens exemplum; *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & quæ sunt DEI, DEO:* & cum lauisset pedes Discipulorum, ait: *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci vobis, sic & vos faciatis.* Ex quibus & per quæ verisimiliter opponatur *scriptor præsentium*, qui hæc præuidit, vt tetigit in rationibus inconuincibilibus quas scripsit *Parisius*, die Sabbathi præcedente Dominicam publicationis iniquitatis Papalis: quas eadem die tradidit amico suo domino nunc *Episcopo Biterensi*: videlicet quòd summus Iudex, cuius occulta sunt iudicia, voluit talem ad summum Pontificatus apicem, per discordias Romanorum vocari, per quem à personis cupidis, eorum exigentibus peccatis, elongetur diutiùs hæc potestas: & maneat apud illos qui alienas non nitentur rapere libertates: vt percipiant quod propter abusus pecu, Potestas, Petro principi Apostolorum in terris commissa, ab eisdem ob hoc taliter elongatur. Quoniam Rex *Saul*, de mandato Domini vocatus, & vnctus in Regem Domino, & eius præcepto non obediuit, vtens sensu proprio, non Domini nec Scripturarum, spirituale Domini mandatum super amissione regni recepit: *cuiusmodi mandata hodie facit Dominus solùm per Sacras Scripturas*, & earum expositiones: in quibus & per quas quærere debemus causas verisimiles, & probabiles omnium effectuum quos videmus: iuxta illud Apostoli, *Omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Quare in tot Scripturis secretarum legimus, propter diuersa peccata, mala diuersa tot & tanta contigisse, nisi vt talium exemplo timeamus peccata committere, ne talia maioraque mala sequantur? Si enim vt ait *Philosophus: Omnes essemus iusti*, iustitiâ videlicet interiori, *non indigeremus iustitiâ*, videlicet exteriori. Propter illos, quos DEI timor & amor à malo non reuocat, & quos non facit malum declinare, requiritur aliquando virga ferrea, quam mittit DEVS iuxta illud: *Reges eos in virga ferrea.* Et qui causas huiusmodi virgarum non aduertunt, vt imitatores duritiæ *Pharaonis*, ob hoc temporaliter, & demum si non resipuerunt, æternaliter punientur. Ideirco omnium effectuum quos contingere videmus, causas probabiles expedit perquirere: iuxta dictum commune *Hugonis*, quo cauetur, *fœlix, qui rerum potuit cognoscere causas*: & Philosophus, *propter admirari, primò ceperunt summi Sacerdotes in Ægypto philosophari*; videlicet quærendo causas probabiles, & verisimiles effectuum quos videbant. Contra doctrinam Scripturarū diuinarum peccant, qui malorum euentus imputant soli fortunæ, non peccatis. Nonne dicit Dominus, *propter peccata populi, regnare facit hypocritam?* & Canon: Augustinus, *Propter peccata populi, datur aliquando malus Princeps, & malus Prælatus:* quoniam populus non est dignus habere bonum Principem nec bonum Prælatum. Eadem ratione timere debent Principes & Prælati, ne propter sua peccata populus fiat malus, & insurgat in eosdē. *Quilibet debet seipsum accusare, non iustificare.* Si dominus Papa in Regno Francorum diu remanserit, verisimile est quòd de ipso Regno tot creabit Cardinales, quòd Papatus apud eos remanens, manus rapinosas tātum effugiet Romanorum: quod ipsis huius rei causa verisimiliter apparebit, vt in posterum perpetuò studeat alienarum

LXXI. libertatum rapinas vitare, ne quid deterius contingat eisdem. Quòd *Rex Siciliæ* per prescriptas prouisiones valdè magna commoda consequatur, liquet manifestè: quoniā *regnum Ierusalem* longè & in immensum plus valebit ei, quæ omnia quæ possidet: quoniā omnes terræ sub annuo censu nouo poterunt committi; & defendetur Regnū cum bonis Templariorū, Hospitalariorum, & aliorum prescriptorum recuperabit, & regnū Siciliæ, regno Sardiniæ *Friderico*, vt præfertur, assignato, & liberato. *Rex* etiā *Alemanniæ*, temporalis & transitorius, pro se & heredibus suis perpetuò regnum habebit cū Imperiali honore. Dominus etiam *Karolus*, sic perpetuò ledatis guerris Christicolarum domino Papæ obedientium, de facili per DEI gratiam, *Constantinopolis Imperium* poterit occupare & ad hæc pugnatores sufficientes habere, quod non est verisimile ipsum alias habitutum. Quæ omnia sic prosperè fieri, plusquā scribi posset interest, & intererit *domini nostri summi, Regis Francorum*, liberorum suorum, fratrū, & totius suæ posteritatis. Nam per modum prescriptum, si id opus

bene

Matth. 17. 24.

Matth. 22. 21. Ioh. 13. 15.

Rom. 15. 4.

Psal. 2. 9.

Iob 34. 30.

benè applicetur, ipſe poterit omnes Reges, & Principes Eccleſiæ Romanæ obedientes, ſibi confœderare: prædictoque fratri ſuo, qui propter tantum conqueſtum Imperii Græcorum ſine confuſione regni Francorum guerram mouere, & perſequi vſque ad mortem nõ poſſet omittere. ***** Tunc ſi dominus Papa ſub annua perpetua pẽſione traderet domino Regi totum patrimonium Eccleſiæ cũ obedientia temporali omnium vaſallorũ eiuſdem, de quibus ſunt multi Reges, acto & concordato quòd dominus Rex *Senatorem Romanum* conſtitueret vnũ de fratribus ſuis aut filiis, qui in abſentia Regis ipſius eſſet ſupremus pattimonii *Iuſticiarius*, à cuius ſententiis poſſet domino Papæ ſupplicari, quòd viſis proceſſibus earum de quibus ſe poſſet intromittere, infirmaret, confirmaret, aut alias emendaret caſdem. Tunc ſi *Lombardi, Ianuenſes, & Venetenſes* obedire non vellent Regi, tributa & redeuantias olim ab eis Imperatoribus debitas ſoluere, interdiceretur eis ſtatim tota communio omnium Catholicorum domino Papæ obedientium, nouum modum, & ſtaturum pacis prædictum, obſeruantium; & etiã commercia omniũ rerum interdicerentur eiſdẽ. Dominus Rex liberè intraret Lombardiã per *Sauoiam*: Senator & Imperator, ac Rex Siciliæ, ex aliis partibus venirent, deuicti in exilium perpetuum mitterẽtur. Sic non poſſet durare, ſed neceſſariò caderet eorum antiquata ſuperbia, nec nõ Romanorum, Tuſcanorum, Campanorum, Apulorum, Calabrinorum, Siculorum, & omnium regnorum ac prouinciarum Papæ obedientium, per nouum prædictũ pacis inuiolabile ſtatutũ ligatorum. Item per hunc modum obedirent, domino Regi, *Angliæ, Arragoniæ, & Maioricarum Reges*, quatinus in temporalibus Papæ tenẽtur obedire: fieriq; poſſet conuentio cũ creando *Rege Guernadiæ* qui ipſẽ domino Regi obediret: fortè poſſet in *Concilio* procurari, quòd iniuſtus *detẽtor regni Caſtellæ*, mortaliter peccans contra filium fratris ſui primogeniti renendo regnũ, contra ius commune, nec non contra conuentiones initas inter Sanctum Regem Ludouicũ, & patrem ipſius violenti detentoris, Prælatos & Barones regni Caſtellæ, cùm tractatum fuit & concordatum matrimoniũ inter filium primogenitum Regis Caſtellæ & dominã *Albam* prædicti Sancti filiam, ſuper dimittenda regni ſucceſſione nepotibus ex filio primogenito, ſi patrem eorũ, prout accidit, decedere contingeret ante auum, ſaluâ ſibi coronâ regni Caſtellæ cum emolumentis, compromitteret in dominum Papã, vt ipſe de cæteris ordinaret. Tunc ipſe *Guernadiæ regnum* nepoti eius qui conuentionem fregit, & aliud regnum alteri aſſignaret, regno Caſtellæ violento poſſeſſori dimiſſo, taliter quòd ipſi propter habendũ contra Saracenos ſubſidium Regni Francorum, eius Regi obedirẽt, vt ſic toleraret Caſtellæ Regem poſſidere. Nec eſſet mirum ſi *Rex Francorum* terræ quam eius anteceſſor *Karolus Magnus* acquiſiuit Saracenis expulſis, & quæ *matri Sancti Ludouici*, per ſucceſſionem obuenit, *homagium & obediẽtiam* haberet, vtili dominio Hiſpanis ſaluo: ſuper quo dominus Papa, quoad obediẽtiam regni Caſtellæ, demum ordinaret, cæteris prouiſionibus firmatis, dominis *Ferrando*, & eius fratre ſua regna liberè poſſidentibus, domino Rege cæterorum cõqueſtuum prædictorum, poſſeſſione gaudente. Expediret & ex nunc, quòd dominus Rex & eius frater in Concilio firmarent, & quærerent ſibi confœderationes cum omnibus Principibus ibi conuenientibus, prout magis poſſent, propter habẽdum ab omnibus auxiliũ ſuper acquiſitione *Imperii Græcorum*, poſt viam Terræ Sæ. facienda: quod primus faceret ſeu facere deberet libentiſſimè Rex Siciliæ cum ſuis omnibus, videlicet eis qui ipſum tam magnificè, prout præmittitur, adiuuabunt, totum nauigii, hominũ, & bonorum, quod facere poterit auxilium promittendo. Alii etiã omnes facilius ad promittendũ auxilium, & faciendũ mouebuntur, quàm poſſent tunc ad faciẽdum induci ſi promiſſio firmata minimè proceſſiſſet. Ceſſantibus enim inter Catholicos guerris ſolitis & ſopitis, viri bellicoſi ne remaneant tunc in ſuis locis otioſi, ad ſubſidium armorum faciendum & videndum in terra remota, longè facilius ſolito mouebuntur: In quo, præmiſſis ſuppoſitis, veriſimile eſt omnes habitantes inter Occidentem & Græciã, citra mare Mediterraneum, propè ripam eius videlicet, viros bellicoſos, cum nauigiis de facili conuenire. Tunc ex multis partibus tam per mare quàm per terras expediet Græcorum terras & Imperium inſultare, cũ multis & magnis prouiſionibus, tactis in vno *libello ſuper abbreuiatione guerrarum, & huiuſmodi prouiſionibus*, per *præſentium ſcriptorẽ* edito, & apud Tholoſam miſſo & tradito, perito & fideli amico, regni magiſtro *Ioãni de Foreſtis*, cùm domini Rex

LXXII.

& Karolus fuerunt ibidem: quod fuit factum ad inducẽdum dominum Karolum, & eius consiliarios ac amicos super huiusmodi & aliis conferentibus prouisionibus prouidẽdis, quærendis paulatim, & seruandis. Quo libello inspecto & occasione inde sumptâ curare & facere deberent domini Rex & Karolus ac eorũ amici, in experientia & prudentia armorũ instructi, aliquos prudentes, expertos, sibiq; fideles, facere super omnibus ad hæc conferentibus prouidendis, sollicitè vigilare. Quoniã, vt ex præmissis dictoque libello patet, in terra cuius omnes Gallici literas & omnia laicorũ idiomata ignorant, difficillimũ erit habitare, dilectionẽ & confœderationẽ habitatorũ, qui naturaliter odire consueuerunt *Latinos*, quærere, & ipsos si subingarentur regere, & cum ipsis cõuersari. Nec tendere debet bonus Princeps ad totum populum perimendũ; si ad hoc tenderet, nõ benè sibi contingere deberet, nec hoc facere posset. Quomodo ergo superstitũ dilectio quæretur, quomodo regentur per illos qui ipsos non intelligent, plusquã aues cœli garrulantes & feras mugientes, ac serpentes sibilantes? Nec sufficient *extranei linguarũ interpretes*, quoniã de ipsis confidere periculosum erit; & quoniã tales ad sufficientiã, inueniri non possent ad regimen Impetii, numero & prudentiâ sufficientes. Homines extranei, quo ad Gallicos, barbari, sicut sunt omnes qui linguam Græcorum nouerunt, de facili mouerentur, & corrumperentur vt proderent & deciperent, quos sibi terræq; illi barbaros reputarent. Quomodo potuisset *beatus Paulus* & alii *Apostoli*, qui omnes erant Hebræi, solam Hebraicam linguam tam literatam quàm maternam partium Ierusalem cognoscentes, omnibus barbaris nationibus Euangelium DEI prædicare intelligibiliter & docere, nisi DEVS ipse exercitium omnium linguarum dedisset eisdẽ? aliàs non potuissent cum barbaris cõmunicare. Hoc exercitium & notionem linguarũ habẽtes, modis omnibus oportet & expedit diu ante prouidere. Hoc enim est, quod pro auro, argento, & gemmis tunc sufficienter reperiri non posset. Idcirco modo præscripto vel alio meliori seu faciliori, hoc expedit, antequã veniat necessitas, procurare.

LXXIII. Quatinus verò pertinet ad dominum Regem, certum est quòd multi opponent & murmurabunt, quòd dominus Rex nõ posset commodè tot conquestuum sustinere labores, nec tot subingare bellicosas Regiones: & sic ei tam magna inuadere non expediret. Ad hoc probabiliter responderi potest, dominum Regem ad magna vacare, & eadem aggredi expedit, iuxta illud Legislatoris *Iustiniani* qui in principio sui libri ait: *Occupatis nobis circa totius Reipublicæ curas, & nihil parum eligentibus cogitare*, &c. Si enim quilibet Princeps debet esse magnificus, magnanimus, magna donare debet, multò fortiùs hic quàm alii, debet esse talis. Verum est quòd tanto Regi personaliter difficile & periculosum est obstagiare, bellum commune subire. Vnus enim de fratribus suis, filiis & consanguineis eiusdem Principis, cum paucioribus impensis, & periculis quàm ipse, posset hoc facere, & cum paucioribus pugnatoribus, in duplo seu triplo: nec sic facere totum esset, nec expediret nisi dicta prouisio pacis generalis prodesset. Quoniam verisimile est quòd rebelles non inuenient coadiutores: quoniã omnes, simili pœnâ puniretur, excõmunicarẽtur; omnes maiores & nobiles periuria incurrerent, & sic infamiâ notarentur, & ob hoc caderent in opprobriũ sempiternũ. Conquestus isti, excepto conquestu patrimonii beati Petri, non publicarentur ante expeditum negotium Terræ Sanctæ. Confirmarẽturq; vincula pacis perpetuæ generaliter, quasi subitò vbique, propter ardorẽ & accelerationẽ itineris subsidii Terræ Sanctæ. Tunc vinculis pacis iuratis ab omnibus Principibus, Prelatis, & Nobilibus, & per instrumenta publica vallatis, taliter quòd ligarent hæredes & obligarent ad similiter iurandũ. Et his ad thesaurũ Ecclesiæ Romanæ perlatis, repositis, & in registro publico redactis, inciperetur & dante Domino, feliciter perficeretur expeditio Terræ Sanctæ. Tũc domini Papa & Rex monerẽt omnes subditos cõquestus prædicti, sub pœnis omnibus quibus possent, de obediendo Iusticiariis regalibus: vt inobedientes quã primùm fieri posset, secũdùm tenorẽ prouisionis pacis, modis omnib⁹ taliter puniretur, quòd pœna paucorũ multis cederet ad terrorẽ fierentq; omnes homines boni: videlicet bene dispositi, propter exhortationẽ præmiorũ, & mali, propter metũ pœnarũ ipsis & omnibus eorũ posteris perpetuò duraturarũ. Nam illi qui prouisionem pacis impugnarẽt, in Terrã Sanctam ad eius defensionem mitterentur, cùm per Principem cuius interesset possent superari: quod citò fieri deberet, quia propter similis pœnæ timorem alii non auderent

rent ipsos iuuare. Nec est verisimile, quòd omnes Prælati & Nobiles alicuius Regionis simile vellent periurium committere: & sic contra se inuicem possent diuidi per doctores & suasores operum Regis pacifici: & *omne regnum in se diuisum desolabitur*, nec durabit: sicut contigit in tempore quo *Imperator* cuiuslibet ciuitatis Lombardiæ subiectionem denegantis, alteram partem sibi confœderauit, quam vocauit *Guibelinorum*; & aliam partem quæ adhæsit Papæ, vocauit partem *Guerpharum*: & sic mediante parte sibi confœderatâ citò sibi subiugauit vtramque. Ex quo patet *partem Guibelinorum, quæ vero domino se reconciliauit, fuisse & esse saniorem illâ quæ Papæ se subiecit*, vt sui Principis subiectionem & obedientiam declinaret: & sic iampridem *Lombardi*, propter suam superbiam & diuitias, patriæque fortalitia, præsertim quo ad introitus, in rebellionis audaciam prorumpere præsumpserunt, Imperatori subiectionem denegantes quam præscribere nequiuerunt, sic in legem Iuliam Maiestatis peccatum grauissimum committentes: propter quæ ipsi eorumque tota posteritas, debent per amissionem omnium bonorum puniri: Et si Papa * deuiceretur ipsos sic grauissimè precantes defendere, contra eorum Principem, suumque totius Patrimonii Ecclesiæ patronum, fundatorem & dotatorem, videtur quòd ipse, si hæc dicere, & scribere fas est, vt ingratus feloniam committeret, & pœnam contra tales statutam sustinere deberet. Quòd autem sit conueniens rationi Dominum Regem quiescere, procreationi, educationi, & doctrinæ liberorum vacare, iudicium, & iustitiam tam per se in maioribus causis, & negotiis, quam per alios facere, fierique mandare; per suos proximos, fidelissimos duces bellorum obstagiare; de pugnatoribus & rebus ad pugnandum tam necessariis quàm conferentibus, prouidere; patet ex hoc & per hoc quod ait *Philosophus* in sua *Politica*: *Homines intellectu vigentes naturaliter sunt aliorum rectores, & domini. Anima verò sedata, sit sapiens & prudens*: vt ait VII. Physicorum: Sic quiescebat Sanctus *Dauid*, contemplationi vacando; mittebatque filios Israël ad obstagiandum. Duces bellorum sic missi citò poterunt equitare, subitò bellum inire, insidiosè procedere, huc & illuc nocte dieque se transferre ob grauandum hostes, plerumque, de spoliis hostium poterunt viuere: quæ non posset tantus Rex & Princeps, quem non decet propter paucum populum ad arma publicè exire, regimen quasi sine comparatione maiorum populi dimittendo. Non decet tantum Principem dimisso tot & tantorum regimine, periculo casuali & fortuito mortis se supponere: ne *percusso pastore*, Diabolo instigante, *dispergantur oues gregis*: sed per ipsum Principem mittentem exercitum ad aliquam prouinciam rebellem debellandum, decet ordinari mittendo, * quòd si forte ducem belli mori, vulnerari, vel infirmari contingat, seu aliàs impediri modo quolibet, alter statim ei subrogetur: si mortuus sit, simpliciter & purè; si aliàs impeditus, quousque conualescat: qui statim cum Concilio statuto vlteriùs celeriter & maturè procedat. Magnum enim exercitum propter impedimentum vnius hominis, quiescere, otiosum esse, & dimittere, esset magnus defectus ordinationis. *Boëtius* verò, solum illud reputat debere dici esse in mundo, quod ordinatum est, seruatque naturam: & vt ait *Philosophus*: *Sicut mundus totus est vnus, vnitate ordinationis finis, quem omnes quærunt, qui est primum principium, quod DEVM appellamus: sic exercitus est vnus, vnitate ordinationis, quam quærit dux belli, qui est victoria, quam quærere debent omnes & singuli de exercitu*: sed; ad hæc ordinate propter bonum finem, videlicet vt pax perpetua habeatur; & vt tempore pacis plenè, liberè, & perfectè vacare possint homines virtutibus & scientiis acquirendis. *Qui aliàs appetit bellum propter bellum, in fine malitiæ est*, vt testatur *Philosophus*. Qui sic humiliter per DEI potentiam, non propriam, victoriam & pacem quærit, inuenit pacem DEI, quæ superat omnem sensum, *Philip. 4.7.* secundùm *Apostolum*. Si tantus Princeps Rex Francorum, non haberet nisi *vnicum filium*, in Regno sibi succesturum, sine magno metu probabilis casus, non constitueret eum ducem belli periculosi; nec constitutus ita securè aggrederetur terribilia in quibus mors eminet, sicut si plures fratres haberet. Ergo Regem ipsum & filium eius primogenitum decet procreationi liberorum vacare; & alios filios ac fratres duces bellorum constituere: vt enim ait Philosophus, *fortitudo* quæ omnes militantes facit virtuosos, bonos, & iustos; *est aggressio terribilium in quibus mors eminet, propter bonum commune, non proprium*: quoniam, vt ait in Politica, *Princeps qui dominatur, propter se quærens commoda propria non Reipublicæ, dici non debet Prin-*

LXXIV.

ceps, sed Tyrannus: & si quærat à DEO per eius potentiam, humiliter, bonum commune, videlicet solam salutem Reipublicæ, consequitur bona propria & commoda: sicut omnia bona mundi venerunt *Salomoni* cum sapientia, quam solam à Domino
LXXV. postulauit. De his & qualiter guerras expediat modernis temporibus, pluſquam olim abbreuiare, plenius dictum est, in *libello de abbreuiatione guerrarum & litium regni Francorum, & de reformatione ſtatus vniuerſalis Reipublicæ Chriſticolarum:* quæ non scripsi, quia crederem sufficere, sed vt prudentibus & expertis occasionem darem, opus perfectum, in his & aliis ad hæc conferentibus, fabricandi. Pauca enim in hoc mundo consueuerunt ita bene fieri quin possent fieri & ordinari modo perfectiori & commodiori: quod videre potest dominus Rex, considerando quanto minus se suumq; populum gratiasset obstagiando, si seruitia armorum sibi debita non more solito, sed vt sequitur exegisset. Certum est quòd *armorum ſeruitia*
LXXVI. propter regni defensionem fuerunt statuta super maiora & nobiliora *feoda:* quod seruitium, est ordinaria prestatio patrimonialis debita à quocunque feodum tenente, per tenentem aut alium idoneum præstanda, & facienda non annuatim, sed demum cum necessitas hoc exposcit. Et quia, non solùm domini Regis & eorum qui tenent feoda debentia seruitium huiusmodi, interest Regnum defendi, sed etiam plurium aliorum, qui *Franca* tenent *feoda*, speciali seruitio non onerata: sed etiam, licet minus, cuiuscunq; de populo qui tenent feoda, plerumque longè minoris valoris, & annuis redditibus onerata, vt in pluribus ferè vsque ad totum, vel saltem dimidium annuum feodi valorem: Interest etiam ministrorum Ecclesiæ Regnum defendi, propter eorum spiritualia & temporalia commoda sensibilia. Et sic omnes sunt vocandi debentes seruitia, propter duas causas & rationes, quæ plus operantur quàm vna: videlicet debent hoc seruitium quoties eminet necessitas, & ob hoc feoda habuerunt; ob hoc dominus qui tunc erat Rex, eis feoda concessit; & eorum quemlibet defendit, & defendere tenetur contra quemlibet armorum violentiam inferentem: & sic interest eorum vt reddant quod debent; & quia pacem habere suisque bonis vti, virtutibus & scientiis acquirendis vacare aliàs non possent. Idcirco cùm instat necessitas primò vocandi sunt: & si sufficit auxilium quod debent, vel sufficere verisimiliter creditur, si dominus Rex vocet eos, qui non debent hoc nobile seruitium, quærit vt eis noceat, non vt sibi prosit: ex quo sequitur secundùm prouisionem legalem, quod hoc non est eidem ignoscendum: & sic peccat mortaliter quia vocat & iudicat, non debentes, vocandos, cùm non sint. Si verò dominus Rex, saniori quo potest fungens consilio, iudicat omnium debentium armorum seruitium auxilium, sibi non sufficere, potest vocare *Retrobannum:* videlicet primò auxilium *Franca feoda* tenentium, & si sufficiat debet esse contentus; si non sufficiat, vocare debet quatinus secundùm verum & rectum iudicium sibi deest, & non vltra auxilium populi, id est, omnium feoda non Franca tenentium.

LXXVII. Et si bona domini Regis & istorum cum omnibus præcedentibus, Franca feoda tam debentia seruitium, quàm non debentia tenentibus, non sufficiunt verisimiliter ad defensionem, tunc in casu necessitatis defensionis regni quæ legè non habet, dominus Rex, quatinus sibi deest ad commodam defensionem, exigere *& capere poterit de bonis Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum.* Et hoc est vltimum finale subsidium quod dominus Rex capere potest: quod satis apparet, eò quòd hoc auxilium Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, nunquam aut valdè rarò hactenus captum fuit; & quia quoties capitur, contra ius commune Canonicum & Ciuile capitur: ergo cum mortali peccato, nisi subsit ius speciale cuius virtute & ratione capi possit: quod esse non potest, nisi vnum, videlicet, euidens necessitas defensionis: quæ non est *necessitas abſoluta*, sicut Solem oriri cras est necessarium; sed *neceſſitas conditionalis*, sicut nutrimentum necessarium est animali, sub conditione si saluari & viuere debet animal: *vt in quinto vsx. c. de neceſſario.* Petere ergo & capere potest ac debet dominus Rex de bonis Ecclesiarum ob defensionem regni tunc demum si bona sua, *Bannitum & Retrobannitum*, ad commodam defensionem non sufficiant. Sed ponamus quòd ad hanc defensionem sufficerent centum millia marcharum argenti, & ipse cepit cc. millia: nunquid ei licet sine peccato mortali? constat quòd non. Nã, prout cõcordant, & in hoc cõmunicant omnes scientię, *ceſſante cauſâ, ceſſat effectus.* Sicut ergo hac causâ capiendi taliter cessãte, dominus Rex nihil potest

capere,

capere, niſi ſimpliciter velit rapere & auferre eadem ratione, ſi non eget niſi de c. millibus marcharum argenti vel auri, ſi plus capiat, tunc quatinus plus capiet, rapiet & auferet ſic, verbo vel facto, quòd idem eſt, aſſerens ſubeſſe, cùm non ſubſit, capiendi cauſam. Si ergo hoc facit ex certa ſcientia dominus Rex, mendax eſt; & per mendacium, quod abſit, DEVM negans, efficitur filius Diaboli, qui eſt pater mendacii, & omnes mendaces filii eius; ſicut omnes veraces, in quantum tales, filii DEI nuncupantur: vt hæc per multas ſacras Scripturas probantur, maximè in Epiſtola *ad Titum, 1. c. xi. q. 3. c. exiſtimant. c. quatuor modis corrumpitur iudicium.* cum *c. ſequentibus.* Quod autem in exigendo vltra neceſſitatem, ſit peccatum mortale nunquam remittendum niſi reſtituatur exactum vltra neceſſitatem, patet omnibus fidem Catholicam tenentibus: quòd ſi eſt verum in toto quod exigitur, ergo & in parte. nam ſecundùm quod in lege ciuili cauetur, eadem eſt ratio totius ad totum, & partis ad partem. Ex quibus præmiſſis, & per quæ patet quod difficillimum eſt domino Regi iuſtè ſuper hac neceſſitate iudicare, nec non & aſſeſſoribus ſeu conſiliariis eius difficillimum eſt iuſtum in hoc conſilium dare, ſecundùm rectam proportionem Geometricam non Arithmeticam medium eligendo: nam ſi dominus Rex iuſtè iudicat in hoc, & ſi conſiliarii iuſtum & æquum præſtant conſilium, virtuoſi per hæc efficiuntur, ſi aliquod vitium aliùnde non nocear, quoniam cùm virtus & vitium ſint duo contraria, ſecundùm *Philoſophum*, in eodem ſubiecto ſe compati non poſſunt: & ſic vnum vitium tollit & corrumpit omnes *virtutes* ſubiecti in quo eſt. Idcirco notabiliter recitat *Philoſophus*, quod benè dixit *Eraclitus*, ſcribens: *Quod circa difficillimum ſemper exarſit Virtus:* & idcirco ſubiungens quòd *valdè difficile eſt nos eſſe bonos*: nam oportet medium rectè tenere, & extrema, videlicet ſuperabundantiam & defectum, declinare. Ad quod inducit *Philoſophus* ſimile ſic: *Vna eſt* via, videlicet recta, quæ dùcit ſagittam ad ſignum; declinantes verò lineæ à recta, quæ ſunt obliquæ, ſunt infinitæ. Idcirco dicit quòd viam mediam tenere in virtutum operibus difficile eſt; ſicut ſagittare, lineam rectam non declinando, ſignum percutiendo. Nunc autem præmiſſis diligenter attentis velit conſiderare Regia Maieſtas, & iuſtè, neminem lædendo iudicare, vtrum iuſtè & legitimè deuentum eſt aliàs ad retrobannii & Eccleſiarum ſubſidium ab inuitis & compulſis exigendum. Certum eſt, quòd dominus Rex cuius intereſt principaliùs & in plus quam aliorum, Regnum defendere debet: pro eius defenſione ſe præparare cùm imminet, & pugnare, non ſolus, ſed prout decet eius ſtatum, commodum, & diuitias, ratione regni, prout ſui anteceſſores olim fecerunt. Item pro *regnis, ducatibus, comitatibus, baroniis, caſtellaniis* & aliis feodis, quæ idem dominus Rex à centum annis citra acquiſiuit, debet pugnatores quærere ſaltem tot quot quærerent, & haberent illi in quorum ius & loca ſucceſſit, ſi huiuſmodi feoda tenerent: debet & dominus Rex compellere ſingulos ſuos vaſallos, duces, comites, barones, caſtellanos, milites, & generaliter certa ſeruitia debentes, ad reddendum & faciendum huiuſmodi ſeruitia ſine fraude & diminutione, non remittendo & donando partem eorum; ac exigere negligendo, in fraudem eorum qui per viam retrobannii, non aliàs, ſunt vocandi. Fertur autem quòd dominus Rex hæc non aduertens, ſuisque conſiliariis ſe ſuaque iudicia committens, ſecum vocare conſueuit in ſuo bello ad ſua ſtipendia aliquando comites, barones, milites, ac armigeros, qui ſeruitium armorum debentes de ſuis bonis propriis militaſſent, ſua feoda de ſeruitiis armorum aquitaſſent. Similiter autem duces, comites, barones, milites, & alii ſeruitia debentes, ſoli obſtagiare ſuaque ſeruitia reddere nō valentes, alios multos ſecum capere & tenere cum ſuis ſtipendiis conſueuerunt, qui alias cum propriis impenſis ſeruitia quæ debebant reddidiſſent: ſic alios nobiles ociosos, fortes, & potentes relinquendo, qui libenter obſtagiaſſent cum ſtipendiis alienis, ſi vocati fuiſſent. Frequenter etiam contigit, rebus ſic ſe habentibus, quòd miles debens ſeruitium armorum, miſit filium ſuum vnum cum tribus vel quatuor, remanens in domo ſua, non ſine equis & armis: filius qui ad impenſas patris obſtagiare debebat, pecuniā à vicino milite patris ſui recipiebat, vt cum aquitaret; pro ſe & pro vicino tranſibat, & poſtmodum ſe recipi ad ſtipendia Comitis vel Baronis procurabat; & ſic ad impenſas maioris cum recipientis, partem ſuum & eius vicinum ſuper armorum ſeruitio aquitabat, duplicia ſtipendia ſua, patris, & vicini, ſecum reportans: ſic per talem inertiam, & negligen-

tiam perquirendi veritatem, dominus Rex armorum seruitia re ipsâ, ipso facto, multis debentibus remittens, & donans plurimis * cultus seruitiorum quæ debebant, exegit seruitium retrobannii in casibus in quibus non erat euocandum & exigendum, remittens seruitia debentibus ea, & exigens à non debentibus; se spiritualiter, & non debentes temporaliter, valdeque grauiter onerans, similiter allegando necessitatem ecclesiæ, & eâ suppositâ auxilium exigens ab eisdem, licet secundùm veritatem non imminueret necessitas, vel saltem cùm tanta non immineret. Sic vltra necessitatem subsidium exigendo, non sine graui peccato. Quomodo ergo de guerra posset benè contingere Principi? suaque guerra quomodo posset exitum bonum habere, non seruato satis & consuetudinis ordine, tot grauando, remittendo diuitibus ingratis, quia non percipientibus, quæ à pauperibus in rorum vel pro magna parte exegit? Ecclesia, licet hæc non percepit, tamen reputans se grauatam, orationes solitas pro domino Rege subtraxit. Licet dominus Rex non motu proprio, sed ducente suo consilio sic processerit, non videtur quòd per hoc consilium, apud DEVM, qui omnia videt, valeat super his excusari, cum fuerit negligens, minus bono consilio stando, bonum quærere obmittendo, remittendo debentibus quod exigebat à non debentibus: cùm ordine prædicto seruato, non aliàs, sit LXXIX. retrobannii & ecclesiæ auxilium postulandum & recipiendum. Per præmissa satis patet, quòd hoc ordine seruato procedi debuisset & debebat. Quia vbique Iob 10, 22. debet esse *ordo*, præter qm in inferno, vbi, prout ait *Sanctus Iob, nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Videlicet vt cùm imminebit necessitas, dominus Rex, vt nullos subditos grauet, prouideat sibi de pugnatoribus sufficienter, prout antecessores sui prouidebant, antequam acquirerent *ducatum Normanniæ*, nec non alios Ducatus, Comitatus, Baronatus, & alia feoda quæ postmodum acquisiuerunt ante ipsum, & ipse suo tempore: postmodum prouideat sibi pro feodis postmodum acquisitis, prout sibi prouiderent alii, duces, comites, & barones, si eadem tenerent: sibique prouideat de talibus qui armorum seruitia non debeant, taliter quòd appareat, vt non præiudicet subditis, & ne grauet eos, subsidium petendo cùm necesse fuerit. Quoniam non solùm cauendum est malè agere, sed ne quis malè agere videatur. Tunc sic ei sufficienter prouiso, poterit nobiles, comites, & barones, & alios similiter instructos ad suum bellum vocare. Caueat etiam dominus Rex, quòd omnes sui subditi armorum seruitia debentes, ostendant se de tota familia ad faciendum debitum ab eis seruitium armorum necessaria, taliter prouisos, quòd in sua prouisione nō computetur aliquis, qui armorum seruitiū debeat pro se, nec qui pro alio sit receptus. Sic procedendo dominus Rex iure suo magno, imo maximo, si sufficienter vtatur, habebit omnes nobiles, vel ferè, secum; nec capiet per retrobannium, id quod consuecuit remittere debentibus armorum seruitia; nec grauabit Ecclesiam nisi in casu necessitatis, super quo Ecclesia non reputabit se grauatam; nec cessabunt Ecclesia & populus ab orationibus deuotis, quibus suffragantibus, non aliàs, consueuerunt principes exercituum de cœlo victoriam, non ex propriis LXXX. viribus, obtinere. Si quis autem hunc prouisionis modum reprobare nitatur, quoniam retrò Principes domini Regis antecessores nunquam taliter consueuerunt armorum seruitia exigere: Respondeti potest, quòd, prout in Lege ciuili cauetur, *non est respiciendum quod Romæ factum est, sed quid fieri debuisset*: & quòd *non ex exemplis, sed legibus iudicandum*. Ad hæc facit id, quod super Politica *Aristotelis* determinauit præcellentissimus doctor Philosophiæ, cuius eram tunc discipulus, magister *Segerus de Brubantia*: videlicet, quòd *longè melius est, ciuitatem regi legibus rectis, quàm probis viris*: quoniam non sunt nec esse possunt, aliqui viri tam probi, quin possibile sit eos corrumpi passionibus iræ, odii, amoris, timoris, concupiscentiæ: vt hoc etiam cauetur *x. 1. quæst. 1. 1. c. quatuor modis corrumpitur iudicium*, cum *c. sequentibus*, ad quod accedit quod ait *Philosophus* in dicta Politica, *Primò quidem ciuitates, regebantur Rege, id est, propria voluntate dominantis in eis: sed quoniam Reges Amicos suos cum delinquebant, minus; & inimicos, magis debito puniebant, ex hoc oriebantur seditiones & bella: idcirco vt hæc mala cessarent, cœperunt homines per leges & statuta quæ nemini parcunt, salubriter iudicare*. Item hodie sunt homines longè plus solito cupidi, auari, in malitia prudentes & astuti: & Philosophus in Politica ait: *vir prudens malo deditus, omne malum cogitat & facit*. Ite ibidem: *pessima est inimicitia, habens arma*, videlicet prudentiæ, & in-

Authen-

Authentica *Iustiniani* Imperatoris: *non est malum quod vir prudens, malo deditus, non adinueniat.* Et idcirco, contra mala debentium armorum seruitia sic eadem subtrahentium, in graue præiudicium sui summi Principis, & longè maioris partis suorum subditorum, expedit noua remedia taliter inuenire, quòd tantus error, ex quo tot secuuta sunt peccata, damna, pericula, & præiudicia, cesset in posterum, & quòd ejusdem erroris maculæ contagiosæ animabus plurimis nequiter adhærentes, per consensum domini Regis, cleri, & populi, facta aliqua recompensatione grauatis, & non grauantibus, misericorditer deleantur. Ex subtractione debiti seruitii armorum processisse videtur necessitas si qua fuit, pecunias regni mutandi, per quam omnes in regno redditus, & pensiones pecuniarum habentes, earum, primò quartam partem, postea tertiam, deinde dimidiam, & vltimò duas partes amiserunt. Ego *scriptor præsentium*, scio me quolibet anno, facta collatione, secundum plus & minus, vnius ad alterum, per hoc ad minus, postquam cœperùt mutari pecuniæ, quingentas libras Turonenses amisisse. Et credo, omnibus consideratis, dominum Regem per hoc amisisse, & amissurum longè vltra omnia commoda quæ ex eadem mutatione peruenerunt ad ipsum & peruenient modo quodã in futurum; per quam mutationem tantum creuit rerum omnium caristia, quòd verisimile est generalem rerum annonam ad statum pristinum in posterum reduci non posse. Super cuius generalis damni refusione populo facienda, expediret laborare eis qui talem pecuniarum mutationem & deteriorationem fecerunt, consuluerunt, & procurarunt contra ius commune, statuta, & consuetudines regni Francorum hactenus approbatas & seruatas, per tempus à quo memoria non existit neque fuit viuentibus qui nunc sunt hominibus. Cuius rei plenam veritatem expedit peruenire ad notitiam Regiæ Maiestatis, quoniam ignorantia, quæ crassa foret & supina, peccatum nullatenus excusaret: nam lata culpa dolo æquiparatur: lata verò culpa est, ignorare quod omnes intelligunt de figurato nominis, vt in Lege ciuili cauetur. Non credo hominem sanæ mentis æstimare posse nec debere, quòd dominus Rex sic suas pecunias transmutasset & deteriorasset, si tot & tanta damna ex hoc sequutura, fore credidisset: *nec ipse in tantis deliciis & diuitiis nutritus & assuefactus, quacunque intermissione cessante, de se plenè cognoscere potest defectus & innumerabiles penurias paupertatis:* ad instar eorum qui longo tempore vixerunt nullum morbũ patientes, qui causas & occasiones morborum timere non possunt, quia morborum amaritudines non gustarunt. Idcirco multi Principes modos viuendi cuiuslibet conditionis hominum leguntur experti fuisse & tentasse, vt mundi statusque eiusdem cognitionem haberent. Certum enim est, vt ait *Philosophus*, quòd *Prudentia mundi huius*, quam asserit fore Reginam omnium virtutum moralium, quoniã omnes in se complectitur, *in nobis acquiritur per experientiam*; experiẽtia verò agibilium humanorum longo indiget tempore: ex quo concludit, quòd nemo sanæ mentis eligit iuuenes duces, eò quòd non constat eos esse prudentes: quia in pauco tempore non multa potuerunt experiri & cognoscere. Videat ergo dominus Rex, & consideret diligenter qualiter eius consiliarii super exactione seruitii armorum se habuerunt; debentibus, racitè remitti permittendo; & ab aliis, per modum Retrobannii, & auxilii Ecclesiæ vltra necessitatem, quod facere debuissent armorum seruitia debentes, exigendo. Quæratetiam dominus Rex vbi sunt illi qui super huiusmodi remissionibus sibi grates reddiderunt, isti qui cum de bonis proprijs obstagiare & seruitia suorum feodorum reddere debuerunt, ad impensas vicinorum suorum, qui in domibus suis remanserunt, & maiorum, qui ad implendum suos numeros pugnatorũ, eos vocarit, obstagiarunt: per hanc viam, magnas pecunias lucrantes, de pauperibus quo ad mobilia facti diuites demum ad sua domicilia redierunt. Tales non immeritò vellent dominum Regem, frequenter magnum exercitum congregare: quæ sic facta fuisse, reperiet dominus Rex, si voluerit facere perquiri præmissorum subtiliter veritatem. Ad quod faciendum me sciri nõ vellem occasionẽ dedisse, quoniam credo, si sciretur, me corporales insidias, vsq; ad mortis periculũ vitare nõ posse: & quòd plures amici mei, & proximi contra me grauiter mouerentur. Tamen hæc scribere volui sequens doctrinam Philosophi qui ait, *Quod omnes professores veritatis plus debent adhærere veritati, quàm amicitiæ.* & quòd duo sunt opera sapientis: *primum, non mentiri de quibus nouit; secundum, mentientem manifestare posse.* & in Canone legimus: *melius est*

LXXXII.

LXXXIII.

pati pro veritate ſupplicium, quàm pro adulatione emolumentum. Certum eſt, quòd omnes mentientes in præiudicium alterius, mortaliter peccant, & ſunt Diaboli filij, DEVMq; negant ſuo facto, ſecundùm teſtimonium *Apoſtoli*, qui omnibus quæ peruerſa ſunt factis, DEVM aſſerit negari; & omnes veraces, filii DEI vocantur. Cùm autem ego ſim *patronus cauſarum domini Regis*, eidem per iuramentum aſtrictus, crederem mortaliter peccare, ſi tacerem veritatem præmiſſorum, in tãtum periculum & præiudicium ſpirituale & temporale domini mei, & innumerabilium ſuorum ſubditorum. Vt enim ait *Philoſophus: Fortitudo* quæ eſt virtus nobilis præcipuè Principibus, & militiæ conueniens, *eſt aggreſſio terribilium, in quibus mors eminet, propter bonum commune*: & *in Sacra Scriptura; dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet.* Cùm ergo præmiſſa ſic facta, non poſſent nõ facta fuiſſe, quoniam, vt ait *Lex*, factæ cauſæ pro iuſtis haberi nõ poſſunt, ſapiat & intelligat dominus Rex, ac nouiſſima taliter prouideat, quòd præmiſſa, taliter nõ fiant in poſterum; & quòd ipſe, iuxta conſilium Eccleſiæ, ſuorumque ſapientiorum conſiliariorum, clero & populo taliter recompenſationem repromittat, & demum faciat, quòd ipſi non retrahant ampliùs, orationum ſuffragia deuotarũ; & quòd iram placare valeat Creatoris: cùm, prout in Canone legimus, *bonarum mentium ſit timere culpam, vbi etiam culpa minimè reperitur.* Nam ſi Princeps ob amorem Creatoris ſapientiam quærat, iuſtitiam maturam pro totis viribus faciat, & ordinet ſuos iudices taliter, quòd lites citò poſſint iuſtè decidi, parcendo miſerabiliter ſubditorum damnis, laboribus & expẽſis, venient ſibi ad inſtar *Salomonis*, omnia mundi bona cũ vera ſapientia & iuſtitia: mouebuntur, etiam clerus & populus ad remittendũ omnia in quibus fuerunt grauati: quod ſumtnè expediret, quoniã præciſè ſciri non poſſet, in quantum quilibet ſuſtinuit, occaſione præmiſſorum, iacturam; poſſetque de facili, ſicut credo, firmiter procurari quòd generaliter conſentirent clerus & populus, dominum Regem pro eorum ſalute impendere in ſubſidium Terræ Sanctæ, & ob ipſum, quæcunque ipſe plus debito exegit, & omnia in quibus damnificauit, per quodcunque conſilium, ſubiectos. Qui conſenſus prædicando Crucem cum indulgentia plenaria domini Papæ, de facili poſſet haberi. Similiter autem expediret dominum Regem Angliæ, & alios omnes Principes, Nobiles, & quoſcunque qui tranſibunt vel mittent in Terram Sanctam, facere, & impetrare, cum illis & ab eis quibus tenentur in non liquidis debitis obſcuris, modoquolibet ignoratis. Nam tum, ſecundùm fidei noſtræ ſtatuta, *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*: ſi pugnaturi pro recuperatione & conſeruatione Terræ Sanctæ maculâ detentionis alienorum bonorum ſint oppreſſi, & ſic mortali pecato ligati, eorum peccata facta impedient aliorum. Et idcirco, ſuper omnibus verè pœnitentes, & confeſſi, impendant ibidem quæ reſtituere quacunque ex cauſa tenerentur, illis quibus tenentur profitura: ſic omnes indulgentiam haberent omnium, opera pugnæque prodeſſent; proculque pelleretur hoſtis antiquus, qui tales maculas ſcriptas habet; earum delecturas impedit, & differt, prout magis poteſt, ne animæ laqueos eius euadant. Credo firmiter quòd ſinguli, prædicationes audientes cum indulgentia Papali, domino Regi totum dimittent. Si qui verò fuerint duritiam Pharaonis imitantes, qui remittere nolint, in dubio ſi quid plus debito de ſuo leuatum fuerit, per loci Iuſticiarium Regalem, ad hoc præſentem, cum aliquo ſpecialiter ad hæc deputato ſcribantur nomina non remittentium, quid petunt, & ex quibus cauſis, vt quatinus æquum & iuſtum viſum fuerit reſtituatur eiſdem: quoniam nullus debet compelli ad remittendum, & ſubſidium Terræ Sanctæ faciendum. Cùm autem *Militia regni Francorum* fuerit hactenus & fore præſumi debeat in futurum principalis, magisque durabilis cauſa recuperationis & conſeruationis Terræ Sanctæ: quæ militia vix ibidem remaneret, ſi dominus Rex, quod abſit, ibi decederet, prout contigit Sancto LVDOVICO ibidem, vel in via ad Dominum tranſmigrante; vel ſi ex alia cauſa Rex rediret: ideircò probabiliter expediens fore cogitaui, dominum Regem, & eius filium primogenitum, remanſuros vt vacẽt regimini Regni, liberorum procreationi, educationi, & doctrinæ, & prouiſioni annalis ſubſidii, prout neceſſe fuerit, vltra mare mittendi. Nam propter prædictos conqueſtus, & alias multas ciuiles, expediret dominum Regem & eius filium, diu viuere in Regno ſuo, morari ibidem magis quàm alibi, etiam prope *Pariſius* liberos procreare, ipſos ibidem naſci & nutriri, eò

Tit. 1. ad.

Lac. 11, 21.

LXXXIII.

riri, eò quòd ille locus meliori constellationi cœli, quàm alia quæcunque scitur esse subiectus: ex quo sequitur, vt hactenus visum fuit, quòd homines nati, melius sunt compositi, ordinati, & complexionati, quàm aliarum gentium homines. Expediret etiam cùm opus esset, dominum Regem obstagiare fratrem, vel filium secundo genitum exercitum regendo, propter modum vitam abbreuiandi vitandos, considerando euentus & occasiones accelerationis trium suorum progenitorum vltimorum: quoniam tantum Principem non decet supponere casui & fortunæ periculosis; & quia non potest obstagiare de se valde magna multitudine pugnatorum; & quia non ita citò posset exercitum dare, sicut alii qui nocte dieque aliquando laborarent; & quia in Terra Sancta modernon habemus nec castra nec alia loca parata per quæ calori Solis, Martis, & aliarum stellarum possent resistere; seque tueri contra aeris intemperiem, quæ multùm esset eis contraria. Sed opponi poterit sic, tu impedis profectum Terræ Sanctæ: Respondeo, quòd non credo impedire: quoniam dominus Rex mittere poterit & retinebitur adeo magnum exercitum cum fratribus suis & filio secundo genito, sicut si ipse iret; constituereq; per ordinem plures duces exercitus sui, vt vno decedente, vel infirmitate seu aliter impedito, statim alius subrogetur, cui omnes obediant sicut & ipsi Regi. Non apparet periculum, si dominus Rex Angliæ, & alii Reges illuc vadant, præsertim senes qui suas generationes liberorum plerumq; compleuerunt. Dominus Rex sic remanens prouidere poterit annuatim de pugnatoribus, equitibus, & peditibus, ac armis, secundùm quod duces & exercitus sui duxerint postulãdum, dominus Rex, ex causis delicatis & subtilibus principiis genitus, & nutritus in aere tam temperato, vix posset diu durare, & obstagiare in terra tam intemperata, radiis solaribus quasi directis, & aliarum stellarum sine obstaculis sufficientibus supposita. Non recolo me legisse aliquem Principem, in terris alienis & remotis diu obstagiasse, præter *Karolum Magnum*: qui per centum annos & amplius obstagians personaliter alium non habuit coæquum: plus proficiens, post acquisitam prudentiam militandi per experientiam diuturnam, in duodecim annis, quibus fuit Romanus Imperator, quàm in quadraginta annis antè, prout eius facta in partibus Vltramontanis demonstrant. Sic ergo secretè præuideat, & prouideat dominus Rex statum regni sui præteritum, præsentem, & futurum; & quam viam tenere voluerit de omnibus ad expeditionem Terræ Sanctæ suiq; Regni proficuis, secundùm præscriptam doctrinam, per suam prudentiam & sanctissimum maiorum consiliũ perficiendam, seu mutandam, occasione sumptâ salubriter ex præmissis, ad pacem firmam & perpetuam totius Reipublicæ Christicolarum, modo præscripto seu alio meliori tendendo; ad Terræ Sanctę Imperiique Constantinopolitani recuperationem & conseruationem felicem, affectionem & potestatem totius Reipublicæ Catholicorum domino Papæ obedientium, per eius assensum & omnium Principum, conuerti misericorditer procurando, tam ordinatè, quòd, agente Domino omnium exercituum, ad finem citò perueniatur intentum.

FINIS.